



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Liber Prior De Poenitente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

LIBER PRIOR DE POENITENTE.

Iste in Tribunali Pœnitentiæ & Reus & sui ipsius Accusator simul etiam tam pro se, quàm contra se Testis est, ut dixi; imò & Executor injuncti operis pœnalis. Unus ergo cùm plures personas gerat, plura quoque habet, quæ, necesse est, ut diligenter observet.

P A R S I.

DE IIS, QUÆ ANTE CONFSSIONEM SUNT OBSERVANDA.

Inter ea, quæ ad Confessionem Sacramentalem ritè, utilitèrque peragendam servire possunt, & priùs, quàm ea instituantur, curanda sunt, principem ferè locum tenet Examinatio Conscientiæ. Hanc ergo primùm, postea etiam cetera profèquemur.

QUÆSTIO I.

De Examine Conscientiæ.

Hoc nomine intelligitur investigatio eorum, quæ à Pœnitente, vel ut Reo, ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal sunt deferenda; à Sacerdote verò, vel ut Judice, cognoscenda, solvenda aut liganda.

ARTICULUS I.

De necessitate Examinis Conscientiæ.

2. Antequam Confessio instituat, necessarium & idoneum tempus deligen-
R. P. Stoz Trib, Pœnit.

dum est ad peccata animo repetenda, præfertim, si jam satis longum tempus ab ultima confessione sit elapsum. Et id quidem jure positivo divino, ex Christi ordinatione. Etsi enim nusquam in sacra Scriptura legatur, Christum præceptum Conscientiæ ante Confessionem examinandæ imposuisse; per necessariam tamen consequentiam deducitur. Nam qui præcipit finem, hoc ipso etiam implicite præcipit media ad illum finem consequendum necessaria, in potestate nostra posita: sic mirum cùm Magistratus jubet, Notarium aliquid scripto consignare, hoc ipso jubet

A

etiam

etiam accipere calamus, & atramento tingere. Cum ergo Christus præceperit integram mortalium peccatorum omnium confessionem, etiam Examen Conscientiæ, sine quo integritas illa haberi nequit, præcipit: neque enim statim occurrunt omnia peccata, sed oportet memoriam accurata discussione replicare. Et sanè etiam ipsa natura iudicii, ad cuius formam Sacramentum Pœnitentiæ institutum est, id exigit: quia pœnitens non tantum Rei, sed etiam Accusatoris partes agit: accusatio autem non debet temerè institui, effutiendo, quidquid in buccam venit: sed causæ status diligenter est investigandus. Unde Concilium Trident. *sess. 14. cap. 5. & can. 7.* exigit, ut confessurus diligentius se excutiat & conscientiæ suæ sinus omnes ac latebras exploret. Vide Bonac. *de Pœnit. q. 5. s. 2. p. 2. §. 1. n. 1.*

3. Est autem hoc Conscientiæ Examen tam necessarium, ut vel voluntaria ejus præmissio, vel notabilis seu gravis in eo faciendo negligentia non tantum sit peccaminosa, sed etiam ipsum Sacramentum reddat vel infructuosum, ut Henric. *l. 5. c. 11. n. 1.* cum plerisque Thomistis docet, vel, quod Coninch. *de Pœnit. D. 4. d. 11. n. 71.* Laym. *l. 5. rr. 6. c. 9. n. 2.* Suar. *D. 20. f. 5.* & aliis placet, & videtur verosimilius, omnino nullum atque invalidum. Est enim formalis integritas (de qua infra *p. 3. q. 2. art. 4.* dicitur, quid sit,) de essentia Confessionis, nec sine Examine haberi potest: deficiente autem aliquo essentiali, totum Sacramentum nullum est, & confessio repetenda eo modo, quo suo loco infra *p. 3. n. 344.* dicitur. Quare non est semper consultum, aliquem urgere, certâ horâ,

quasi puncto temporis, confiteri, ne imparatus sacrilegè confiteatur.

4. Ex modò dictis satis apparet, in quam grave ipsius pœnitentis spirituale damnum cedat, graviter negligentem esse in sua conscientia discutienda; cum ea de causa Sacramentum hoc reddatur vel infructuosum, vel, quod gravius est, etiam profus irritum: quod quia multi vel non sciunt, vel non considerant, contingit, ut accessuri ad confessionem, nullam vel exiguam curam habeant, peccata commissâ in memoriam revocandi.

5. Nihilominus tamen fieri quandoque potest, ut confessio etiam licitè instituatursine prædicto Examine. Et I. quidem, si necessariò confitendum sit & temporis angustia spatium non relinquunt cogitandi, ut in repentino mortis periculo, v. g. prælii, naufragii, &c. accidit: tunc enim sufficit dicere, quod occurrit. II. si quis valde rudis sit, vel obnoxius scrupulis, ut adeo metuat, ut quantò magis indagaturus est, tantò magis ex eo Examine fiat perplexus & anxius: modò interim Confessarius velit suis interrogationibus illius defectum supplere, & ut Bonac. *de Pœnit. D. 5. q. 4. f. 2. p. 2. §. 1. n. 6.* cum Suar. *D. 22. f. 10. n. 5.* docet, pœnitens habeat propositum fideliter respondendi Confessario, quem scit de more interrogaturum, & eâ in re esse industrium. Hæ enim duæ exceptiones per epikiam & benignam interpretationem ex legibus deducuntur: non enim credibile est, Christum Dominum tam benignum, & misericordem, cuius jugum suave est, Matth. *11.* tam arde obligasse ad Examen Conscientiæ, ut, quando propter instantem mortis articulum fieri non potest,

potest, homo necessariò debeat damnari; vel cum tanta animi sui carnificina in sua peccata inquirere. III. si quis meritò præsumere potest, se nullum peccatum mortale admisisse, quin statim adverteret Suar. n. 1. quia cautè vivit, frequenter se examinat, sæpe confitetur; poterit statim confiteri sine omni Examine prævio, quidquid inciderit; est enim hoc Examen eà de causa instituendum, ut ad Sacerdotem deferantur omnia peccata mortalia, cujusmodi tamen pœnitentem non infectum esse ponimus. Cessante autem sine cessat etiam obligatio adhibendi medium, ad ejus finis consecutionem aliàs requisitum.

ARTICULUS II.

Quàm accuratum debeat esse Examen Conscientiæ?

6. Cùm, ut ex dictis constat, tanti referat Conscientiam suam ante Confessionem discutere, ut ex solius Examinis defectu etiam invalida reddi possit, merito ulteriùs indagatur, quanta in hoc negotio diligentia, & accuratio sit adhibenda. Equidem certum est, per se non sufficere perfunctoriam peccatorum examinationem, sed debere esse diligentem, ut constat ex Concilio Trident. *supra. n. 2.* allegato: quin & ipsum naturæ lumen distat, tanti momenti negotium, ut æterna salus ex eo pendeat, non esse cursim, & obiter, sed diligenter & accuratè perficiendum.

7. Quanta autem diligentia adhibenda sit, ut centeri possit esse sufficiens ad Confessionem, nulla certa ac generali regulâ definiti potest. Illud generatim dici potest, in peccatorum numero indagando & exprimendo, nec certitudinem, nec dili-

gentiam requiri summam & exactissimam Reginald. l. 4. c. 2. n. 8. Non certitudinem; hæc enim est sæpe impossibilis. Non diligentiam summam: de hac enim nullum extat præceptum: & cùm tanta esse non possit, ut major & accuratior esse nequeat, nunquam Conscientiæ quies obtinebitur: quod est durissimum. Sufficit ergo, eam diligentiam esse mediocrem Bonac. cit. D. 5. q. 5. f. 2. p. 2. §. 1. n. 4. Reginald. n. 10. Hæc est enim bonitas & clementia Christi, ut in suo servitio non exigat summum conatum; alioquin innumeri nascerentur scrupuli: quis enim, ut modò dixi, scire possit, an summam diligentiam adhibuerit? nec plus præstare potuerit? Nec refert, quòd hoc negotium sit summi momenti, adeòque summâ curâ dignum. In legibus enim positivis non sola rei dignitas spectatur; sed etiam, & quidem præcipuè, possibilitas, & legislatoris voluntas: Christus autem, hujus Sacramenti auctor, non voluit tam grave onus imponere, sed communi hominum fragilitati se accommodare.

8. Ceterùm quænam sit mediocris diligentia, ad usum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiens, non satis explicatur ab auctoribus. Laym. l. 5. tr. 6. c. 8. n. 5. Coninch D. 7. d. 6. n. 71. Suar. n. 3. cum Scoto in 4. D. 17. q. un. art. 2. dicunt, exigibilem, qualem homines non ignavi in rebus seriis & magni momenti, quæ ipsis multum cordi sunt, adhibere solent; sumpseruntque hanc regulam ex S. Augustino de *verâ & falsa pœnit. c. 14.* ubi dicit, tantam inquisitionem debere facere pœnitentem, quantam faceret in negotio arduo. Verùm hi non satisfaciunt: nam homines industrij in rebus pecuniariis, quæ haud

dubiè sunt multò minoris momenti, quàm confessio, multò majorem diligentiam & curam adhibent, quàm ad parandam confessionem exigatur. Nam quotidie accepta & expensa adnotant, & ad obolum omnia supp utant. Hanc verò calculandi solertiam à confessuro nemo postulat. Exemplar ergo diligentiae humanae in rebus pecuniariis, quae sunt alicujus momenti, non est regula statuendi diligentiam debitam in Examine Conscientiae.

9. Alij tantam ajunt requiri diligentiam, quantam homines mediocriter boni in excutienda sua conscientia adhibent. Verè quidem, sed non practicabiliter. Nam quis novit homines mediocriter bonos? quis scit, quonam illi modo se parent ad confessionem? cum res ista clam fiat, nec usu observari queat. An ergo plateæ obeundæ, interrogatum, quo modo se examinent, quando volunt confiteri.

10. Alij cum Navar. in *Cap. Fratres, de Pœnit. dist. 5.* & in *Man c. 9. n. 13.* totum in viri prudentis arbitrium rejiciunt, tantam scilicet diligentiam requiri, quantam vir aliquis prudens spectatis circumstantiis judicet sufficere ad omnia mortalia in memoriam revocanda. Verùm mallem, ut hi paulisper prudentis viri personam prodidissent & sustinuissent, dixissentq; ipsi, quantam in hoc negotio sufficere judicarent diligentiam, ne, qui idem scire percuperet, ab uno prudenti viro mitteretur ad alium. Etsi enim speculativè verum sit, quod dicunt, quis tamen semper ad manum habebit, & unde evocabit, virum prudentem, quem consulat? cui exponat tempus impensum, & curam in examine adhibitam, ut decernat, satisfeceritne quis suo officio, an non?

11. Ut ergo ad scopum propositæ quæstionis propius accedamus, illa videtur esse mediocris & moralis diligentia, quæ suppositâ præceptorum DEI vel Ecclesiæ, contra quæ peccari potuit, notitiâ juxta statûs sui conditionem mentis oculos reflectit ad omnem præteriti temporis decursum, de die in diem, de hora in horam lustrando, quid cogitare, dicere, agere sit solitus. Quo tempore sic perlustrato acquiescere potest, & cogitare, se satisfecisse; etsi putaret, se, si accuratius inspiceret, & eadem vestigia sæpius relegeret, adhuc aliquid reperturum: hæc enim esset summa diligentia, ad usum hujus Sacramenti non necessaria: imò meticulous & anxiiis hominibus non consulenda: scrupulosius enim inquirendo & se anxios reddendo etiam peccarent.

Dixi: *Suppositâ notitiâ, &c.* sicut enim frustra quæserit hominem fugitivum, qui nullam penitus notitiam illius habet, quia vel sponte occurrentem non cognosceret; ita frustra in locis & temporibus quæret peccata, qui nescit, quæ sint peccata. Debet ergo notitiam peccatorum ex Catechismo, Concionibus, vel libellis, peccatorum catalogum describentibus, v. g. ex Costero, Manuali Sodalitatis, aut syllabo à nobis infra p. 3. q. 3. contexendo haurire.

12. Sed ut hæc adhuc meliùs declarentur, tria hominum genera oportet distinguere. Quidam enim quotidie suam examinant conscientiam, & peccata commissa etiam in pugillares referunt. Et his ante confessionem non est novâ opus discussione, nisi ab ultimo examine. Alij non faciunt quidem quotidianum examē, tamen confitentur frequentius v. g. quot septi-

septimanis, aut mensibus. Neque hi, ut Reginald. l. 4. c. 2. n. 11. & alij recte notant, multo tempore indigent; quia peccata mortalia, quæ sola, ut dicitur infra p. 3. n. 11. & n. 18. ad confessionis tribunal necessariò deferenda sunt, tam brevi tempore commissæ facillè occurrunt. Alij denique nec faciunt quotidianum examen, neque crebriùs consententur in anno, quam vel semel tantùm in paschate, vel quatuor præcipuis festivitatibus. His utique longius tempus est necessarium: tamen ne singulos dies & singulas cuiusque diei horas inspicere debeant (hoc enim esset infiniti laboris, & multos absterreret) hoc possunt compendio juvari, nimirum, ut semper tria tempora inspiciant. I. unum diem profestum, quid in illo per singulas horas facere consueverint; eadem enim erit ceterorum ratio. II. similiter unum diem festum. III. dies extraordinarios, ut itinerum, nuptiarum, conviviorum &c. ubi peculiare peccandi occasiones occurrere potuerunt. Quo peractò (ad id autem non adedè longo opus est tempore) acquiescent, tanquam officio suo perfuncti: quin etiam ipsa conscientia quies, Examen sic peractum consecuta, testimonium perhibet officij rite peracti.

13. Neque insolens videri debet hæc debita diligentia determinatio: est enim tum rationi, tum aliorum Doctorum fundamentis consentanea. Et rationi quidem: ille enim verè est diligens in conscientia examinanda, qui adhibet media peropportuna ad præteritarum rerum memoriam refricandam: talia autem media sunt signa quædam sensibilia externarum circumstantiarum loci, temporis &c. si-

cut in memoria locali talia fingi solent ad juvandam recordationem; item ordo ac series actionum. Species enim connexæ se mutuò excitant, & si sint rerum sensibilibus, sunt valde vivaces, & faciliùs occurrunt. Qui ergo dicto modo se examinant, ordinatè percurrendo vitam præteritam cum reflexione ad locum, tempus, personas, quibuscum conversati sunt, &c. adhibent media ad memoriam præteritorum repetendam opportuna, & consequenter censendi sunt esse verè diligentes.

14. Quòd autem eadem determinatio sit etiam aliorum doctorum fundamentis conformis, facillè constat ex allatis *supra à n. 8.* regulis, quibus sufficientem diligentiam descriperunt. I. erat, tantam diligentiam adhibendam esse, quantam homines industrij in negotio arduo & magni momenti adhibent. Hæc autem, quam dixi, perlustratio omnium locorum ac temporum est talis: utique enim magni momenti res est hostium stationes, & statum explorare, & tamen si explorator omnia loca, in quibus hostis esse potest, lustrat & circumspiciat, putatur officio suo bene sanctus esse, etsi non omnes sepes, dumeta, angulos domus &c. sit perscrutatus. II. regula erat, tantam diligentiam sufficere, quantam homines mediocriter boni in sua conscientia examinanda adhibent. Sed dictum modum plures Religiosi, qui utique saltem mediocriter boni sunt, usurpant: imò S. P. N. IGNATIUS in suo nunquam satis laudando Exercitiorum libello hunc Examinis modum suadet, ut singulas diei horas quis percurrat, &c. III. regula erat iudicium viri prudentis, qualis utique

fuit S. IGNATIUS : hic autem, ut modò dixi, majorem conscientia discutiendæ accuratorem non requirit : quod ipsius iudicium etiam alij sapientes probarunt.

15. Negligentia venialis, seu levis (de magnâ & gravi jam *supra n. 3. dixi*) in Examine conscientia commissa, non facit irritum Sacramentum; nec ejus effectum, qui est collatio gratia peccatorum ablativæ, impedit Laym. *n. 5. Fill. tr. 7. c. 5. n. 31. & reliqui communiter.* Unde qui bona voluntate accessit ad examen, cupiens sufficientem diligentiam adhibere, non debet timere, se defectu Examinis non esse rectè aut fructuosè confessurum : peccata enim mortalia tam grandia sunt & patentia, ut, nisi negligentia sit crassa & notabilis, hominem timorata nec projecta conscientia latere non possint.

16. Ceterùm an Examen præmissum ad valorem Sacramenti fuerit sufficiens, ita ut confessio postea non sit iteranda, hoc ferè indicio deprehendes. Si enim post confessionem plura peccata mortalia memoria occurrant, quàm in confessione fuerint explicata, non fuit diligentia sufficiens. Idem est, si intra unam & alteram confessionem lapsus sit breve tempus, unius v. g. vel alterius septimanae, & tamen unum vel duo peccata mortalia memoriam subterfugiant; cum enim hæc, ut paulo ante dixi, tam magna sint, ut vel parum in præteritam paucorum præcedentium dierum vitam & acta inquirenti non possint non occurrere, merito quis credere potest, se graviter in excutiendis conscientia suæ latebris negligentem fuisse. Quod si autem occurrant aliqua, sed multò pauciora, quàm confes-

sa, credendum est, diligentiam fuisse sufficientem ad valorem Sacramenti. Ex his autem breviter

17. Pater, illos, qui ex priori suam conscientiam examinantium classe sunt, teneri ad novam peccatorum jam ante manifestorum confessionem, & præterea ad accusandos se de tua illa negligentia: peccarunt enim hi mortaliter omitendo debitam diligentiam, & confessionem fecerunt sacrilegam Bonac. *l. 5. n. 5. Navarrus in Man. c. 9. n. 13. alij.* E contrario illi, de quibus posteriori loco *num. præcedenti* dixi, non sunt obligandi ad confessionem iterandam; satis est, si de omisissis se accusent, & de negligentia ad cautelam.

ARTICULUS III.

A quo, & quando instituendum sit Examen.

18. Examen hoc ordinariè quidem ab ipsomet pœnitente propria industria faciendum est: ad quod proinde Confessarii suos pœnitentes adhortari, & quantum fieri potest, etiam assuefacere debent, dimittendo etiam nonnunquam, si consultum videbitur, sine absolutione, ut se ipsi prius examinent, modò tam rudes non sint (ut sanè communiter esse solent rustici) ut seipso proprio studio examinare non possint; neque salutis suæ tam incurij, ut ad confessionem redire non velint.

19. Dixi *ordinariè*: Potest enim quandoque eadem examinatio fieri & suppleri ab ipso Confessario per prudentem examinationem; modò pœnitens habeat propositum respondendi & obediendi confessorio,

Confessario, quem novit de more interrogatum, & virum de se in ea re esse industrium: quod maxime in rudibus & rusticis, qui plerumque sua peccata præmeditari non possunt, locum habet Bonac. n.6. imò si Confessarius velit, potest hoc onus ordinariè in se etiam suscipere, quamvis habeat pœnitentem alioqui satis prudentem. Quomodo autem hæc examinatio à Confessario sit instituenda, dicitur lib.2. à n.10. sed ordinariè consultius longè videtur, pœnitentes ad propriam examinationem assuefacere. Neque ullo modo tolerandus est abusus quorundam, qui nihil volunt confiteri, nisi quod interrogantur: hoc enim tantum est, ac velle tacere peccata, quæ non interrogaberis. quod utique idem est, ac esse indispotum ad absolutionem Navar. in Man. c.10. n.6. Ex dictis breviter

20. Pater, conscientiam esse examinandam prius, quam ad confessionem accedas. Potest tamen quandoque etiam inter confitendum discutiri: v.g. si quis recitaret præcepta & ad singula subsistens cogitaret, an peccasset. Sed hoc non est consultum: tum quia mora hæc tam Confessario, quam aliis etiam confessoris non potest non esse longè molestissima: tum quia metus & anxietas confitendi turbat memoriam: tum denique quia hoc haud dubiè signum clarum est hominis incurii, neque de confessionis bene peragendæ negotio satis solliciti, si quidem aliud fieri possit.

ARTICULUS IV.

Quamdiu faciendum sit Examen?

21. Hæc res non potest certo tempore definiri, ut sufficiant tot vel tot horæ,

quia non solum varietas materiæ examinandæ plus minusve temporis postulat (homo enim raro confitens, & multis peccandi occasionibus expositus probabiliter plura peccata admisit, quam alii sæpe confitentes, & securiorem vitæ statum habentes) sed etiam dispositio pœnitentis. Homo enim perspicax & memoriâ pollens facilius in suorum peccatorum notitiam veniet, quam hebes & obliviosus: citius etiam, qui certo ordine & methodo procedit per præcepta ac temporum intervalla, quam qui confusè, & inordinatè, ac tantum in genere cogitat, quid peccarit, non adhibitis præceptorum, locorum, temporum, personarum, negotiorum &c. indiciis, vel hermetibus, quæ memoriâ refricare possunt: solent. Itaque quisque tantum temporis in discutienda sua conscientia adhibebit, quantum pro ratione suæ personæ, & conditionis judicaverit, satis esse ad peccata, quæ ab ultima confessione, ritè peractâ, admisit, reolenda.

ARTICULUS V.

Quæ sit Materia Examinis?

22. Materia examinis pro futura confessione eadem est, quæ ipsius confessionis. Est autem, ut id obiter hoc loco dicam, confessionis materia duplex, remota una, altera proxima; ista est contritio & confessio, quarum illam *part. 2.* istam verò *part. 3.* quantum satis erit, prosequemur. Remota, quam hoc loco præcipuè spectamus, rursus alia est necessaria, alia sufficiens: illa est, quæ si sine justa causa omittatur, confessionem reddit invalidam, & sacrilegam: ista verò est, quæ, licet etiam studiosè omittatur,

tur, confessionem tamen non irritat, sed sufficit ad ejus validam & fructuosam administrationem.

23. Jam ergo sicut sola peccata, eaque tam mortalia, quam venialia sunt materia confessionis; ita etiam, qui confiteri cogitat, debet à conscientia sua rationem totius temporis, ab ultima confessione elapsi, exigere, solum inquirendo, quid quovis die cogitatum, dictum, factum, aut omissum sit, præsertim circa peccata mortalia, & in quæ frequentior & proclivior est lapsus: sunt enim peccata mortalia necessario, ut confitenda, ita & investiganda, & quidem ita, ut, quantum fieri potest, nullum eorum prætermittatur; venialia verò tam anxie & scrupulose non sunt perquirenda, sed solum, quæ graviora sunt, molestiora & frequentiora, feligenda sunt.

24. Quod tamen non eò dictum putet, quòd noxæ, quæ à Theologis veniales appellantur, levè quid sint, adeoque levi etiam ducendum sit religioni, eas admittere: quamcunque enim noxam, in se aliàs levissimam, malum valde grave esse, & idcirco summopere fugiendum, facile comprehendet, qui perpenderit nullam esse tam levem, ut infinitam DEI Majestatem non offendat, atque adeo eidem etiam non displiceat, mereaturque gravissimas purgatorii pœnas.

25. Cùm ergo auctor sum, ut, quæ inter venialia non sunt insignia, in numerum & censum eorum, quæ postea ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal deferentur, non deducantur; non ajo, parvipendenda illa esse, aut omnino etiam contemnenda: absit hoc à me procul! absit! quod conændo hoc solum est, ut &

magna & manifesta temporis jactura, & tedium aurium evitetur, dum minima quæque ad Examen & subsequentem inde Confessionem trahuntur. Suppetunt multa alia, quibus hæc peccata expiari possint; præcipuè sacra Communio, aspersio aquæ benedictæ, eleemosyna, preces, potissimum oratio Dominica, benedictio sacerdotis, vel Episcopi: breviter: ea omnia, quibus homo ad pietatem, devotionem, & timorem DEI quoquo modo commovetur. Sed huc inprimis facit sanctissimum illud Missæ sacrificium, in quo JESUS CHRISTUS, verus DEUS & homo offertur DEO Patri in remissionem peccatorum, ut videre est in Decretis S. Synodi Tridentinæ *sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 2. & can. 3.* Et licet hujus Divinissimi sacrificii vis & efficacia se extendat ad vivos, & mortuos, eos maxime, qui in statu gratiæ sunt; majori tamen quadam gratiâ ad eos redundat, qui huic officio præsentés sunt, aut eidem moraliter cooperantur, ei videlicet inserviando, petendo illud, aut procurando seu gratis, seu oblato stipendio, atque ipsi de manu Sacerdotis suscipiunt Sacramentum Corporis Christi, ut colligitur ex eodem Concilio *loc. cit. cap. 6. & sess. 13. de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento cap. 8.* Ex dictis autem facile

26. Colliges I. eum, qui confessionem parat, multò minùs sollicitum debere esse de conquirendis iis, quæ videntur esse meræ imperfectiones cujusmodi sunt, non respondere divinis inspirationibus, quibus quis movebatur ad non habendam nimiam de corporis salute sollicitudinem, ad non quærenda alimenta superflua, aut delicata, ad non apperendas

das dignitates, ad delectationem aurium ex suavi musica, palati ex cibo dulci provenientem non admittendam &c. opus aliquod bonum liberum, ad quod videlicet nulla ullius præcepti datur obligatio, non operari, v. g. die festo non interesse vespers cantandis, die profano non audire sacrum, confessionem aut communionem liberam seu non præceptam omittere, & similia: hæc enim sicut non sunt materia confessionis, ita nec examinis debent esse: ad quid enim tempus, quod hujusmodi imperfectionibus investigandis impenditur, meliori alteri, & majoris momenti negotio subtrahatur?

27. Nihilominus tamen neque pœnitentes, dum in tales imperfectiones inquirunt, reprehendendi; neque Confessarii, quod pœnitentes in iis recentendis non impediunt: multa enim ex iis, quæ videntur esse meræ imperfectiones, non vacant omni culpâ, præsertim si, quæ est sententia valde communis & probabilis, non detur actus moralis seu humanus, qui sit in individuo indifferens, id est, neque bonus & honestus, neque malus & inhonestus: hinc enim constat, eos omnes actus, qui cum ex objecto proprio sint indifferentes, ex nullo honesto sine procedunt, esse peccata venialia, & consequenter etiam sufficientem absolutionis materiam.

28. Adde, non semper esse necesse, ut omnia, quæ à pœnitente in confessione dicuntur, determinatè sint materia absolutionis: multa enim dicuntur vel ut Confessarius majorem ipsius pœnitentis notitiam acquirat: vel, si quid fortassis culpæ iis insit, id totum beneficio absolutionis deleatur. Quocirca sicut æger

R. P. Stoz, Trib, Pœnit.

omnia parat medico, ut, si quid deprehendat curatione dignum, remedium adhibeat: ita etiam potest pœnitens Confessario tanquam spirituali Medico, absque vitio narrare etiam imperfectiones. Confessarii enim magis est discernere, quæ sit materia capax absolutionis, & perspectum habere pœnitentiscor, ut eò meliùs de illius statu judicare possit, & statuere, ubi & quale sic adhibendum remedium. Verùm iterum moneo, ne quis in talibus imperfectionibus seu conquirendis, seu recentendis sit nimius cum molestia aliorum, & melioris boni jactura.

29. Colliges II. sed neque operam, præsertim paulò longiorem in tentationibus pervestigandis ponendam esse: hæc enim tantum abest, ut ad Tribunal Pœnitentiæ deferendæ sint, ut potius forum istud nimis odiòsum & grave redditurus sit, qui longa narratione aures Confessarii flagellat. Hoc autem solum intelligendum est de tentationibus, quas quis reputat: si enim iis assensum præbuerit, utique de hoc accusare se debet. Quamquam neque hic damnandi sint, vel reprehendendi, qui intra confessionem vel suas tentationes narrant, vel eas narrantes auscultant. Cujus eadem est ratio, quam paulò antè dixi favere iis, qui se de imperfectionibus accusant. Præterquam quòd tentati sæpe neque habeant alium, quem consilium vel auxilium rogent, quàm ipsum Confessarium: neque aliud tempus, quo id rogent, quàm hoc ipsum, quo se Confessario, ut suorum morborum Medico sistunt. Hinc autem porro

30. Colliges III. cogitationes non esse immunes à tributo, seu ratione olim

B

DEO

DEO reddenda, & idcirco sine ullâ in iis peruestigandis cura transmitti non posse; sicut habet gravis non paucorum præsertim rudium error. Cùm enim in materia peccati mortalis etiam ipsæ sint mortales, si homo iis consentiat, aut se oblectet, (etsi eas opere externo explere nolit,) utique satis non est, præcisè scire, quòd quis habuerit cogitationes & quidem etiam malas. Hic enim se examinandi modus est valde rudis, & planè inanis, ac irritus: quid enim dices, si dices, te malas habuisse cogitationes? an hac tua phrasi indicabis, te Turcarum Imperatori voluisse nasum vel aurem amputare? malam crucem aut mortem optasse proximo? inhonestis affectibus & desideriis succubuisse? voluisse die festo sacrum omittere, diebus jejunorum carnibus vesci? &c. Omnia hæc mala cogitationes sunt. Vides ergo, quàm tibi tuoque Confessario molestus futurus sis, nisi aliter tuas scruteris rimerisque cogitationes? Quare necesse præterea est videre, an easdem voluntariè admiseris oblectando, aut consensum etiam præbendo, & quoties? indagando insuper speciem vel objectum cogitationis, saltem cùm accessit consensus in ipsum opus, & ejus executionem.

31. Hic autem obiter perstringendi sunt nonnulli, qui ex eo existimant, se non peccasse mortaliter, quòd in delectatione & desiderio malo non diu hæserint, sed paulo post, quàm venit, à se repulerint. Bene quidem hi faciunt repellendo; alioqui multò gravius peccaturi fuissent, si perseverassent: sed peccarunt tamen mortaliter, liberè se delectando, & consentiendo. Peccatum enim

mortale, præsertim delectationis, aut alicujus desiderii pravi, non opus habet longo tempore: in ictu oculi, vel momento temporis committi potest, si adsit plena advertentia.

32. Sed neque satis accuratus in sua conscientia discutienda est ille, qui solas delectationes, aut desideria rei illicitæ investigat, non sollicitus, an ea etiam ipso opere externo expleverit. Etsi enim opus externum, ut communis habet sententia, non addat actui interno ullam novam malitiam; nequaquam tamen sufficit, præcisè scire, se habuisse cogitationem, seu potiùs voluntatem omitendi v.g. die festo sacrum; de hac enim omissione accusare se debet, qui ritè confiteri cogitat. Idem omnino est de quocunque alio opere externo malo voluntariè perpetrato; quòd cùnque enim illud sit, exprimentum est in confessione, atque adeo hoc ipso etiam priùs inquirendum, si quidem adhuc, dum sit, à voluntate nostra præsentè pendeat, ita ut omitti possit, vel impediri, de quo *infra p. 5. n. 67.* An autem quandoque cogitationes separatim ab ipso externo opere sint explicandæ, constabit etiam ex dicendis *infra.*

33. Cùm vero in opera inquiris, non debes (perinde ut de cogitationibus jam paulò antè dictum est *n. 30.*) in generalibus duntaxat, & ambiguis terminis sistere, ex quibus postea Confessarius perfectam peccatorum admissorum notitiam assequi non possit, ut, si dicturus sis, te exercuisse quasdam actiones immodestas: sed quas? an instar famuli stabularii porticum aliquam vel plateam percurristi? an spuendo vel tussiendo indecorè de-

rè decentiæ modum excessisti? an immodicè cachinnatus es, aut in communi conversatio ne instar alicujus stentoris vociferatus? an vitulorum instar arsus & brachia diduxisti; alium huc vel illuc traxisti, petisti lapidibus, percussisti, pileum dejecisti, aut indecoro aliquo gestu castitatem læsisti? hæc aliaque similia immodestiæ nomine veniunt. At nonne iterum clarè perspicias, te, sicut ipsemet peccari speciem non agnovisti, ita etiam causam futurum, ut neque Confessarius, quid velis, ullatenus assequi possit. Quapropter ut meliùs te Confessario tuo declarare possis, meliùs etiam tuam conscientiam excuties, & videbis, quodnam tuum opus in particulari sit, quod patrasti, quale & cujus speciei &c. sic enim & te, & tuum Confessarium gravi liberabis molestia.

ARTICULUS VI.

De indagandis humanarum actionum circumstantiis.

34. Actus humanus, ut suppono nunc, aliud non est, quàm actus liber, seu qui positus ijs, quæ ex parte actus primi proximi ad agendum requiruntur, potuit à suo principio non procedere, sed ejus oppositum, v. g. cum principio adæquato eliciendi amorem potest conjungi odium &c. Et actui humano sic definito suas esse circumstantias, tribuentes ei bonitatem vel malitiam, hætenus à nemine, ut arbitror, dubitatum est. Hac ergo veritate suppositâ, cetera, quæ huc faciunt, prosequamur. Sit

§. I.

Quid & Quotuplex sit generatim circumstantia?

35. Actus humani seu liberi circumstantia est tale prædicatum, quod actui ipsi jam in certa specie morali constituto accedit, & substantiam actus quasi circumstat; ut videre est v. g. in furto, quæ est rei alienæ contrectatio, invito domino. Jam si res illa sit profana, surreptio ejus est furtum simplex, in sua specie perfectum; si verò res eadem sit sacra, rationi furti accedit, seu additur furto alia species seu malitia moralis, nimirum sacrilegij, & facit actionem furci multò pejo rem. sic homicidium est actio, qua homini injustè vita adimitur: si ergo persona illa, quæ occiditur, sit sanguine juncta v. g. pater, illud consanguinitatis accidens seu prædicatum dicitur circumstantia, quæ facit, ut homicidium sit longè gravius, & vocetur parricidium. Simile est in genere virtutum. Nam jejunium v. g. spectat per se ad temperantiam: si vero ad id etiam ex voto tenearis, ad religionem. Hac circumstantiæ notione præmissâ

Præter singulorum peccatorum mortalium speciem investigandæ sunt etiam eorundem circumstantiæ, quæ communiter numerantur septem, hoc versu comprehensæ. *Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?*

Aliam circumstantiarum divisionem referemus *infra n. 48.* postquam generalem quandam earum explanationem præmiserimus.

§. II.

Generalis quadam circumstantiarum expositio.

36. Notitiam circumstantiarum ad expediendam & facilitandam Confessionem necessariam esse, constat tum ex eo, quòd inde innumeri & ad praxin valde utiles casus resolvi queant: tum ex *Cap. Consideret. 1. de Pœnit. Dist. 5. & cap. aut facta. 19. ibid. dist. 1. ex Cap. Omnis utriusque de pœnit. & remiss. & ex cap. sicut dignum. de homicidio*: & demum ex Trident. Concil. *sess. 14. c. 5. & can. 7.* ubi expressè decernitur, circumstantias speciem mutantem, specialiter esse explicandas in confessione: quod equidem, quis faciet, si nesciat, quænam sint hæ circumstantiæ? Qua de causa idem Concilium *dicto cap. 5.* tanquam à ratione alienum meritò reprehendit, quod aliqui imprudenter dixerint, easdem circumstantias ab hominibus otiosis excogitatas esse. Jam ad singulas descendamus.

De circumstantia quis?

37. Denotat hæc qualitatem seu conditionem personæ non confitentis sed peccantis: siquidem ratio habenda non est personæ, qualis nimirum ea sit, quando confiteretur, sed qualis fuerit, quando peccatum admisit: id quod universim notandum est pro omnibus aliis circumstantiis, quæ quidem non sunt attendendæ, nec explicandæ secundum præsentem confitentis statum, sed secundum statum, quem habebat pœnitens, quando peccavit. Hujusmodi autem qualitates seu conditiones, in persona peccante considerandæ, sunt, esse sacram, seu

profanam; matrimonio aut voto ligatam, vel iisdem solutam; consanguinitate vel affinitate junctam in hoc vel illo gradu; constitutam in regimine vel officio; aut speciali adstrictam lege, vi cujus ad aliquid agendum, impediendum, vel evitandum teneatur. Præter has circumstantias sunt adhuc aliæ nonnullæ, quæ se tenent ex parte confitentis, seu potius peccantis. Prima est in ordine ad copulam carnalem, videlicet, si ad eam exercendam sit impotens, vel sponsalia cum una contraxerit, postea verò fornicetur cum alia. Secunda est dignitas operantis, ut si peccans sit Episcopus, Prælati &c. Tertia est ignorantia vel error, an scilicet, qui peccavit, laborarit errore vel ignorantia vincibili & mortaliter culpabili, vel invincibili seu inculpabili. Quarta est consuetudo, an videlicet peccati, quod quis committit, habeat inveteratam consuetudinem vel non. Quinta est virginitas, an, qui contra castitatem peccavit, sit vel non sit virgo.

De circumstantia quid?

38. Ad hanc circumstantiam multa pertinent, quæ ad tria ferè capita reduci possunt, quorum Primum est de iis, quæ se tenent ex parte rei volitæ; Alterum de iis, quæ se tenent ex parte personæ, ad quam peccatum terminatur: quæ circumstantia à Theologis cum Cicerone appellari solet *Circa quid*. Tertium est de effectu secuto ex peccato, quod est etiam aliquo modo objectum volitum: de quibus singillatim agendum. Et quidem

39. Quod ad ea, quæ ad primum caput spectant, attinet, multa sub eo comprehenduntur, quæ ad parandam confessionem

tionem & ejus praxim scitu sunt necessaria. Et imprimis ad hanc circumstantiam pertinet non ipsa rei substantia physica, sed sola illius qualitas seu conditio, an nimirum res malè concupita sit sacra vel profana: ad furtum enim v.g. parùm refert, sitne res ablata aurea vel argentea, ærea vel lignea: at verò sacram eam esse, plurimum sanè refert, ut videbimus. II. ad eandem circumstantiam pertinere videtur quantitas objecti, sitne illud magnum vel parvum, v. g. an mille vel decem aut reos furto sublegeris. III. ad eandem circumstantiam reduci posset quantitas ipsius peccati secundum durationem successivam: an videlicet in actu malo perseveraveris per horam vel diutius, vel etiam non tamdiu. Sed de hoc commodiùs infra dicemus, agentes de multiplicatione peccatorum: si enim duratio peccati explicanda est, ad hoc potissimum explicari debet, ut constet aliquo modo multiplicatio peccatorum, quæ illo tempore fieri potuerunt. IV. ad eandem circumstantiam pertinet diversitas præceptorum circa unam eandemque rem: sæpe enim contingit, ut una eademque res diversis præceptis imponatur, aut à diversis legislatoribus. quod accidit v. g. si festum alicujus sancti incidat in diem dominicum, vel vigilia alicujus Apostoli in quadragesimam, aut quatuor tempora.

40. Ad II. caput ejusdem circumstantiæ, quod spectat, considerandum est, an persona, circa quam peccasti, sit Deo sacra per votum, vel profana matrimonio ligata, vel soluta, sanguine vel affinitate juncta &c. v. g. an is, quem percussisti, fuerit Clericus, vel laicus; an parens tuus, vel alius extraneus, cujus

famam vel honorem detractio, aut contumeliâ læsisti. Est enim talis persona pars materiæ illius peccati, & ideò meritò sub hac circumstantia continetur. Ut ergo qualitas operis cognoscatur, attendendum est ad qualitatem seu conditionem ipsius personæ, ad quam peccatum terminatur, ut *supra n. 37.* in prima circumstantia. Huc spectat, an persona, cum qua peccatur, sit spiritualis filius vel filia ipsius Confessoris, quæ denominatio ex eo oritur, quòd quis alterius confessiones pro sacro tribunali exceperit.

41. Tertium ex iis, quæ *supra n. 38.* dixi, pertinere posse ad hanc circumstantiam *quid*, est effectus ex ipsa personæ peccantis operatione secutus. Pro quo meliùs intelligendo oportet breviter adnotare, in peccato v. g. quo alium veneno occidisti, intervenire in primis internum voluntatis actum, quo decrevisti illi dare venenum; deinde actionem externam, quam vi prioris voluntatis exercuisti, & venenum præparasti, & porrexisti: ac denique effectum ipsum, videlicet mortem illius, cui venenum propinasti. Quæstio nunc est, an in confessione satisfacias, dicendo, te venenum lethale alteri portexisse; an verò necesse sit addere, quod veneno portecto illum occideris. Hanc quæstionem *infra p. 5. n. 67.* resolvimus, & pœnitentem ab onere confitendi talem effectum absolvimus.

De circumstantia Ubi?

42. Denotat hæc locum secundum quandam suam qualitatem, aliquid conferentem ad malitiam actûs humani, seu profecti à libera voluntate; ejusmodi

qualitas est, quod locus sit sacer, vel profanus, publicus vel non.

De circumstantia Quibus auxiliis ?

43. Significat hæc partim instrumenta propriè dicta, quibus homo ad peccandum utitur, ut sunt gladius, sclopetum, aut alia arma, quibus ad homicidium committendum uteris; partim media (sive de in ea sint res sacræ, ut Sacramenta, reliquiæ Sanctorum &c. sive non, sive etiam aliàs jam veritæ, sive non) quibus ad intenti finis consecutionem uteris, ut, si furetis ad faciendam eleemosynam; mentiaris ad tuam vel alienam vitam conservandam; ores, confitearis ad captandam vanam gloriam; rem sacræ adhibeas ad homicidium, vel quodcumque aliud peccatum perpetrandum &c. Ad hanc circumstantiam pertinet auxilium & interventus aliarum rerum animatarum, præcipuè hominum, quorum operam ad finem malum quæsivisti, eosque proinde ad operis societatem, vel jussu, vel suasu, vel consilio sollicitasti.

De circumstantia Cur ?

44. Huc propriè loquendo non spectant aliæ peccatorum causæ, sed sola finalis, quæ ex parte intellectus movet, & suggerit rationem seu motivum, quo possumus respondere interroganti, cur hoc aut illud fecerimus. Nomine autem hoc non intelligitur finis intrinsecus, ipsius operis, sed extrinsecus, id est, is, in quem actus seu opus refertur non ex se, sed ex intentione ipsius operantis: quisque enim ex suo arbitrio potest sibi sui operis alium finem præstituire, præter illum, qui in

ipso opere reperitur: ut, si det eleemosynam, non tantum quia alienam miseriam sublevat (qui est ipsius operis intrinsecus finis) sed propter vanam gloriam: hic enim finis extrinsecus est respectu eleemosynæ, utpote cui nimis accidentale est, ad hunc vel illum finem ab operante referri. sic enim furti finis potest esse ebrietas, cum quis nimirum furatur, ut inebriari possit: nec enim furtum aliter ordinatur ad ebrietatem, quam quia per illud hanc aliquis intendit. Similiter studium vel lusus finis esse potest ommissionis facti, ex præcepto audiendi; cum nempe quis omittit sacrum, ut studiis vel lusi operam dare queat; non enim ommissio ista ad studium refertur, nisi ex ipsius operantis voluntate. Sic ex intentione quandoque etiam ipsa facti auditio, cum ad finem malum ordinatur, v. g. ut turpi alloquio vel aspectu frui, quis possit, viatiatur.

De circumstantia Quomodo ?

45. Significat hæc modum operis, non substantialem, qui videlicet ad substantiam actionis aliqua ex parte spectat, qualis est violentia, sed accidentalem tantum, seu cum actu ipso per se non conjunctum. Huc spectat intentio aut remissio actus; item an ex scientia, vel malitia, an ex ignorantia vel passione metu vel dolo, clam vel apertè aliquid fiat. Ad eundem peccandi modum spectat etiam, an quis peccarit ex consuetudine: an dum exercuit actum turpem, ac venereum gestaverit reliquias Sanctorum ex collospensas, &c.

De

De Circumstantia Quando?

46. Significat hæc tempus; quo nomine intelligitur vel ipsa cuiusque rei mora seu duratio, vel tempus, quod Philosophi vocant extrinsecum, estque mensura actionum humanarum, seu id, in quo humanæ actiones fiunt. Hoc autem considerandum est secundum quandam suam qualitatem, similem qualitati, quam in loco servandam esse dixi n. 42. videlicet, quod festum & sacrum sit, feriatum & profanum, nocturnum vel diurnum, ante-vel pomeridianum, dies veneris aut sabbati &c.

47. Porro ex prædictis circumstantiis possunt uni alicui actui una vel plures, præsertim finales accedere: v. g. potest quis furari, ut possit fornicari, inebriari, conducere alium ad homicidium &c. Ratio hujus desumi potest ex ipsa voluntate: cum enim ea ad unum non sit determinata, pro sua, quâ poller, libertate potest supposita actus deformitate ex malo motivo ulterius progredi, & aliam, ut in exemplo allato patet, malitiam præstare ratione alterius circumstantiæ. Et sic idem actus erit in duplici, triplici &c. specie morali, & duplex, triplex &c. peccatum. Idem est de actu virtutis.

48. Ad hæc inter easdem circumstantias magna est differentia. Aliæ enim vocantur *impertinentes*, quæ nimirum speciem aut gravitatem actus nec augent, nec minuunt, multò minùs mutant; & ideo etiam ad variandam moralem æstimationem nihil faciunt. Quales sunt furari die vel noctu, aurum vel argentum; percutere dexterâ aut sinistrâ, fer-

ro velligno; detrahere manè vel vespere; mentiri die Martis vel Veneris. In his enim & similibus nihil peculiari consideratione dignum cernitur. Aliæ sunt, quæ *speciem actus*, cui accidunt, omninò mutant, seu potius, quæ uni speciei (quæ in actu humano reperitur, ac supponitur) superaddunt novam aliam speciem, ita ut in tali actu jam sit duplex malitia, quarum una ab altera specie morali differat. Aliæ sunt, quæ actioni humanæ nullam quidem novam malitiam, specie distinctam, adferunt; sed eam, quæ actui propria est, solùm *aggravant*, idque magis vel minùs notabiliter; ita, ut quod in se est peccatum magnum seu grave & mortale, fiat majus, vel maximum. Sic furtum intra suam speciem crescit, crescente quantitate rei ablata. Gravius enim est, furari decem aureos, quàm unum. Sic peccatum commissum ab Episcopo, Prælato, Religioso, Clerico &c. majus est illo, quod committit in simili dignitatis gradum non constitutus, quantumvis alioqui utriusque peccatum sit ejusdem speciei. sic qui actu valde intenso v. g. odii alium prosequitur, plus peccat, quàm is, cujus odium est valde debile aut remissum. Aliæ sunt, quæ malitiam actus *minuunt*; quod potest fieri dupliciter: primò ita, ut ex peccato, quod seclusa tali circumstantia esset mortale, vel omninò nullum sit peccatum, vel solùm veniale. secundo ita, ut maneat quidem in sua specie idem, minori tamen culpæ seu vitio alicui detur. sic qui metu alicujus mali impendentis ad furtum committendum impellitur, minùs peccat, quàm is, qui nullo metu ad actus furatur: ratione enim metus furtum non est

omnino

omnino voluntarium, sed aliquo modo involuntarium. Aliæ denique circumstantiæ sunt, quæ *transcendentales* appellantur, & sunt illæ, quæ in quovis peccato, saltem mortali includuntur: cuiusmodi sunt, esse DEO ingratum, inobedientem, irreligiosum; contemptus item aut vilipensio divinæ Majestatis &c. quodcunque enim peccatum committas, Deo ut summo tuo benefactori ingratum te exhibes; eidem, ut supremo legislatori, prohibenti omne etiam levissimum delictum, non obtemperas; eundem etiam vilipendis, vel minoris, quàm deceat & oporteat, æstimas &c.

49. Ut autem exactiùs cognoscas, quando circumstantia mutet speciem actûs, vel intra eandem speciem tantùm aggravet malitiam ejusdem actûs, hanc accipe Regulam. Si circumstantia sit contra specialem aliquam virtutem sub præcepto obligantem, & specie distinctam ab ea, contra quam est actûs substantia, mutat speciem, seu malitiæ jam ante in actû repertæ dat novam speciem: si verò circumstantia non habeat talem repugnantiam, tunc non mutat speciem, sed solùm aggravat, hoc est, facit, ut peccatum in sua specie jam perfectè constitutum fiat gravius: in quo tamen ipso excessu intra eandem speciem est nonnullum discrimen: quandoque enim is excessus est valde notabilis, quandoque verò non est. Hæc Regula, ut bene intelligatur, exemplo potest illustrari. Igitur auferre rem alienam invito rationabiliter dominio, præcisè simplex est furtum contra justitiam, si ea res sit profana: at verò si sit sacra, jam accedit nova malitia specie distincta propter ejus circū-

stantiam, ratione cujus ea rei alienæ surreptio opponitur novæ virtuti specie distinctæ, nimirum Religioni, & consequenter præter malitiam injustitiæ continet etiam malitiam sacrilegii. At verò furtum decem aureorum non differt specie à furto unius aurei: non enim major ille excessus quantitatis in furto facit, ut ablatio rei alienæ alteri cuiquam virtuti repugnet, quam illi ipsi, cui opponitur ablatio rei alienæ in minori quantitate, nimirum soli Justitiæ.

§. III.

Quenam circumstantia in particulari mutent speciem actûs?

Ex regula priori numero traditâ etsi facile definiri possit, quenam ex septem illis vulgaris circumstantiis, & quando mutent malitiæ speciem, vel non: pro majori tamen explicatione & intelligentia rursus singulas percurramus, & quæ generatim diximus, speciatim ostendamus. Igitur

Circumstantia Quis?

50. Tribuit novam malitiæ speciem, si persona, quæ peccat, sit voto, juramento, aut matrimonii vel sponsalium vinculo ligata, vel sanguine juncta, vel ex officio aut speciali aliqua lege ad aliquid agendum tepeatur. Ceterum I. repetitio ejusdem voti, etsi peccatum quod contra ipsum committitur, aggravat, nullam tamen illi differentiam specificam addit. Idem est de juramento, si circa eandem rem sæpiùs repetatur; aut de præcepto ab eodem superiore circa unam eandemque rem sæpiùs iterato: quan-

quamcunque enim vota, juramenta &c. circa eandem rem multiplicentur, non tamen, ut Sanch. de Matr. l. 7. D. 27. n. 27. & l. 1. Mor. c. 14. n. 10. Lug. D. 16. f. 4. n. 146. Tambur. l. 2. c. 1. §. 8. n. 52. & in Decal. l. 3. c. 16. §. 3. n. 55. Sanch. l. 4. Mor. c. 1. n. 40. Dicastil. de Pœnit. D. 2. n. 277. & D. 8. n. 305. & 315. & alii communiter docent, perejusmodi iterationem voti &c. nova inducitur obligatio: sed antiqua solum reperitur, aut confirmatur: ac proinde nihil speciale secum adfert, quod sit ad confessionem deferendum. Sed neque II. solemnitas votorum, v. g. castitatis, quæ in professione religiosa, vel Sacrorum Ordinum Subdiaconatus, Diaconatus &c. ex speciali institutione Ecclesiæ emititur, novam in actum oppositum malitiam inducunt: sunt enim ejusdem speciei: Sanch. de Matr. l. 7. D. 27. n. 27. ex communi: imò votum solenne castitatis non differt specie à voto simplici. Bonac. de impedim. q. 3. p. 4. n. 3. Sanch. D. 25. §. 15. Mor. c. 1. n. 6. Fill. tr. 10. n. 116. Tann. T. 3. D. 5. q. 4. d. 4. n. 63. Coninch. D. 31. de Matr. d. 6. n. 67. Laym. l. 4. tr. 5. c. 1. n. 4. Suar. de Relig. T. 3. l. 2. c. 9. Tamb. in meth. conf. l. 2. c. 7. §. 5. n. 32. & alii. Neque III. Circumstantia Novitatus aut minorum ordinum. Dicast. cit. Diss. 8. n. 325. & alii. Dian. l. 1. p. tr. 7. R. 7. non enim in his cernitur specialis & distincta ab ea, quæ omnibus incumbit, obligatio servandi castitatem. Neque IV. præcisè dignitas ipsius personæ peccantis, nisi fortè accedat scandalum; uti sanè plerumque accedit, si personæ in dignitate, aut gradu aliquo eminenti, v. g. sacerdotali, religioso &c. constitu-

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

tæ peccant, Dicast. tr. 8. de Pœnit. D. 9. n. 378. ubi pro eadem sententia refert Lugo de Pœnit. D. 16. n. 179. & Sanch. de Matr. l. 7. D. 27. n. 33. Et hoc fortassis est, quod S. Bernardus voluit, cum alicubi dixit, nugas in ore secularium esse nugas, in ore sacerdotum blasphemias. Neque V. Status virginitatis. Dian. l. c. R. 10. Coninch. D. 7. d. 4. n. 19. Tambur. in Meth. conf. l. 2. c. 7. §. 4. n. 20. §. 8. n. 56. Dicast. de Pœnit. D. 9. d. 8. n. 433. Suar. de Pœnit. D. 22. f. 4. n. 6. & alii, nisi fortè violentia accedat, vel fraude, dolo, aliòve injustitiæ genere virgo defloretur. Tamb. dicto n. 56. Neque VI. cultus, seu religionis disparitas, qualis est inter catholicos, hæreticos, infideles, v. g. Judæos, Turcas &c. Azor. 3. p. l. 3. c. 29. q. 5. Tamb. n. 21. & alii, quorum sententiam Dian. 3. p. tr. 4. R. 138. se non damnare ait.

51. Jam verò VII. an & qualis exoritur intra gradus aut lineas ejusdem cognationis, breviter dicamus. Est autem cognatio triplex: Spiritualis una seu Sacramentalis; altera legalis; tertia naturalis seu carnalis, quæ alio nomine vocatur etiam consanguinitas. Distinguuntur quidem hæ cognationes inter se specie propter nimiam titularum, in quibus fundantur, diversitatem: an autem gradus ipsi, sive in linea recta, sive transversa, non est ita expeditum. Breviter tamen res ita se habet. Itaque Cognatio spiritualis oritur ex duobus duntaxat Sacramentis, Baptismi nempe & Confirmationis, & adfert novam speciem, non jam propter reverentiam sanguinis, sed Sacramenti, ex quo ortum habet; Sanch. l. 7. de Matr. D. 9. n. 9. Tamb. l. 2. c. 7. §. 7.

§. 7. n. 51. & ideo etiam hac consideratione reducitur ad aliquod genus sacrilegii, siquid adversus eam committatur. Nec ad alias personas extenditur, quam ad baptizantem & baptizatum, patrinum vel matrinam cum ipso baptizato, item ad parentes baptizati cum baptizante & patrino vel matrina. Idem est de Confirmatione, præterquam quod nomen baptizantis & baptizati mutetur in nomen confirmantis & confirmati. Ceterum conjunctio, quæ oritur ex Baptismo, non distinguitur specie ab ea, quæ ex Confirmatione suam trahit originem; utrobique enim est irreverentia contra spiritualem personarum conjunctionem: imò nec gradum à gradu in eadem conjunctione specie distingui docet Tamb. l. 1. unde etiam satis est dicere: commisi incestum spirituale. Addunt his alii tertiam cognitionis spiritualis speciem, quam dicunt oriri ex Sacramento pœnitentiæ inter confessarium & pœnitentem, sed non rectè: Non enim confessarius est verè ac propriè pater spiritualis, sed metaphoricè duntaxat. Dian. 1. p. tr. 7. R. 12. §. 56. Tamb. §. 4. n. 19. Fill. tr. 30. c. 5. n. 105. Bona. D. 5. q. 1. f. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 9. Imò neque VIII. Cognatio carnalis specie differt ab affinitate, ut S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 9. & Cajet. ibid. docent, quos Tamb. §. 7. n. 49. & alii passim sequuntur. Hinc neque IX. gradus ipsi consanguinitatis & Affinitatis, sive in linea recta, sive transversa ullam inter se habent specificam, sed numericam duntaxat differentiam. Tamb. l. 1. Fill. n. 67. Dian. 1. p. tr. 7. R. 31. §. p. 3. tr. 4. R. 67. in resol. 31. & p. 4. tr. 4. R. 234. & p. 5. tr. 14. R. 56. §. Quare.

6. §. alii. Unde, ut idem Dian. 3. p. tr. 4. R. 101. sub finem notat, omnes incestus intra limites consanguinitatis & affinitatis ejusdem sunt speciei: & satis est dicere: commisi incestum naturalem. Quamvis, quod negari non potest, unus altero sit detestabilior, & tantò magis, quantò gradus communi stipiti vicinior est: omnium gravissimus & maximè execrabilis est, qui cum propriis parentibus committitur. Tandem X. de Cognatione legali similiter dicendum est, ejus gradus inter se solo numero differre, & satis esse dicere: commisi incestum legalem. Jam nec XI. ignorantia vel error vincibilis seu culpabilis novam actui addit speciem communiter docent: & ideo ejusdem speciei peccatum committitur, si die festo Sacrum omittatur &c. sive id fiat scienter, sive ignoranter, dummodo peccans adverterit debitum inquirendi, & periculum, cui se exponit. Neque XII. inveterata peccandi consuetudo. Suar. Reginald. Bonac. & alii, quos refert Dian. 1. p. tr. 7. R. 15. quibus addendus est Lugo de pœnit. D. 16. n. 201. ubi hanc sententiam doctè prosequitur & explicat.

52. Addit tamen novam & distinctam speciem I. circumstantia Sponsalium de futuro, adeò ut sive sponsus, sive sponsa fornicetur, gravem unus alteri inferat injuriam, non quidem a dulterii, sed aliam: per eam enim verè violatur jus, quod sponsi erga se invicem habent, ne quidemquam, excepto ingressu in Ordinem religiosum, agant, quod sponsaliorum executionem queat impedire: Palaus T. 5. tr. 28. D. 1. p. 22. n. 5. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 6. Sanch. l. 1. de Matr. D. 2.

n. 5. Con'nch. D. 22. d. 1. n. 6. Dicast. tr. 8. De pœnit. D. 9. d. 8. n. 375. & in tr. de Matr. D. 1. d. 46. n. 663. & alii. II. si ad votum accedat juramentum circa eandem rem; tunc enim alia malitia est contra fidem DEO datam, alia contra obligationem, DEUM non adducendi in testem alicujus falsitatis. Sanch. l. 7. de matr. D. 27. n. 16. Tambur. in meth. conf. l. 2. c. 3. §. 2. n. 20. Lugo D. 16. n. 169. Dicast. D. 9. d. 8. n. 356. & alii. III. si ad votum obedientiæ religiosæ accedat præceptum Superioris, intendenti obligare sub peccato mortali. Nam & hinc interveniunt duæ malitiæ speciei distinctæ, una contra votum obedientiæ, altera contra præceptum Prælati: etsi enim inobediencia, quatenus est contra votum, sit ejusdem infimæ speciei, quia soli religioni & fidelitati erga DEUM adversatur; quatenus tamen est contra præceptum, non est infimæ speciei, sed accipit suam speciem ab illa virtute, ad quam res præcepta spectat: cum enim Superior aliquem virtutis actum præcipit, semper intendit honestatem talis virtutis, ut Lugo D. 16. de pœnit. f. 5. §. 2. n. 257. apud Tamb. c. 1. §. 16. n. 96. docet; v. g. cum Pontifex certo die jubet sacrum audiendum, censendus est honestatem religionis, cum ea auditio sit actus ejus virtutis, intendere, & ex ipsius motivo talem actum præcipere. Similiter si jejunium præcipiat in quadragesima, vel vigiliâ alicujus Sancti, censetur ex motivo temperantiæ, cum actus jejunandi ad eam spectet, principaliter præcipere. Unde violatio jejunij præcepti continet malitiam intemperantiæ, violatio festi ex

præcepto servandi est contra religionem, & sic de alijs. Et ideo Religiosus v. g. violans præceptum Prælati, debet etiam materiam præcepti in confessione explicare, ut cognoscatur, in qua specie sit actus, v. g. non est satis dicere: non obtemperavi præcepto Prælati, vel Ecclesiæ, sed necesse est dicere, & sufficit: non obtemperavi Prælati, vel Ecclesiæ præcipienti Missam, vel jejunium: prior enim transgressio religioni adversatur, posterior verò temperantiæ. Jam si ad ejusmodi præceptum etiam votum audiendi Missam, jejunandi &c. accedat, nova in tali transgressione malitia continetur contra votum Bonac. D. 5. q. 5. f. 2. p. 2. §. 3. diffic. 3. n. 24. & de eo nemo dubitat. Hinc Franciscanus feriâ sexta v. g. in quadragesima non jejunans, duo peccata committit, unum contra præceptum Ecclesiæ, & Superiorum id præcipientium, alterum contra votum obedientiæ, quo se ad servandam regulam obstrinxit, Bonac. de peccat. D. 2. q. 4. p. 3. n. 7. quòd si verò ejusmodi votum non fecisset, sed regula more alterius legis jejunium illud præscriberet, esset unicum peccatum. Sanch. l. 4. mor. c. 11. n. 42. & 53. & alii.

53. IV. Etiam circumstantia impotentiae ad copulam carnalem adfert specificam differentiam. Et ideo frigidus & evnuchus debent hanc circumstantiam explicare, cum faciat talem copulam esse etiam contra naturam, quia non habet finem à natura alioquin intentum. Sanch. de matrim. l. 7. D. 5. n. 14. Tamb. l. 2. c. 7. §. 4. n. 24. Dian. 3. p. tr. 4. R. 139. & p. 6. tr. 6. R. 35. Less. l. 4. de just.

just. c. 3. d. 6. n. 45. Lugo Disp. sæpius jam citata, n. 175. Dicast. D. 9. d. 8. n. 374. & alij tam communiter, ut Fill. *tr. 10. p. 2. c. 1. n. 23.* immeritò dixerit, rem esse valde dubiam. V. si habens votum v. g. castitatis, alteri simile votum non habenti sit seu consilio seu auxilio directa causa & auctor peccandi contra castitatem: peccat enim etiam ipse contra castitatem & suum votum; castitas enim (idem est de qualibet alia virtute) licet me directè non obliget, ut positivè procurem in alio ejus observantiam, obligat tamen indirectè, ne alios directè ac positivè inducam ad ejus violationem, Coninch. *de fide D. 15. d. 4. n. 79.* Palaus. *T. 1. tr. 4. D. 1. p. 13. n. 8.* Joan. Sancius in *selectis D. 47. n. 9.* Tamb. *c. 1. §. 17. n. 100.* Unde talis præter malitiam scandali (de qua non est dubium) tenetur etiam circumstantiam sui voti (siquidem jam antea non sit nota) aperire. Quanquam dici potest, indirectam illam, quam dixi, obligationem non provenire ex propria sed aliena castitate: votum verò emisum ex intentione voventis (hæc enim est obligationis votorum mensura) non ad alienam, sed propriam tantum castitatem custodiendam obligare, & idcirco circumstantiam voti, in inducente aliò ad peccandum, nihil speciale addere, atque adeo satis esse, si rationem & malitiam scandali modo infra tradendo exponat, Sanch. *l. 5. mor. c. 6. n. 10.* in simili, Tamb. *§. 5. n. 33.* Dian. *9. p. tr. 8. R. 66.* & alij. VI. Ratio officij, seu muneris publici, quod quis gerit, inducit obligationem justitiæ, & idcirco speciem peccati commissi transfert in aliam speciem, nempe injustitiæ, Laym. *l. 1. tr. 2. c. 3.*

n. 7. §. tertio nota. v. g. unusquisque ex charitate obligatus est impedire, si commode possit, sui proximi damnum, cui obligationi potest accedere alia v. g. justitiæ, quia nempe est Gubernator, aut publicum Magistratum gerit &c. jam si talis malum illud non avertat, non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam peccat, & idcirco sui status circumstantiam explicare tenetur. Quod intellige, si alios ab eo malo inferendo non avertat: si enim ipse tale damnum inferat, ratione sui officij non contrahit novam malitiam: vi enim sui officij non sua, sed aliena delicta impedire tenetur, Tamb. *l. 2. c. 8. §. 1. n. 2.* Dian. *1. p. tr. 7. R. 36.* Henriq. *l. 2. c. 6. n. 3.*

Circumstantia Quid?

54. Hæc circumstantia ad tria, ut supra n. 38. vidimus, capita reduci potest: ad rem concupitam; ad personam, ad quam peccatum terminatur, & ad effectum ex peccato subsecutum. Ad rem ergo quod attinet, I. si ea sacra sit, addit speciem sacrilegij. Nomine autem rei sacræ intelliguntur Sacramenta, vasa sacra, ut calices, vestes sacræ, item illa, quæ vulgato nomine Sacramentalia vocantur, ut aqua benedicta &c. item illa, quæ vel significant sacra, ut verba Sacræ scripturæ, vel representant sacra, ut Imagines Christi, Beatissimæ Virginis aliorum que sanctorum, Bonac. *de præcept. D. 3. q. 6. p. un. n. 4.* Et ideo sacrilegè peccat, qui rem sacræ, v. g. calicem, aut positam in loco sacro sub custodia furantur, Bonac. *n. 7.* qui verbis Sacræ scripturæ abutuntur ad superstitiones, ridicula, jocos, hæreses confirmandas:
item

item qui rebus divinis miscent misticam lascivam aut vanam. Reginald. l. 19. n. 57. Bonac. n. 5. item qui indecorè pingunt imaginem sacram, v. g. B. Virginis ad modum feminæ vanæ: item qui reliquias Sanctorum irreverenter tractant, Bonac. n. 6. item qui abutuntur vasis aut vestibus sacris ad se vestiendum, ad bibendum ex illis &c. Reginald. n. 57. Bonac. n. 7. item qui Sacramenta indignè & irreverenter tractant, quod fit, si ea in statu peccati mortalis constituti administrant, recipiunt, aliquid contra eorum substantiam admittunt, aut ad vana & superstitiosa velut media adhibent, ut infra p. 3. n. 326. dicitur. Reginald. l. c. Bonac. n. 8. & alij.

55. II. Quantitas verò materiæ, circa quam actus versatur, non addit novam malitiam specie distinctam: malitia enim furti v. g. non in eo consistit, quòd parum sit vel multum, quòd auferitur, sed in eo, quòd auferatur alienum invito rationabiliter domino: quæ sanè in omni seu parvo seu magno furto reperitur. Illud tamen hoc loco bene est advertendum, quòd in his, quæ ex quantitate materiæ possunt esse peccata vel venialia vel mortalia, necessarium omnino sit, ut ante omnia deveniamus ad eam quantitatem, quæ ad peccatum mortale constituendum requiritur, & sufficit: tum enim hac supposita dicemus, id, quòd istà majus est, speciem intra illud genus peccati non mutare; sed aggravare, & quidem tantò gravius, quantò major fuerit ille excessus: sic si ponamus, in genere furti sufficientem ad peccatum mortale materiam esse unum talarum, quidquid supra illum est, non

addit novam speciem, sed eam, in qua est ipsum furtum, tantum aggravat, prout majus vel minus fuerit illud augmentum. Sicut furtum 5. talarum gravius est illo, quòd est trium; gravius est, quòd est 100. vel mille, quam quòd est decem, viginti &c. & ita in similibus. III. Intentio non addit novam speciem: gravissimum ergo & intensissimum odium est ejusdem speciei cum illo, quòd est valde remissum & languidum. Suar. T. 4. in 3. p. D. 22. s. 4. n. 13. & alij. Nec IV. Duratio actus, quamcunque longa sit, per se mutat ejusdem actus speciem. Valq. T. 4. in 3. p. 9. 91. a. r. dub. 4. n. 5. Bonac. D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 28. & alij. An autem & quomodo diversitas præceptorum diversificet peccata, dicitur infra.

56. Si personæ, ad quam terminatur peccatum, conditio aut qualitas spectet ad singularem & specie distinctam virtutem, adfert specificam differentiam. Et ideo si is, qui occiditur, aut percutitur, sit parens occidentis &c. ad speciem homicidij additur malitia parricidij; sacrilegij verò, si sit persona DEO sacra. Bonac. de panit. D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 15. ex communi: similiter si is, cujus fama per detractionem, honor per contumeliam &c. læditur, sit parens (quo nomine venit etiam avus, & proavus) detrahentis &c. detractioni, contumeliæ &c. superadditur malitia contra pietatem, quæ est specialis virtus, parentibus &c. debita. Tamb. in meth. conf. l. 2. c. 5. §. 1. n. 2. Bonac. n. 15. & alij.

Ceterum an vota & juramenta differant specie ex diversitate materiæ voto vel juramento firmata; item blasphemæ

miæ ex diversitate eorum, in quas jactantur, detractioes ex diversitate bonorum famæ, imprecationes ex diversitate malorum, quæ quis alteri imprecatur &c. constabit infra in catalogo peccatorum, ubi de his & similibus in particulari agetur. De incestu, an ex diversitate conjunctionum inter personas oriatur specifica differentia, jam supra n. 51. dictum est. An autem effectus peccati sit in confessione necessariò aperiendus, jam supra n. 41. monui, infra decidendum esse.

Circumstantia Ubi?

57. In Loco duæ ferè conditiones aut qualitates in considerationem venire solent, an ex iis specialis malitia in ipsum actum, qui in tali loco committitur, derivetur. Et hæ sunt, si locus sit sacer, aut publicus. Itaque si ob loci, in quo peccata committuntur, sanctitatem & reverentiam, quæ tali loco competit, ab Ecclesia (ab hujus enim constitutione res ista pendet & decidenda est) speciali aliquo religionis præcepto expressè prohibeantur quædam opera, ob istam prohibitionem contrahunt etiam specialem malitiam ratione religionis, cui ob illud præceptum specialiter etiam opponuntur. Et ejusmodi opera sunt tria. I. furtum in loco sacro rei etiam non sacræ, siquidem ea res ad locum illum spectet ad modum custodiæ, & in eodem velut in asylo aservetur, vel per modum pignoris, depositi aut mutui sub illius sit potestate. Less. de justit. l. 2. c. 45. n. 14. Coninch. D. 7. d. 4. n. 22. Reginald. l. 15. c. 6. n. 42. & alii. II. Sanguinis aut seminis humani culpabilis & injuriosa effusio, Laym. l. 5.

tr. 5. c. 5. n. 7. Et quid em sanguinis effusio debet esse enormis, & ex injuriosa & gravi percussione aut vulnere: & idcirco specialem malitiam ratione loci sacri non continet, si pauculæ tantum guttulæ effluant, quia non est effusio, neque si fiat ex venæ sectione, quia non est injuriosa; neque si ex levi percussione vel vulnere, v. g. narium in rixa puerorum fiat, et si copiosus sanguis effluat. Busenbaum l. 6. tr. 3. c. 3. Laym. n. 8. & alii. Seminis verò humani effusio, ut ratione ejusdem loci sacrilega sit, debet esse notoria & illicita, sive dein fiat per voluntariam pollutionem (probabiliter tamen non etiam per occultam) Dian. l. p. tr. 7. R. 26. & p. 7. tr. 11. R. 31. & p. 9. tr. 9. R. 5. ubi ipse contrariæ sententiæ adhæret; Suar. T. 1. de Relig. l. 3. c. 1. n. 4. sive per carnalem copulam fornicariam, imò etiam conjugalem. Sanch. mox referendus. n. 8. si hæc ob urgentem necessitatem, aut periculum incontinentiæ à mortali non excusetur. Laym. n. 8. Sanch. l. 9. de matr. D. 15. n. 9. Coninch. q. 83. a. 3. dub. 1. n. 230. & seq. & alii. Et hæc actiones ex speciali Ecclesiæ prohibitionem ob reverentiam loci sacri continent specialem rationem sacrilegii.

58. Quæ sequuntur, etsi & ipsæ sint ab Ecclesia prohibitæ, non tamen ita, ut ea de causa reddantur sacrilegæ. Itaque III. specialiter etiam prohibita est omnis actio, quæ est contra libertatem vel immunitatem Ecclesiæ, qualis est extractio violenta confugientium ad ecclesiam, si quidem tali privilegio jure gaudeant; Laym. l. 4. tr. 9. c. 3. n. 14. qui hoc ipso cap. à n. 6. ostendit, quænam sint delicta, quorum reus si quis sit, dicto

dicto privilegio, ut gaudeat, non est dignus. IV. Processus seu tumultus iudiciorum secularium, ex cap. *Decet. de immunitate Ecclesiarum. in 6.* Et præterea V. nundinatio, mercatus & alia profana clamorosa, quæ de se impediunt cultum divinum. Reginald. l. 15. c. 6. n. 42. apud quem n. 44. Fumus damnat peccati mortalis eos, qui in fixo certoque loco sedentes vendunt imagines, candelas &c. sed ipse Reginaldus hoc excusat. Procedit autem hæc doctrina, etsi aliquis sola mente consentiat in ipsa opera patranda in ipsa Ecclesia; secus si in Ecclesia existens consentiat in eadem opera extra Ecclesiam perpetranda. Dicast. tr. 8. D. 9. d. 8. c. 3. q. 2. n. 656. Bonac. de præcept. D. 3. q. 6. p. un. §. un. n. 18.

59. Ceterum nomen loci sacri in ordine ad effectum refugii seu asyli latius accipitur, quam in ordine ad sacrilegii malitiam contrahendam: si enim priori modo accipiatur nomen loci sacri, eo intelligitur non sola Ecclesia cum suis Capellis, sed etiam Sacrificia, cæmeteria fidelium sepulturæ destinata auctoritate Episcopi, campanile, turris, tectum, scalæ, atrium, porticus &c. Monasteria religiosorum quoad clausuram, id est, claustrum, dormitorium, hortum, domum familiæ, & animalium, hospitalia auctoritate Episcopi erecta, de quibus omnibus videri possunt Diana in Summa V. Immunitas Ecclesiarum. à n. 2. usque ad n. 12. Sanch. l. 9. de matr. D. 15. n. 23. §. 42. Tamb. l. 2. r. 7. §. 5. n. 40. & alii. At verò si de loco sacro, quatenus ex eius sanctitate, quæ violatur, sacrilegii malitia in actum derivatur, sit sermo, non tam amplè accipitur, quam an-

tè; hic enim in odiosis versamur, antè autem eramus in favorabilibus. Itaque in ordine ad hunc effectum nomen loci sacri intelligitur sola Ecclesia cum suis adherentibus Capellis consecrata, vel saltem ab Episcopo benedicta, & cæmeterium divinis officiis celebrandis, aut fidelium sepulturæ destinatum? In his ergo solis, si, quæ priori numero recensita sunt, delicta committantur, malitiam sacrilegii contrahunt; non autem, si in aliis, quæ memoravimus, locis fiant. Dicast. tr. 8. D. 9. d. 8. c. 3. q. 5. n. 667.

60. Jam verò quod ad reliqua peccata in loco sacro etiam publicè commissa attinet, ex hoc quidem capite non contrahunt malitiam sacrilegii. Et idcirco oscula, tactus & locutiones turpes, modò sine seminis effusione fiant, non sunt sacrilega, nec specialiter in eorum confessione locus aperiendus: Sanch. n. 21, Navar. in man. c. 6. n. 10. Reginald. l. 15. c. 6. n. 42. Bonac. de peccatis D. 2. q. 4. p. 3. n. 9. Tamb. n. 38. & alii. Ratio est, quia sacrilegium hoc, ut Sanch. ibid. notat, committitur ex eo, quòd vel Ecclesia, & quidem non nisi per sacrorum canonum constitutionem, violetur, vel immunitas & securitas ad eam confugientium auferatur: atqui nec per tactus quantumcunque turpes (seclusa tamen semper pollutione) nec per alia peccata, præter prædicta, violatur Ecclesia: ergo &c.

61. Dixi autem: *Ex hoc quidem capite.* Si quis enim alia in loco sacro cum magna Ecclesiæ irreverentiâ exerceret, v. g. amasiam publicè ante altare lascivè tangeret, oscularetur, lascivas comædias in templo repræsenteret, non esset negandum,

gandum, hunc talem sacrilegii scelus in sua propria specie commissurum, etiam seclusa omni humana prohibitione: quia esset gravis irreverentia divini cultus, atque adeo ipsius summi DEI notabilis injuria. Tamb. n. 39. & Lugo D. 16. f. 10. n. 467. ab ipso relatus. Et universim in omnibus peccatis, commissionis & externis, in templis commissis Lugo. n. 466. apud Dicast. tr. 8. de penit. D. 9. dub. 8. c. 3. q. 2. n. 657. consentientem, agnoscit aliquam irreverentiam, propter loci sanctitatem, ratione cujus indecens videtur, ut locus divino cultui & obsequio deputatus, convertatur in locum offendendi DEUM: quod ipsum etiam Reginald. n. 41. monet.

62. Hæc de loco, ut sacer est: de eo, ut est publicus, aliud, quod hoc loco tenendum sit, non superest, quam quod ex ista loci conditione nulla in actum specifica malitia refundatur, per se loquendo: quod addo propter rationem scandali, hæc enim actui, si in publico exercetur, sæpe supervenire potest, quantumvis alioqui ille si alibi fieret, subinde etiam licitus esset & honestus, sic conjuges si actum matrimonii in publico foro exercerent, graviter utique peccarent peccato scandali, aliàs non peccaturi, si in occulto clam aliis matrimonio uterentur. Et huic scandalo obnoxii sunt ferè omnes peccantes publicè, cum sicut ex una ove morbida inficitur torus grex, ita etiam uno publicè fornicante aut aliud scelus committente totus populus maculetur, ex cap. sed illud, dist. 45. quod vel maximè in Prælatos jactari potest, qui ex cap. Præcipuè II. q. 3. tot mortibus digni sunt,

quot perditionis exempla transmittunt. Reginald. n. 45. Coninch. D. 7. d. 4. n. 22.

Circumstantia Quibus auxiliis?

63. Dat novam speciem, si in usu talium instrumentorum adsit specialis prohibitio obligans sub mortali, vel in applicatione talium mediorum appareat specialis aliqua indecentia aut malitia contra aliam specialem virtutem, uti si Sacramentis, v. g. penitentiae, velut medio utaris ad committendum v. g. furtum. Dicast. l. c. n. 667. illa enim est specialis malitia contra religionem, & specialiter in confessione explicanda. Quod universim de quocunque medio seu instrumento, adferente ex se aliam malitiae speciem, dicendum est. Idem est, si sacræ Eucharistiæ velut medio abutaris ad exercenda veneficia &c.

64. At verò si auxiliator vel concursa peccati sit alius homo, distinctione opus est. Vel enim penitens istum alium inducit ad cooperandum suo peccato, vel non? In hoc posteriori casu, proprio ipsius penitentis peccato nihil malitiae novæ accedit, & idcirco non est necessarium, ut penitens dicat, an solus fecerit, vel habuerit socios delicti. Suar. D. 22. f. 4. n. 16. Tamb. l. 2. c. 1. §. 10. n. 70. In priori autem casu, quando nimirum intercedit inductio alterius personæ, cujus opera ad peccatum perpetrandum quis utitur, qualitas ejusmodi personæ sæpe tribuit novam speciem. Tamb. n. 71. v. g. si filium inducas ad suum ipsius parentem inimicum tuum occidendum; tunc enim tua inductio ad hoc homicidium præter malitiam scandali

dali contineret etiam malitiam patricidii contra pietatem. Item si alium voto castitatis obstrictum inducas, ut suis impudicis tactibus te polluat, contrahis malitiam etiam sacrilegii contra religionem, & teneris istam personam sacra circumstantiam specialiter explicare: quod intellige, si persona, cujus operam ad peccandum uteris, suum ad tuum peccatum concursum voluntarie præster, & peccet; si enim in eo concursu à peccato, quacunquē de causa, excusetur, non erit illa personam circumstantiam specialiter explicanda, v. g. si is, cujus operam ad pollutionem in te procurandam adhibes, dormiat, vel in alio simili statu sit, in quo non sit rationis compos. An autem & quomodo numerus personarum, ad concurrendum cum tuo peccato inductarum, sit exponendus, dicitur infra, ubi de scandalo.

65. Tandem in divinationibus non est necesse exprimere, an factæ sint per somnia, aërem, aquam, terram, stellas, carmina & similia, per quæ quis divinavit: hæc enim non mutant speciem. Dian. 1. p. tr. 7. R. 46. & 66. Reginald. l. 6. c. 4. n. 114. Bonac. D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. §. 3. diff. 1. n. 5. Sanch. l. 2. Mor. c. 38. n. 12. Tamb. l. 2. cap. 2. num. 14. & alii.

66. Quoniam autem divinationes non fiunt, nisi intercedente aliquo pacto cum dæmone, idcirco videndum, quale hoc sit, implicitum vel explicitum, etsi enim alioqui explicitum ab implicito non videatur differre, quia tamen in pacto explicito semper intervenit actuale cum dæmone commercium, & promissio ei facta, idcirco etiam videtur continere ma-

R. P. Stoz Trib. Panit.

litiam essentialiter distinctam ab ea, quæ est in pacto implicito; in isto enim nihil istorum reperitur. Unde etiam specialiter in confessione explicandum est, si divinationes fiant cum expresso pacto cum dæmone, ut in judiciaria astrologia de eventibus futuris liberis; in chyromantia, & auguriis, quando juxta leges suas fiunt. Tamb. n. 15. & alii. Ceterum divinationes per pactum duntaxat implicitum possunt quandoque excusari à peccato mortali, nempe tunc, cum vel intercedit simplicitas, & ignorantia non crassa & affectata, vel fides certa non adhibetur, sed tantum timor quidam aut suspicio futuri eventus concipitur. Laym. l. 4. tr. 10. c. 3. n. 4. Suar. T. 1. de relig. l. 2. de superstit. c. 18. n. 6. Sanch. l. 2. c. 38. n. 19. & 21. Et idcirco, qui Ægyptios aut Zingaros, ut vocant, de fortuna sua aut aliorum consulunt, per se peccant quidem mortaliter; si tamen id solius curiositatis, vel risus, vel joci causam faciant, ut sit communiter, venialiter tantum. Sanch. n. 20. & 48. & alii.

Circumstantia Cur?

67. Tribuit actui malo malitiam, eamque vel numero vel specie diversam, prout nimirum objectum electionis specie vel numero differt à fine. Itaque quando in ipso fine extrinseco reperitur specialis malitia contra aliam distinctam virtutem, ut si fureris propter fornicandum, propter committendum homicidium &c. ejusmodi electio sive furtum duplicem malitiam specie distinctam habet, unam intrinsecam ex proprio objecto, alteram extrinsecam ex fine. Tamb. l. 2. c. 1. §. II. n. 74. Suar. D. 22. s. 4. n. 8. Reginald. l. 15.

D

l. 15. c. 7. n. 47. & alii passim. Et idcirco hæc circumstantia necessariò est explicanda. Quòd si media sint ejusdem cum fine malitiæ specificæ, & ordinariè cum eodem soleant esse conjuncta, censentur idem numero peccatum cum fine. Suar. n. 24. & alii. Unde oscula, tactus impudici & similia, etsi ipsa de se sint peccata mortalia specialiter confitenda, tamen si fiant ex intentione copulæ futuræ, unum peccatum cum actû principali constituunt, si copula statim sequatur; idcirco etiam in confessione non sunt peculiariter explicanda. Dian. 4. p. 17. 4. R. 205. ubi etiam ad similes tactus &c. copulam mox subsequentes extendit.

68. Dubitant hîc, an tam finis, quàm peccatum, assumptum tanquam medium ad illum, possint velut distincta peccata separatim explicari, dicendo, furatus sum, & mox habui voluntatem peccandi, absque eo, quòd explicetur ordo unius ad aliud. Dian. 1. p. 17. 7. R. 23. Suar. f. 9. n. 9. & alii affirmant. Sed Tamb. n. 76. Lugo. D. 16. n. 652. negant; saltem cum prima vice ejusmodi peccatum est aperiendum: aliàs enim non explicaretur tunc peccatum, quod fuit commissum, sed aliud; in ea enim separatione significaretur, duo peccata commissa esse, cum tamen unum duntaxat sit perpetratum, duplici malitia infectum. Sed de hoc redibit quæstio infra.

69. Si tamen finis contineat malitiam solum venialem, non est necessariò aperiendus: ut si confitearis ad caprandam vanam gloriam, aut fureris ad inanem aliquam pompam ostendendam: habet enim se finis iste, ut alia peccata venia-

lia, quæ non esse necessariam confessionis materiam constar.

70. Imò si finis nullam aliam habeat malitiam præter malitiam objecti seu medii, omnino non est explicandus: ut si quis omitat sacrum propter studium, aut etiam longiores preces privatim domi recitandas &c. satisfacit dicendo: omisi sacrum, quia studium, oratio &c. non habent aliam malitiam ab ipsa omissione. Tamb. n. 74. Suar. D. 22. f. 4. n. 11. Coninch. D. 7. d. 4. n. 24. & Dicast. tr. 8. D. 9. d. 8. c. 4. n. 693. Lugo. D. 16. n. 479. & alii passim.

Circumstantia Quomodo?

71. Quandoque etiam addit specificam differentiam, cum nimirum speciali alicui virtuti repugnat. Hinc violentia, quæ nonnunquam reperitur in modo auferendi alienum, constituit novam speciem rapinæ in furto, ut si fureris, domino rei sciente & renitente. Tamb. l. 2. c. 5. §. 1. n. 3. Vis, quæ reperitur in virginis renitentis oppressione, constituit speciem stupri in genere luxuriæ: opponitur enim ea Justitiæ: sic & fraus, ac dolus. Tamb. c. 7. §. 8. n. 59. Less. l. 2. c. 10. d. 1. Hæc etiam si quis ex formali contemptu transgreditur præceptum, alioqui in se ipso peccat graviter. Etsi alioqui contemptus sit circumstantia quedam generalis, in quolibet peccato inclusa (cum omnis peccator contemnat vel vilipendat, vel rem ipsam præceptam, vel præcipientis seu DEI, seu hominis auctoritatem) si tamen ipsa transgressio ex directa & formali vilipensione vel præcepti, vel ipsius præcipientis seu DEI seu hominis proveniat, mutat speciem in-

obe-

obediendiæ, additque novam malitiam contra reverentiam seu observantiam superioribus debitam. Palæus *T. 1. tr. 2. D. 2. p. 9. §. 2. n. 6.* Bonac. *de præcept. D. 2. q. 3. p. 5. n. 10.* Laym. *l. 1. tr. 3. c. 7. n. 4.* Sanch. *l. 1. Mor. c. 5. n. 11.* Suar. *de Leg. l. 3. c. 28. n. 24.* Et idcirco hæc circumstantia specialiter est in confessione explicanda. Bonac. *n. 16.* & alii communiter. Sic etiam si quis hominem à se jam occisum adhuc multis vulneribus confodiat vel membratim discerpat, jecur, cor &c. extrahat, contrahit specialem malitiam feritatis seu crudelitatis. Tamb. *l. 2. c. 6.* Lugo *D. 16. f. 12. n. 497.* Bonac. *D. 5. q. 5. f. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 18.* Suar. *D. 22. f. 4. n. 13.* Dicast. *tr. 8. D. 9. d. 8. c. 5. n. 704.* Et hoc multo magis, si id in vivo attentet. Quod ipsum etiam alij dicunt de eo, qui bestiam v. g. canem ex nulla alia causa, quam ad se oblectandum, aut dominium, quod in bestias habet, ostendendum excoriat, & vivum affat: est enim hæc crudelitatis quædam species.

72. Reliqui modi, ut est magna intensio, vel nunquam, vel raro admodum mutant speciem malitiæ, sed malitiam intra eandem speciem solum augent. Reginald. *l. 15. c. 8. n. 50.* Et ideo in ordine ad confessionem faciendam non sunt in consideratione. Quæcumque ergo odium, ex quo alium occidis, grave sit; quamcunque amor, ex quo fornicaris, magnus sit & calidus, ex hoc præcisè capite nullam novæ malitiæ speciem contrahis. Suar. *l. c.*

Circumstanti Quando?

73. Ferè semper tantum auget mali-

tiam actus intra eandem speciem, ut si quis peccat die festo, Dominico, in quadragesima, Sabbato sancto, die Parasceves, aut Paschatis, aut quo quis Sacramenti refectus est &c. nihil enim in his diebus reperitur, quod in morali æstimatione eò usque augeat malitiam actus, ut eam etiam ad novam transferat speciem Lugo *n. 523.* Suar. *D. 22. f. 4. n. 21.* Tamb. *l. 2. c. 7. §. 5. n. 41.* Dicast. *tr. 8. D. 9. d. 8. n. 722.* Bonac. *D. 5. q. 5. f. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 29.* Dian. *1. p. tr. 7. Reg. 32.* Coninch. *D. 7. d. 4. n. 27.* Navar. in *Man. c. 6. n. 9.* nisi fortassis ex aliquo capite DEO ejusque cultui notabilis aliqua irreverentia irrogetur, ut, si quis ludos publicos, præsertim obscænos comædias, aut spectacula ludicra in ipso die Veneris Sancto v. g. perinde ut tempore bacchanalium, vellet exhibere; videretur enim hæc gravissima irreverentia erga sacratissimum illum diem, quo memoria Dominicæ passionis specialiter ab Ecclesia recolitur. Lugo *n. 524.* Tamb. *l. c.*

74. Sed & ratione specialis præcepti graviter obligantis contingere potest, ut circumstantia temporis addat speciem, ut, si quis feriâ sextâ vel in vigilia alicujus Sancti, aut in quadragesima comedat carnes, die festo omittat sacrum, exercent labores serviles, aut alia opera prohibita.

75. Sed quid si eodem die duplici titulo, aut præcepto audiendum sit sacrum, jejunandum; ut si in diem Dominicum incidat festum alicujus Sancti, v. g. S. Jacobi Apostoli; si vigilia S. Matthiæ occurrat feriâ sextâ quatuor temporum quadragesimæ: Num qui sacrum tunc omittit, violat jejunium &c. plura committit peccata? ita quidem sentit Coninch.

D. 2

D. 7.

D. 7. d. 6. n. 47. Reginald. l. 6. n. 129. Verùm rectius id negant Bonac. n. 24. Suar. n. 22. Sanch. l. 9. de Matr. D. 15. n. 6. & l. 1. Mor. c. 14. n. 9. Tamb. l. 2. c. 1. §. 16. n. 98. Excipe, nisi alius distinctus specie titulus concurrat, ut si ad præceptum jejunandi, audiendi sacrum &c. accedat etiam votum; tunc enim utriusque hæc circumstantia esset aperienda. Suar. Bonac. Sanch. l. cit. & est in confesso.

76. Duratio seu mora in peccato, quamcunque ea longa sit & diuturna, non transfert peccatum in aliam speciem, per se loquendo: quod addo, quia per accidens ratione accedentis perfectæ advertentiæ potest fieri, ut peccatum, quod ex imperfectione actûs, seu defectu plenæ advertentiæ tantum est veniale, fiat mortale, de quo nemo dubitat. Peccatum ergo, ex suo genere veniale, aut mortale in tali specie, quacunque morâ continuetur, non fiet illud mortale, nec istud in alia specie constituetur, quia ratione moræ seu durationis præcisè semper retinet suam, in qua verè est, speciem. An autem & quomodo nihilominus debeat aliquando à penitente præsertim ab inveterato peccatore explicari, dicitur p. 3. n. 177. & maximè à n. 600.

ARTICULUS VII.

Deducuntur ex dictis nonnulla n. sitiora documenta ad facilitandam confessionem.

77. I. Peccata mortalia omnia, quantum humana & morali diligentia adhibita fieri potest, necessario in sua, in qua verè sunt, specie sunt exponenda. Et id-

circo etiam omnes omnino circumstantiæ, quæ speciem actûs mutant, non possunt in Confessione, nisi sacrilegè, reticeri. Hæc est communis & indubitata Theologorum sententia, fundata partim in auctoritate Concilij Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7. partim etiam, quia nullum peccatum mortale remittitur sine altero; quæ est rursus certa sententia: ergo omnia & singula sunt aperienda in confessione, cum nullum remittatur, nisi quod ad hoc factum tribunal est delatum.

Debent verò hæc peccata esse illa, quæ post Baptismum sunt commissa: ea enim, quæ ante Baptismum committuntur, per ipsum Baptismum remittuntur, nec reservantur ad sacramentalem absolutionem, post Baptismum à legitimo Judice conferendam.

78. II. Circumstantiæ impertinentes non sunt apta confessionis materia, & idcirco omnino reticendæ; speciem enim peccati nec mutant, nec augent, nec minuunt, & idcirco etiam impertinentes vocantur. Ad quid ergo confessionem deferantur?

79. III. Circumstantiæ generales, seu, ut alio nomine compellantur, transcendentales non sunt specialiter in confessione exprimendæ. Suar. D. 22. f. 4. n. 15. Bonac. diff. 3. n. 23. Ubi licet solum loquantur de ingratitude, eadem tamen est ratio reliquarum sub hoc nomine comprehensarum circumstantiarum: cum enim, hoc ipso quod generales, sint imbibitæ in quovis mortali peccato, per se intelliguntur; supervacaneum ergo est, eas specialiter explicare, & dicere, se, cum die festo sacrum omisit, DE O ingratum

gratum fuisse, inobedientem &c. Quod si tamen ea circumstantiæ formaliter & quasi reflexè intendantur, v. g. ex expresso affectu & voluntate se DEO non submittendi, ejusin præcipiendo auctoritatem contemnendi &c. essent omnino specialiter etiam exponendæ; singulæ enim virtutes videntur magis & specialiter ad hoc obligare, ut peccata contra illas non fiant formaliter, quàm ad hoc ut non fiant solùm materialiter. Unde si quis cultum DEO debitum denegat non audiendo sacrum die festo, ex formali expressâ intentione ipsius irreligiositatis, & propter affectum inhonorandi DEUM, committet peccatum in genere irreligiositatis, specie diversum ab eo, quod committit, si ex affectu erga studia, pecunias lucrandas &c. DEO cultum debitum non deferat.

80. IV. Circumstantiæ, quæ peccati speciem augent, vel minuunt tantùm venialiter, non sunt necessariò exprimendæ in confessione; possunt tamen, si pœnitenti libuerit, exprimi: talium enim circumstantiarum eadem est ratio, quæ est cujuslibet alterius peccati venialis; quod non esse materiam confessionis Sacramentalis necessariam, expressum est in dicto Concilio Trident. *cap. 5.*

81. V. Circumstantia, ratione cujus peccatum, quod alioqui seclusâ illa circumstantiâ veniale duntaxat est, evadit in mortale, aperienda est: etsi enim peccatum mortale & veniale aliquo modo non differant specie, quando eidem virtuti opponuntur; tamen in ratione injuriæ & offensæ divinæ ea inter se differre specie est omnino certum. Unde furtum leve, etsi in hoc genere, nempe fur-

ti, non differat specie à furto magno, tamen in ratione divinæ offensæ maximè differt, & specialiter exponendum in confessione, an quantitas furto sublata sit ea, quæ communiter dicitur sufficere ad constituendum peccatum grave. Bonac. *n. 4. & 6.* Coninch. *D. 7. d. 3. n. 10.* Suar. *D. 22. f. 2. n. 7.*

82. VI. Circumstantiæ, quæ peccatum ita minuunt, ut, quod ijs seclusis fuisset mortale, ratione earundem fiat vel nullum peccatum, vel certè veniale tantùm, necessariò sunt in confessione exprimendæ. Bonac. *l. c.* & alij; alioquin enim mendacium in ea committeretur; siquidem tanquam mortale proponeretur, quod tamen revera non esset commissum: ut si is, qui in extrema necessitate constitutus accepit, in notabili quantitate sibi necessariâ, rem alioquin extra casum necessitatis non suam, accuset se absolutè de hac surreptione, tanquam de furto facto in quantitate notabili, adeòque ad peccatum mortale sufficiente, peccat, nisi bona fides eum excuset, mortaliter: sicut & is, qui ex inculpata inadvertentia aut oblivione, excusante à mortali, omittit horas Canonicas, ad quas tenetur, aut comedit carnes die jejuniij, & tamen de ea omissione aut comestione absolutè se accusat, nullâ suæ inadvertentiæ mentione factâ; tales enim se de peccato accusant, quod tamen non commiserunt, atque adeò in re gravi mentiuntur in confessione.

83. VII. De circumstantijs merè aggravantibus, hoc est, ijs, quæ peccatum à sua, quam primitus habent, ad aliam speciem malitiæ non extrahunt, sed intra illam relinquunt; in ea tamen secundùm

prudentem hominum existimationem aggravant, magis vel minus notabiliter, quò nempe excessus supra primam malitiam major vel minor, gravior vel minus gravis fuerit; de his, inquam, circumstantijs jam diuturna & gravis inter Auctores est controversia, an sint necessario explicandæ, ita ut earum omissio confessionem reddat omnino invalidam. Explicandas esse, tuentur 18. Doctores apud Henriq. *l. 5. c. 7. §. 6.* inter quos præcipui sunt Alensis, Richard. Major, uterque Sotus, Victoria, Canus, Ledesma ex Suar. *D. 22. f. 3. n. 5.* ubi eos sequitur, quibus ex Laym. *l. 11. tr. 2. c. 10. n. 2.* addendus Bartholomæus Medina & Lopez. Eandem sententiam tenent ex nostris Henriq. Suar. citr. Rebell. de oblig. *1. p. l. 2. q. 17. f. 2. n. 7.* Filliuc. *tr. 7. c. 4. n. 88.* Coninch. *D. 7. d. 3. n. 13.* Sanch. *l. 2. Mor. c. 32. n. 39. & l. 4. c. 14. n. 24.* Fagund. *l. 4. de 2. præcept. Eccles. c. 2.* & multi alij ex recentioribus: nec defunt ex illis aliqui, qui oppositam sententiam gravi censurâ notant, dum eam vocant improbabilem, imò & scandalosam: Didacus verò Nugnus. *T. 2. in 3. p. 9. 9. a. 3.* apud P. Georgium Gobat de re morali præclare meritum in *Alphabeto consistit. n. 378.* eò progressus est, ut ausus sit dicere, eam omnino esse stultam. Verùm his censuris non obstantibus.

84. Circumstantias, de quibus modò est sermo, necessario explicandas esse, negant S. Thom. in *4. d. 16. q. 3. a. 2. q. 5.* Paludan. Durand. Dionysius Carthus. S. Bonavent. Almaynus, Adrian, Medin. Antonius Zerola, Sayrus, Pefantius & multi alij apud Dian. *1. p. tr. 7. R. 1. &*

14. & 5. p. tr. 14. Ref. 59. quos nominatim etiam sequuntur Navar. in princip. cap. *Consideret. & in Man. c. 6. n. 7.* Tolet. *l. 3. c. 7.* Valentia *T. 4. D. 7. q. 11. p. 1. Assert. 5.* Reginald. *l. 6. c. 5. n. 134.* Dicast. *D. 9. d. 3. §. 2. n. 181.* Bonac. *D. 5. quæst. 5. f. 2. pag. 2. §. 3. diff. 3. num. 5.* Vasq. *q. 91. a. 1. d. 2. n. 6.* ubi ait, hanc sententiam apud Scholasticos esse magis receptam, quam etiam tenent novissimè Lugo *D. 16. f. 3. à n. 107.* Joan. Sancius in *select. D. 11. n. 6.* Tamb. *l. 2. c. 1. §. 18. n. 111.* Busenbaum in sua medulla, *l. 6. tr. 4. c. 1. d. 3.* Laym. *l. 1. tr. 2. c. 10. n. 2. & alij*, quorum agmen claudat P. Georg. Gobat. *n. 375.* Hinc facile apparet, censuram Nugni esse nimis acerbam, inconsideratam & præferendam: quasi verò tam graves, quos retuli, Auctores, ipse etiam S. Thomas fuerint stulti. Absit! ut tam fædam maculam tam claris Theologiæ sideribus inuramus. Nihilominus tamen

85. Hanc sententiam etiam suimet auctores diversimodè limitant: & quidem I. in gradibus consanguinitatis, singulariter in primo & secundo, ita ut, qui cum sua matre aut sorore carnaliter peccavit, teneatur hanc gradus circumstantiam explicare. Ita Laym. *n. 3.* Bonac. *n. 10.* Valent. *l. c. & alij.* Idem sentiunt de gradibus affinitatis. II. In furti quantitate: neque enim satis est, dicere, se notabilem pecuniæ v. g. summam abstulisse, sed necesse est, definitè dicere, quantum sit furatus, num centum, num mille. Laym. *l. c.* Valent. *§. Ex hoc item fundamento.* Bonac. *n. 17. & alij.* III. In voluntate occidendi plures homines. Laym. *ibid.* IV. In esu carnum die Jejunij: neque enim

enim satis est, dicere, te violasse jejunium, sed necesse est exprimere esum carniū: Laym. *ibid.* V. in eo, qui totam noctem cum fāmīna in eodem lecto acubuit, etsi semel tantum cum eā concubuerit. VI. In eo, qui ordinarium peccandi modum nimium excessit. VII. Cū certā quantitātē furti annexa est reservatio, vel excommunicatio. Idem est, si sub simili censura aut reservatione prohibitus sit incestus cum consanguineis, aut affinis; fornicatio cum filia confessionis: ut sanē in Diocesi Constantiensī hęc delicta reservatis adnumerantur. VIII. In pœnitente, qui à Confessario interrogatur de consuetudine peccati, vel alia circumstantia aggravante.

86. Ego posteriori sententiæ libenter subscribo, non tantum propter magnam doctissimorum virorum, ingenti numero ita sentientium, auctoritatem, sed etiam quia benignior est; in iis enim, quæ ad animarum salutem, pacem, & tranquillitatem faciunt, eamque fovent, benigniora sunt amplectenda, & horror, qui alioqui in patefaciendis peccatis cernitur, quantum fieri potest, mitigandus est, ne plurimi à salutari confessionis usu retrahantur. Si enim magnam sentiunt difficultatem in enumerandis peccatorum suorum speciebus, & declarando eorum numero, quid non tandem futurum arbitramur, si ab iis exigatur, ut etiam singulas circumstantias, alioqui non necessarias, declarent, & urgeantur, ut aperiant: quanto tempore v. g. in perversa voluntate, aut opere illicito, moram traxerint; quàm vehemens fuerit odium, quo proximum persecuti sunt &c. aut certè si rei difficultate non frangantur,

sed ex hac quoque parte confessionis integritati satisfacere velint, in anxietatem, & conscientiæ quandam torturam incurrent, dum non raro timebunt, ne hujus vel illius delicti gravitatem secundum omnes circumstantias exposuerint, & sic vix unquam optata pace fruuntur, quod est magnum impedimentum gustandi, quàm suavis sit Dominus, ut ad illius amorem, in quo perfectum nostrum bonum consistit, accendantur, exstimulenturque. Ut autem confessio nimis ardua & difficilis, velut conscientiæ carnifex, ex tam enucleatâ circumstantiarum consideratione reddatur, nec ipsum Concilium Tridentinum *sess. 14, cap. 5.* probat; ex quo pro nostra sententia argumentum forte desumi potest: cū enim Concilium eo loco ex instituto voluerit Sacramentum Pœnitentiæ explicare, & exactam de eo doctrinam tradere, utique ex ejus mente plus non est imponendum, quàm quod expressit: atqui eo loco meminit quidem circumstantiarum, sed earum duntaxat, quæ speciem mutant, iis, quæ intra eandem speciem solum aggravant malitiam, silentio prætermittit: ergo hoc ipso indicat, circumstantias merè aggravantes non esse necessario aperiendas: dum enim unum affirmavit, videtur alterum negasse juxta Regulam juris: imò expressè ait, nihil aliud à pœnitente exigere, quam ut omnia peccata, quibus se DEUM graviter offendisse meminerit, confiteatur. Hinc autem subsumere licet: Sed omissis circumstantiis merè aggravantibus nihilominus omnia peccata recensentur, cū ob illas circumstantias peccata neque specie, neque numero multiplicentur. Nec refert, quod

fin

sine illis non satis æstimari possit gravitas peccatorum; etenim clementissimus JUDEX DEUS, cujus vices agunt confessorii, non exigit mathematicam calculationem, aut gravitatis ponderationem, sed quanta haberi potest ex specie & numero peccatorum, ut judicium feratur de universo statu peccatoris, sitne bonus vel malus, pejor an pessimus: quod sufficienter ferri poterit, modò circumstantiæ, quæ speciem mutant, exprimantur. Quando ergo jugum, quod Christus suis fidelibus imposuit, suave est, & onus leve, quid est, quòd illud sine causâ aggravemus? sive dein hunc sensum ex Sacra scriptura, sive ex natura institutionis hujus Sacramenti sive ex definitione aliqua Pontificum & Conciliorum, sive ex recepta Ecclesiæ traditione petere velimus. Certè ex his de tali onere nihil constat, ut pluribus prosequitur Dicastillo *tr. 8. D. 9. d. 3. §. 2. n. 181.*

87. Sed jam quod ad limitationes, *num. precedenti* positas, attinet, dicam, quod lentio, ejusmodi limitationes mihi semper displicuisse: Ad quid enim serviant, nondum video, quàm ut sententiam, cui adduntur, enervent, ita ut incertum omninò sit, quænam tandem illa sit. Ad singulas ergo ut respondeam, mens mea hæc est.

88. I. Lineæ & gradus consanguinitatis & affinitatis vel distinguuntur inter se specie, vel non. Si primum utique necesse est, & lineam, & gradum exprimere, non jam ut circumstantiam merè aggravantem, sed specificantem. Si secundum, quod nobis ex dictis suprâ. *n. 51.* est verosimilius, sunt quidem, qui existimant, gradus illos cum suis lineis, ve-

lut circumstantias notabiliter aggravantes, exponendos esse; sed hi doctrinæ consequentiam non tenent. Quam notam ut & nos non incurramus, judicamus non esse necessarium, ullum gradum, etiã primum, exprimere; qui ergo incestum commisit, etiã cum propria matre, plus non debet dicere, quàm: *commisi incestum naturalem.* Tamb. *l. 2. c. 7. §. 7. n. 49.* Dian. *l. p. tr. 7. R. 21. & p. 3. tr. 4. R. 67.* in Retol. *31. & p. 4. tr. 4. R. 234. & p. 5. tr. 14. R. 56. §. quæro sexto.* P. Georig. Gobat. *n. 387.* Citatur pro hac sententia etiã Hurtado *D. 9. de Sacram. diff. 4.*

89. II. Limitatio fuit in furto. In hoc non est necesse, explicatè dicere, quàm magnus sit, quantumcumque demum sit, excessus supra materiam ad peccatum mortale constituendum sufficientem. Sufficit ergo, si furatus fuisti, v. g. mille florenos, & dicas: *furatus sum notabilem quantitatem.* Tamb. *l. 2. c. 8. §. 1. n. 1.* Lugo *D. 16. §. 3. n. 121.* Dian. *R. 114.* Errares autem, si diceres: *furatus sum decem,* cum tamen furatus sis *sex,* vel quindecim &c. quia jam non explicares furtum, quod verè commisisti, sed aliud, quod non commisisti. Idem est in similibus, & ideo, qui ex horis Canonicis omisit quatuor horas, quas minores vocant, cum Vesperis & Completorio, non debet istum horarum numerum tam exactè referre, sed satisfaciet, dicendo: *omisi notabilem officii divini partem.* Dian. *l. p. tr. 12. R. 5. & alii.* III. & V. Limitatio huc non faciunt, sed ad numericam peccatorum multiplicationem, de quâ suo loco: hic solùm ad verro, ex doctrina tunc tradenda confirmari posse nostram

nostram sententiam de circumstantiis, quamcunque notabiles sint & graves, modò sint merè aggravantes, non exponendis. IV. Limitatio etiam non est ad rem. Etsi enim Granadus in 3. p. *Contr.* 7. *tr.* 9. *D.* 9. n. 22. apud Dianam. 5. p. *tr.* 14. *R.* 56. §. *quero quarto*: existimet, etiam carniū in violatione jejunii non esse necessariò exprimendum, sed sufficere, si dicas: *violavi jejunium*: hoc tamen non est admittendum, quia in jejunio duo præcepta concurrunt, unum affirmativum de sumenda unica refectione; alterum negativum de carniibus non comedendis. Esus ergo carniū exponendus est, non, ut circumstantia merè aggravans, sed specificans, ut pote distincto specie præcepto adversa. VI. Limitatio nihil vincit; non enim modus operandi, quamcunque vehemens & extraordinarius sit, exprimendus est, nisi fortassis actionem ex sua in aliam specificam malitiam transferat, ut supra n. 71. de feritate dixi.

90. VII. Limitatio etiam vana est: in hoc enim casu excessus in peccato, quamcunque sit notabilis, exprimendus est, non per se & ratione sui, tanquam materia necessaria, sed per accidens rationæ adjunctæ vel reservationis, vel censuræ. Quædam enim peccata ab Ecclesia vel reservantur, vel censuris etiam puniuntur, non quomodolibet, sed sub certa quadam ratione: v. g. qui cum excommunicatione conversatur, incurrit, si ille excommunicatus sit denunciatus aut notorius percussor Clerici, in minorem excommunicationem; secus, si sit occultus & toleratus: attamen denuntiatio aut notorietas sunt circumstantiæ, quæ
R. P. Stoz Trib. Pænit.

facti speciem etsi non immutent, tamen debent Confessario aperiri, ut sciat, an & quid potestatis habeat in tale peccatum ratione censuræ, aut reservationis: sic si quis spoliaret Romipetam, incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ reservatam, non item si alium viatorem: sic multæ censuræ latæ sunt contra facientes aliquid scienter & temere, non ex negligentia, aut ignorantia non omnino crassa, nec affectata.

91. VIII. Limitatio non est melioris fatinæ. Fac enim ejusmodi Confessarii præceptum non adesse; citne tunc circumstantia etiam enormiter aggravans ex necessitate aperienda? non dicent, ut credo, qui eam nostræ, & etiam suæ sententiæ adjecerunt: exprimenda ergo est, non quia aggravat, sed quia urget præceptum Confessarii, quem Tamb. *l.* 2. *c.* 1. & *c.* 10. §. 2. n. 38. Lugo *D.* 14. *s.* 10. n. 172. & alii ajunt habere jus ea, quæ ad salutem animæ spectant, interrogandi, & consequenter pœnitentem habere obligationem respondendi ad interrogata: quod quidem Joannes Sancius in *selectis*, *D.* 9. n. *præcipue* 6. citatus à Lugo, ubi supra, & nonnulli alii negant; & Dicast. *D.* 6. *d.* 21. à n. 376. multum eorum sententiæ favet, pro eoque refert Navarrum in *Man.* *c.* 21. n. 48. & Casparum Hurtadum; idemque sensisse dicitur etiam Pontius; & absolute docuit Fagund. *l.* 3. *c.* 1. n. 6. & *c.* 7. n. 11. Sed jam est §. 8. inter prohibitas à S. D. N. Innoc. XI. de quo vide *infrà* p. 3. n. 178.

Maneat ergo, circumstantias intra eandem speciem merè aggravantes non esse, etsi sint valde notabiles & enormes, per se

in confessione aperiendas, ne videlicet imponamus fidelibus jugum, quod Christus ipse hujus Sacramenti Auctor non imposuit, ut Dicast. *D. 9. d. 3. §. 2. à n. 181.* fusè prosequitur: cur enim nos subditi obligemus fideles ad aliquid, ad quod noster Princeps ipse eos obligare noluit.

Atque ex his, quæ hactenus hoc & præcedenti Articulo de circumstantiis, præter nostrum propositum, paulò fusiùs disseruimus, multa & valdè utilia ad confessiones breviter & rectè expediendas inferri possunt: præcipuè illud, quænam circumstantiæ ad examen pro paranda confessione sint vocandæ.

ARTICULUS VIII.

De numero peccatorum indagando.

92. Reperiuntur nonnulli, qui, cum confessionem parant, contenti sunt solum suorum peccatorum etiam mortalium species, vel circumstantias específicas investigare, putantque, se suo officio abunde satisfecisse. Sed hi manifesti erroris vincuntur ex Concil. Florent. in Decreto Unionis, & Trident. *sess. 14. c. 5. & can. 7.* ubi expressè definitur, omnia, & singula peccata mortalia, eorumque circumstantias, quæ speciem mutant, esse in confessione aperienda. Si singula: ergo etiam numerus talium peccatorum colligendus est & exprimens. Quomodo autem, & quando contingat, peccata numericè multiplicari, dicemus infra *p. 3.* Interim de eodem numero explicando generatim quædam sunt adnotanda. Itaque

93. I. In numero materiæ necessariæ nihil est addendum, nihil minuendum,

nihil ita exprimens, ut nesciat Confessarius, quem pœnitens numerum velit. Itaque qui ter v. g. pejeravit, non satisfacit, si dicat *se aliquoties pejerasse*: etsi enim ista vox ad minimum significet, aliquid bis esse factum, quia tamen potest etiam quater, decies, vigesies &c. comprehendere, incertum est, quid velis, quando non aliter, quàm per istam vocem *aliquoties*, numerum exprimis, cum ea sit prorsus indifferens ad quemcunque numerum supra unitatem explicandum. Idem est de particula *frequentè*, *sape*: nam & hæc significat ad minus binarium, juxta Gloss. in *Cap. Monasteria de vita & honest. clericorum V. frequentè.* & quemcunque alium numerum isto majorem. Quid ergo dicis, si dicas, *tesape pejerasse*: utique nihil, & siquidem integritati & valori confessionis consultura velis, aliter oportet rem, quam agis, agere. Dicast. *D. 9. d. 3. n. 210.* Quapropter

94. II. Qui scit numerum peccatorum, eumque mathematicè certum, tenetur illum exprimere: & idcirco qui scit, si sexies blasphemasse, tenetur determinatè dicere: *sexies blasphemavi*. Cum enim, ut paulò antè dixi, & ex omnium ore affirmant Navar. in *Man. c. 6. n. 14. ad princ. Cap. Consideret. de Pœnit. dist. 5. n. 40.* & Victoria de *Sacram. n. 178. Tamb. l. 2. c. 1. §. 4. n. 21.* peccatorum numerus necessariò sit aperiendus in confessione; sexta autem blasphemia non minùs peccatum sit, quàm prima aut secunda, sanè sicut non licet in confessione primam aut secundam blasphemiam reticere, ita nec licebit sextam. Et idèò si quis sciat certò, se sexies blasphem-

blasphemasse, præ verecundia autem, aut aliâ simili de causâ confiteatur, dicendo, se quater aut quinquies plus minùs blasphemasse, peccat mortaliter, ut notat Sylvester *V. confessio* 1. *quest.* 11. *sub finem.* & Victoria *loc. cit.* Peccata enim Confessario sunt aperienda, prout sunt in pœnitentis conscientia, ut nec plus nec minùs possit dici: vide Suar. *D. 22. f. 5. n. 37.*

95. III. Non est opus, peccatorum numerum ita exprimere, ut singula per se solitariè, & quasi historicè referantur, modò sint ejusdem speciei; satis enim est, si uno verbo dicas, te decies blasphemasse, vigesies fornicatum, trigesies pejerasse &c. nisi fortè aliquod talium peccatorum habeat annexam circumstantiam, quæ speciem mutet: est enim multorum non vulgaris error, peccata sic enucleatè exponenda esse, cum tamen & brevitatis, quæ est una de perfectionibus confessionis, aliud exigit, & præterea tali confessioni nihil desit ad ipsius integritatem, etsi paucis & claris verbis peccata exprimantur. Taceo, quòd nec usus Ecclesiæ, & recta fidelium praxis aliud requirat; & sic confessio non reddetur nimis onerosa. Bonac. *D. 5. q. 5. f. 2. §. 3. diff. 3. n. 2.* Coninch. *D. 7. d. 7. n. 63.* Dicast. *tr. 8. D. 9. d. 2. n. 52.* Dian. *1. p. tr. 7. R. 13.* Navar. *in Man. c. 6. n. 18.* & in princ. *Cap. Consideret. n. 110.* Reginald. *l. 6. c. 4. n. 116.* Suar. *l. c.*

96. IV. Qui morali diligentia adhibita numerum omnino certum deprehendere non potest, videat, an non saltem occurrat is, qui videatur esse verosimilior, sive, qui plus minùsve parùm credatur à certo distare: hic enim, si alius haberi non pos-

sit, exprimendus est per particulas *circiter, plus minùs, præter propter.* Suar. *l. c.* Coninch. *n. 62.* Dicast. *n. 54.* & alii. Et sufficit hoc; nec aliud requiritur, cum fiat, quod est moraliter possibile.

97. Unde, qui numerum hoc modo, certum videlicet pro incerto, dixit, non debet postea angere, aut repetere, si deprehendat, se aliquid minùs, vel etiam ampliùs dixisse, quàm verus numerus, qui post confessionem occurrit, comprehendit, quia in prædicto verosimili numero sufficienter etiam alter, major vel minor, jam est inclusus. Suar. Coninch. *ll. cc.* Dicast. *n. 53.* Bonac. *p. 3. n. 7.* nisi fortassis specialis aliqua circumstantia necessaria occurrat, quæ priùs non occurrebat, vel nisi postea deprehendat, numerum illum certum, quem expressit, incerto esse valde notabiliter majorem vel minorem, v.g. in duplo, vel intra duplum in magna quantitate, quia major illa vel minor peccatorum multitudo per priorem confessionem revera non fuit explicata. Suar. Coninch. *ll. cc.* Bonac. *p. 2. §. 3. diff. 2. n. 6.* Reginald. *l. 6. n. 126.* Hoc verò moraliter vix potest contingere, si prior diligentia in discutienda conscientia fuerit mediocris juxta dicta *n. 11.* Hinc, qui dixit, se decies circiter commisisse mollitiei peccatum, decies fornicatum esse &c. & postea deprehendit, id factum esse duodecies, aut octies, nihil tenetur repetere: sicut nec is, qui dixit, se vigesies plus minùs fornicatum esse &c. cum tamen, ut postea deprehendit, fornicatus sit vigesies quater. At qui dixisset, aliquid factum vigesies, quod postea deprehendit, factum esse quadragies, tenetur illum excessum proximè explicare,

plicare, & nihil ampliùs, quia bonâ fide processit; excessus enim ille se habet ut alia peccata, bonâ fide omiſſa, quæ sola sunt, ut suo loco dicemus, in proxima confessione exponenda.

98. Sed enim difficultas jam est, quid intelligatur per ejusmodi particulas, *Circiter*, *Plus minus* &c. quam explicare non est ita expeditum. Communiter ajunt, id nullâ certâ regulâ definiti posse. Nihilominus tamen, ut consulant aliquosque pœnitentibus, aliquid dicunt, & I. quidem Dicastillo n. 117. Dian. 3. p. tr. 4. R. 94. & alii apud ipsos totum id arbitrario Judicio prudentis committunt. Sed cur hi mittunt nos ad alios? cur ipsi, cum sint, ut meritò supponimus, sapientes, non explicant, quod ab aliis prudentiâ præstantibus edisseri posse arbitrantur? alioqui frustra nos ad eorum judicium explorandum dirigerent. Alii igitur II. ut paulò elariùs suam aperiant mentem, dicunt, quò major est numerus, qui exprimitur, eò majorem posse esse illum, qui sub iis verbis *Plus minus* intelligitur. Sed quantò major esse possit, non satis disertè explicant: Exempla, quibus utuntur, ostendunt, posse ea verba *Plus minus* extendi ad illum numerum, qui sit quinta pars numeri expressi. Hinc eum, qui dicit, se decies circiter pejerâsse, etsi postea deprehendat, se duodecim vicibus pejerâsse, ad nihil ampliùs obligabunt; sicut nec illum, qui dicit, se centies circiter peccâsse, cum tamen centies vigesies id se fecisse recordetur: est nempe binarius respectu denarii, vicenarius respectu centenarii quinta pars. Verùm iste calculandi modus aliis non placet. Dicunt

ergo alii III. videndum esse, an excessus ille, per verba *Circiter*, *Plus minus*, significatus, sit juxta communem prudentium æstimationem absolutè & in se magnus & notabilis: etsi enim verba ista *Plus minus* sint relativa, sæpè tamen etiam accipiuntur absolutè & simpliciter, absque ulla ad aliquid majus vel minus comparatione. Itaque si excessus iste absolutè consideratus sit parvus, de eo non est ampliùs laborandum; si verò sit magnus, etsi respectivè ad majorem sit parvus, erit utique curandus: v. g. vicenarius est in se magnus, etsi respectu centenarii videatur esse modicus, & ideò si dicas, te centies circiter pejerâsse, postea autem cognoscas, te vigesies & centies id fecisse, de illis viginti vicibus postea te debes accusare.

99. Sed adhuc restat explicandum, quis demum numerus in se magnus censeri possit ac debeat. Alii quatuor aut quinque, alii duplum, alii quintam, ut vidimus, partem, alii decem pro magno habent. Mihi media aliorum via placet, quam Bonacina, D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. s. 3. diff. 2. n. 6. monstrare videtur, denarium scil. pro magno habendum. Si quis ergo dixerit, se decies aliquid fecisse, & postea recordetur (quod tamen novo examine investigare non tenetur, si antè vel mediocriter se examinârit) se fecisse vigesies, debet proximè confiteri, se decies id fecisse, cum alia decem jam fuerit confessus: nam ex consueta significatione & usu prudentium illa verba *Plus minus*, *Circiter*, *Præter propter*, ultra novem se non extendunt.

100. Quòd si verò aliquis notam illam dubitativam *Plus minus*, numero peccatorum

satorum non adjiciat, sed absolutè dicat, se quater pejerasse, & postea videat, se quinquies id fecisse, de ista quinta vice debet se postea accusare, quia revera priùs se de illa non accusavit, sicut accusasset, si dixisset, *quater plus minus*. Bonac. *D. 5. q. 5. f. 2. p. 2. §. 3. diff. 2. n. 9. Suar. D. 28. f. 1. n. 3.*

101. V. Quando factâ diligenti, & accommodata conscientie discussione numerus peccatorum necdum, alterutro ex prædictis modis, potest cum probabilitate ut certus affirmari, sine periculo magni erroris, tunc disquiratur, quoad fieri poterit, quâ frequentia peccatum per diem, septimanam, aut mensē sit perpetratum, & numerus ita deprehensus dividatur in partes, quoties nimirum quolibet die, aut hebdomade, aut mensē id perpetraverit: hac enim ratione effugitur periculum errandi, cum in singulis partibus non possit committi magnus error, qui in tota summa simul sumpta alioquin esset maximus.

102. VI. Quod si nec isto modo peccatorum numerus iniri possit, (ut evenire potest & solet ijs, qui valde rarò, nec nisi per longa intervalla confitentur, & tamen interim in luto peccatorum usque ad aures, ut ajunt, immersi hærent, & volutantur) quodnam tandem ij remedium habeant, dicemus commodius infra, cum specialiter agemus de inveterato peccatore. Hic generatim id monemus cum Suar. dictâ *f. 5. n. 39.* in ejusmodi casibus non esse à Confessario urgendum penitentes ad certum aliquem numerum proferendum, cum id sæpè sit moraliter impossibile, vel ita incertum, ut nulla fides illis possit adhiberi.

103. Hic tamen haudleviter & perfunctorie carpendi sunt illi, qui cum frequenter, v. g. quolibet octiduo vel singulis quatuordecim diebus confitentur, non aliter solent suorum, etsi gravium & valde palpabilium delictorum, numerum, quam per particulas illas, *circiter, aliquoties* exprimere, quasi aliter non possint: hi enim utique satis socordes sunt; quis enim credat, ijs non posse melius & certius de eo numero constare, v. g. quis patienter ferat Clericum, si dicat: hoc octiduo ter circiter omisi Breviarium; aut studiosum, si dicat: hac hebdomade ter plus minus voluntariè me polui &c. hoc enim loquendi modo indicant isti, se de tertia vice dubitare, cum tamen, si paulò sint aut esse velint accuratiores, possint de ea vice esse certis: hoc verò dum faciunt, exponunt peccatum certum pro dubio; id enim ejusmodi particula dubitativa significant: in quo utique gravissimè errant, seque & suos Confessarios, non tamen DEUM, qui scrutator est renum, & novit abscondita cordis, decipiunt; & cum in re gravi id contingat, peccant etiam mortaliter, de quo non potest esse ulla dubitatio. Deligant ergo hi tempus tanto negotio, quantum est confessio Sacramentalis, opportunum & necessarium, suæque conscientie latebras exactius rimentur, non dubito, quin verus numerus ijs sit occursurus, norintque, illum satis rudem, & grossum modum colligendi peccatorum numerum, non nisi in gravibus, & fere inveteratis peccatoribus, ijsdemque valde rarò confitentibus tolerari posse, aut debere. Quod si tamen verè aliquis etiam per hebdomadem

madem sua peccata ita multiplicet, ut ea & diversæ speciei sint, & frequentissima, poterit etiam tali indulgeri aliquid, & ad justum verumque numerum non adeò urgeri, præsertim si sit memoriæ valde debilis: sed hoc de homine paulò timoratoris conscientia non est præsumendum.

104. Ut verò numerus peccatorum mortalium facilè, & satis exactè haberi possit pro confessione, expedit, in examine, quod quotidianum esse valde convenit, eum diligenter inquirere, & si lubet, etiam in lecreta quadam schedula adnotare. Et licèt, quod ad peccata venialia attinet, non sit necessarium, eorum numerum aut investigare in examine, aut in confessione exprimere, ut jam supra n. 23. monui; valdè tamen consultum est, ut id fiat: & ita omnino suadeo, modò, ut dixi, caveatur nimia anxietas & sollicitudo.

ARTICULUS IX.

Praxis examinis pro confessione.

105. Hactenus de necessitate, & materia Examinis pro futura confessione, satis, ut opinor, disseruimus, nunc videamus, quæ in eo faciendo praxis sit servanda, ut rectè fiat. Itaque examinaturus suam pro confessione, quam meditatur, conscientiam, eadem puncta observabit, quæ pro aliis quotidianis conscientia examini- bus tradi solent: nisi quòd in tertio sit nonnulla variatio, ut constabit. Quapropter

106. I. Tempus opportunum & à reliquis occupationibus vacuum sibi deliget, & flexis ante Christi crucifixi ima-

ginem vel aliam genibus, excitabit memori- am beneficiorum à DEO acceptorum, pro iisque eger, quàm potest ferventissi- mo affectu gratias, in hunc vel alium simi- lem modum.

DEUS, cujus misericordia non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, Divinæ & Clementis- simæ Majestati tuæ pro universis beneficiis, quæ ad hoc usque mo- mentum mihi indignissimo tuo fa- mulo liberaliter dignatus es confer- re, gratias ago, tuamque Clemen- tiam humillimè deprecor, ut, qui petentibus postulata concedis, eos- dem non deserens ad præmia futu- ra disponas. Per Christum Domi- num nostrum. Amen.

107. II. Ut faciliùs in suorum pecca- torum notitiam venire possit, adhuc ge- nuflexus peret à DEO gratiam: hanc vel similem orationem fundens.

Rogo te, benignissime Domine, ut lucem de fede Majestatis tuæ ad me mittas, & abundantem gratiam tribuas, quæ clarè cognoscam, quid & quoties ab ultima mea confessio- ne peccaverim, & in amaritudine animæ meæ, magna cordis contri- tione, commissâ luceam, & ex since- ro tui super omnia amore detester.

108. III. Exigenda à conscientia ra- tio, & jam non unius diei (horas singu- las, ut in quotidiano examine fieri allo- let, percurrendo) lapsus, sed totius temporis, atque adeo singulorum ac ul- tima

tima confessione lapsorum dierum peccata omnia, sive dein ore, sive opere, sive etiam mente duntaxat commissâ illa sint, præcipuè autem ea, in quâ proclivior est, & frequentior lapsus, in memoriam sunt revocanda, & ante oculos mentis nostræ statuenda: quod equidem illi, qui quotidie suæ conscientiæ latebras diligenter eâ, de qua supra *an. 6.* accusatione discussit examinaritque, non erit difficile. Atque ut peccata commissâ in memoriam faciliùs revocari queant, etsi factis esse videatur, ante oculos habere præcepta tum DEI, decalogo comprehensa, tum Ecclesiæ; peccata item capitalia, opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia, nec non statum vitæ, in quo versaris, & officium, quod geris: infra tamen parte tertiâ subjiciam aliquem eorum delictorum, quæ solent esse facilliora & frequentiora, catalogum.

109. IV. Discussâ in hunc modum conscientiâ, peccatisque in ordinem, prout Sacerdoti exponere volueris, redactis, pensanda est, & etiam atque etiam ponderanda eorundem gravitas & malitia, ad eorumque detestationem & vehementem dolorem excitanda voluntas, attendendo, quem, & quantum, quàm munificum, quàm bonum DEUM, Creatorem, Redemptorem, Conservatorem, Dominum, Patrem, Largitorem bonorum omnium &c. peccatis tuis offenderis: quantâ gratiâ excideris, quantum regnum perdidideris, quanta damna & supplicia in futurum incurreris &c. His consideratis in contritionem & cordialem peccatorum detestationem erumpe, juxta formulam aliquam infra parte secundâ præscribendam. Actui verò

contritionis eliciendo non incongruè præmitti poterit hæc vel similis oratio.

Domine JESU Christe, respice re digneris super me miserum peccatorem oculis misericordiæ tuæ, quibus respexisti Petrum in atrio, Magdalenam in convivio, & latronem in patibulo, & præsta, ut cum Petro peccata mea dignè desleam, cum Maria Magdalena perfectè te diligam, & cum latrone in sæcula sæculorum te videam. Amen.

no. V. Serio propone impostertum cum DEI gratia vitæ emendationem, maximè in illis peccatis, in quæ sæpiùs & graviùs ab ultima confessione es lapsus. Formam propositi habes infra insertam formæ & praxi Contritionis eliciendæ.

Et in hunc modum si te ad Sacramentum Pœnitentiæ obeundum præparaveris, existima, te tuo officio hæctenus bene functum esse. Deinceps verò id unum cavebis, ne quidquam admittas, quod tuæ tam bonæ & sinceræ ad confitendum dispositioni obesse possit; & hoc non est nisi peccatum aliquod mortale: hoc enim solum est, quod dolorem novum exigit, ad eò ut tunc prior ille ad valorem Sacramenti suscipiendi non sit ampliùs utilis.

QUÆSTIO II

De quibusdam aliis ante confessionem expediendis.

Duo adhuc sunt, quæ priùs, quàm ipsum Confessionis negotium coram legitimo sacerdote incipiat tractari, hoc loco

loco expedienda sunt: unum peccatorum adnotationem in charta concernit; alterum electionem Confessarii.

ARTICULUS I.

An peccata sint pro futura confessione scripto adnotanda?

111. Cajetanus *V. Confessio. condit. n.* ait, id esse valde utile, imò quod alii notant, etiam consulendum saltem iis, quibus memoria est valde debilis; est enim hæc diligentia de se non mala, & aliàs ordinatur ad bonum finem; modò prudenter fiat, & caveatur probabile ejusmodi scripturam amittendi periculum: cum enim scriptura sit signum aliquod permanens, naturâ suâ publicum, & hoc ipso, quia amitti potest, multis periculis expositum, confessio per eam instituenda reddi potest per quam odiosa & gravis, utpote nata ad peccatum etiam alteri, non habenti potestatem absolvendi, manifestandum, ad quod sanè nemo aliàs, nisi volens obstringi potest. Hinc jam

112. Patet, neminem per se obligatum esse, peccata sua, cum ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal perferenda sunt, scripto committere, saltem, si suæ memoriæ confidere queat: imò etiam neque tunc, cum labilem & lubricam memoriæ habet, Bonac. *D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. s. 1. n. 4. & p. ult. n. 7.* Henriq. *l. 4. c. 4. n. 8.* Coninch. *D. 7. d. 9. n. 72.* Reginald. *l. 6. c. 3. n. 82.* Suar. *D. 22. s. 10. n. 4.* Dicast. *D. 7. d. 14. n. 244. & D. 9. d. 10. n. 869.* & alii communiter, inter quos est etiam Lugo *D. 15. n. 41.* apud eundem Dicast. *dicto n. 244.* sufficit ni-

mirum, ut qui confiteri cogitat, adhibeat moralem & humano modo consuetam & ordinariam diligentiam, peccata in memoriæ revocandi: ad maximam, extraordinariam, & non communem nemo tenetur juxta dicta *n. 7.* sed solum ad mediocrem, de qua supra *n. 8.* Neque extat ullum præceptum Divinum retinendi memoriæ peccata, sed, cum adest tempus confessionis, ea, quorum factò diligenti examine recordamur, confitendi. Adde, quòd usus fidelium id satis declarat; pauci enim sunt, qui scribunt, & qui id faciunt, solum ex devotione & superabundanti, quæ laudanda est, diligentia faciunt.

113. Dixi autem: *Per se*: in aliquo enim raro casu potest contingere, ut teneatur quis etiam scripto, si aliter non possit, confiteri. Hinc si articulus mortis urgeat, & moribundus existimet, se non posse elicere perfectam contritionem, nec superesse aliud medium consulendi æternæ suæ salutis, præterquam confessionem scriptam ad eam, seposito quovis revelationis periculo, tenetur. Suar. *D. 36. s. 6. n. 7.* Bonac. *D. 5. q. 5. s. 2. p. ult. n. 6.* Dicast. *n. 241.* & alii, ab ipso relati *n. 239.* inter quos est etiam Lugo dicta *D. 15. n. 87.*

114. Ceterum character, si quis omnino velit scripto confiteri, sit, oportet, ejusmodi, ut omnia peccata commodè & sine hæsitatione legi possint; non enim desunt, qui licet in suis delictis describendis sint perquam accurati, tam malè tamen scribant, ut ea non nisi syllabatim dicere possint, non sine sua ipsorum, aliorumque gravi molestia & fastidio: præstat ex memoria sua peccata

Con-

Confessario aperire, quàm ex charta tam malè formata; sic enim illa cum majori devotione & contritione exponentur, & patefient in confessione.

115. Nec refert, periculum esse, ne unum vel alterum elabatur inter confitendum ex memoria; hoc enim periculum rarum est: & si contingat, ut omittatur aliquod peccatum ob inculpatam oblivionem, excusatur pœnitens, & à peccato sic omissio nihilominus absolvitur, etsi cum obligatione id, postquam in memoriam rediit, in proxima confessione manifestandi.

ARTICULUS II.

De Confessario deligendo.

116. Si quod ullum est negotium, in quo opus sit fideli amico, & direttore, est id, quod est de confessione peragenda: si verò pœnitens in eo deligendo aliud quidpiam, quàm quod ad ipsum in via salutis dirigendum spectat & facit, consideret, nã ille vanus sit, & progressus in virtute non satis studiosus. In deligendo ergo Confessario nihil aliud præter animæ suæ salutem attendat, & deligat eum, qui sit vir doctus & prudens, quem ut *Patrem* suum amet, ut *Judicem* suæ conscientie timeat, ut *Ducem* in via spirituali sequatur, ut *Magistrum* verum spiritualium audiat, ut *Medicum* in morbis, molestiis, ac difficultatibus animi consulat; tandem eum, cui se totum sincerè aperiat, & à cujus nutu, consilio & directione in omnibus ad salutem suam spectantibus pendeat. Incredibile enim est, quanti id momenti sit, & quantum boni, consolationis, &

R. P. Stoz Trib. Panit.

securitatis in eo insit. Quod ergo faceret quis ad succurrendum corpori malè affecto, hoc ipsum, imò amplius faciat animæ causâ, cujus salus longè potior est salute corporis. Confessarium enim ignorantem & imperitum quærere, est quodammodo certum sibi ducem ad infernum quærere; idque est, ut Suar. D. 28. s. 2. n. 9. & Reginald. l. 6. c. 3. n. 73. tradunt, peccatum grave, siquidem talis Confessarius studiosè quæratur; potest enim contingere, ut bonâ fide eligat illum, quem putat esse doctum, peritum, & sufficientem ad rectam tanti mysterii administrationem, cum tamen postea longè alium experiatur, videlicet indoctum &c.

117. Quòd si ergo unum talem, qualem dixi, tibi delegeris in Confessarium, eo unico deinceps, quoad fieri potest, uteris, neque ab uno ad alium, mox ad tertium discurre: hoc enim nihil est pecciciosius, nihil periculosius, nihil ineptius; tales enim discursores & vagabundi plus satis indicant, se nolle juvari & dirigi, imò nec veram suæ emendationem proponere. Si tamen tanta esset verecundia, ut periculum sacrilegii ex confessione non integrâ immineret, melius esset, alium adire, & in tenebris peccati virus evomere, quàm in tenebras exteriores & aternas se conjicere.

118. Nihilominus tamen tuo sic electo Confessario non debes ita te addicere, ut si mutandus is sit, inde turberis: etsi enim expediat, conscientie suæ morbos semper deregere uni Medico, qui agnito periculo relapsus sciat adhibere congruentem medicinam, & in dubiis aliisque rebus, ad animæ salutem spectanti-

F bus,

bus, consilio & auxilio opportuno adesse; nullius ramen alterius quàm istius unius iudicio aut directioni se velle credere, nescio, quid sapiat vel amoris vel alterius affectus non satis castigati.

119. Qui verò, dum suas necessitates omnibus proponunt, semperque sperant, se audituros tandem, quod ad suum genium futurum sit aptius & facilius, pessimè sibi consulunt, seque ipsos decipiunt graviter. Dum enim diversa iudicia accipiunt, mutabiles fiunt, & dum firmi non subsistunt, nunquam sibi satisfaciunt, semper inquieti, imò sæpè nec securi in conscientia. v.g. Ulurarius aliquis circumit, usque dum tandem inveniatur aliquem imperitum, qui eum ab onere restitutionis liberet; sed hic, dum eiusmodi diverticula quærit, aliud suæ operæ pretium non refert, quàm ut ipse, & eius consultor pessimus cum reprobis suam accipiat portionem; iste enim graviter peccat tam malè consulendo; ille verò sacrilegè confitetur ex defectu doloris de præteritis, & propositi de vitando impostero peccato, nec ab onere restitutionis, quod tamen unice quærebat, liberatur. Bonac. *D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. §. 2. n. 17.* Navar. *c. 17. n. 83.*

120. Quòd si tamen aliquis, non animo inveniendi aliquem, qui ad suum libitum absque sufficienti probabilitate respondeat, sed animo faciendi id solum, quod sibi licere fuerit iudicatum, plurius super eadem re iudicium & sententiam exploret, talis non esset condemnandus. Bonac. *de peccat. D. 2. q. 4. p. 9. n. 10.* Sanch. *l. 1. c. 9. n. 24.* cui libet enim fas est suum jus protegere, quod

rectè fit, dum quæritur sententia verè probabilis; hanc enim sequi licitum est, ut omnes nôrunt.

121. Sed quid? si aliquis duobus confessoriis, uno ordinario viro gravi & familiari, apud quem in bona est fama & existimatione; altero, cui sit ignotus, utatur, ita ut priori confiteatur, cum tantum peccata communia & leviora occurrunt; posteriori verò, cum graviora, & magis infamativa, qualia cententur esse obscena, accidunt, ne videlicet suam, quam apud alterum habet, bonam famam perdat. Certum est, eiusmodi variationem, si fiat confessio apud eos, qui alioqui legitima absolvendi potestate sunt præditi, non esse per se illicitam, neque aliam in ea gravem seu mortaliter malam apparere deformitatem, imò si iusta causa subfit, ne venialem quidem, ut si quis abhorreat à confessione peccatorum mortalium, præsertim, ut dixi, obscenorum, huic Confessario, quem ob aliquam causam vel non vult, vel non audet deserre, faciendâ; semper enim profert, quæ non est confessus: ea verò, quæ jam semel confessus est, non tenetur iterum confiteri: modò interim illud studiosè curet, ut priori Confessori aperiat peccata mortalia omnia, venialia verò posteriori; secus enim si faceret mutato ordine, haud dubiè peccaret mortaliter, & confiteretur sacrilegè. Suar. *D. 22. s. 1. n. 13.* Bonac. *D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. §. 2. n. 5.* Dicast. *D. 9. d. 2. n. 164.* Navar. *c. 17. n. 40.* & multi alii, quos congerit Dian. *3. p. tr. 14. R. 132.* inter quos apud Dicast. est Lugo. *D. 16. s. 2. n. 57.*

122. Nihilominus hæc res plerumque non vacat aliqua deordinatione, & signum est animi suam magis æstimationem, quàm spiritualem profectum curantis. Inò fieri potest, ut talis etiam peccet mortaliter, Dian. l. c. si nempe eâ ratione exponat se periculo labendi in peccata mortalia, & ea nunquam efficaciter emendandi: quod ijs accidere potest, qui de industria adeunt Confessarios non satis peritos, vel quorum unus est vulgaris & liberior, cui gravia; alter timoratus & bonæ doctrinæ, cui levia duntaxat confitentur; vel quibus ignoti sunt, nullum constanter retinentes, sed ab uno ad alterum transilientes, perinde ut aviculæ à ramo ad ramum solent.

123. His nihilo meliores sunt, qui ut sibi falsam probitatis & sanctitatis opinionem concilient, ita variant Confessarios: facillè enim hac variatione potest intervenire hypocrisis, & quidem etiam gravis; & consequenter, cum repugnet, eam confessionem, per quam anima contaminatur peccato mortali, valere ad illam à peccatis emundandam, eam censeri invalidam, tanquam illam, quæ fit ad patefaciendum sibi aditum ad aliquod flagitium perpetrandum: hac autem in re

extra dubium est, notabilem admitti irreverentiam DEI, dum nimirum Sacramentum ab ipso institutum sumitur in testimonium quoddam & confirmationem falsitatis. Reginald. l. 6. c. 5. f. 2. n. 149. Ex dictis breviter

124. Patet, non esse condemnandum, qui cum non esset solitus peccare graviter, præter eam tamen consuetudinem lapsus est in peccatum aliquod grave, in genere v. g. luxuriæ, quod ordinario suo Confessario, apud quem bonam hæcenus servavit opinionem, confiteri erubesceret; sed neque si crebrius id fieret, quidquam contra confessionis integritatem committeretur, siquidem primo illi Confessario pœnitens venialia confiteri non tenetur; secundo autem confiteri eadem venialia non prohibetur, ut verò mortalia eidem aperiat, non tenetur, cum ea priori jam integrè omnia, prout oportet, exposuerit, ut suppono. Aliud est de eo, qui etiam rarò, studio tamen, mutat Confessarium, ne deplorandus animæ suæ status plenè intelligatur, & severior medicina, prout deberet, ei applicetur; reverentia enim tam sancti Iudicij tales fraudes non patitur, sed potius arguit peccati non levis.

P A R S II. D E C O N T R I T I O N E.

In qualibet vera Contritione duo ferè spectari possunt, quorum unum est Contritio ipsa: alterum resoluta voluntas seu propositum firmum amplius non peccandi.

F 2

QUÆ.

QUÆSTIO I

De ipsa Contritione.

I. **E**X varijs hujus vocis *Contritio* acceptionibus ea huc spectat, quæ denotat dolorem de peccatis commissis, seu detestationem eorundem, idque eâ metaphorâ, quod cor hominis peccatis induratum quasi scindat, comminuat & quodammodo emolliat, reddatque tractabile, & Divinæ voluntati morigerum. Hâc vocis significatione suppositâ, reliqua, quæ ad contritionem pertinent, prosequamur.

ARTICULUS I.

De Contritionis Necessitate ad Confessionem Sacramentalem.

2. Postquam egimus præcipuè de ea cura, quam quisque priùs, quam confiteatur, in conscientia sua exactè discutenda, peccatisque saltem mortalibus in ordinem redigendis ponere debet, de altera quoque, quæ non minor esse debet, agere oportet. Ea verò est, ut dolor de peccatis commissis ante confessionem, vel saltem ante absolutionem exciretur, cum proposito emendationis in futurum, qui sanè dolor nunquam est omissendus; id quod sumitur ex Concilio Trident. *sess. 14. c. 3.* ubi contritio recensetur inter partes Sacramenti Pœnitentiæ: parte autem vel unâ duntaxat deficiente, totum non posse amplius subsistere, constat. Et ratio est, quia sine contritione confessio non potest habere rationem veræ accusationis sui ipsius (nemo enim verè &

sine furo se de aliquo accusat, de quo non verè etiam dolet) sed erit simulata duntaxat accusatio, aut historica quædam enarratio, & consequenter tota actio non habebit veram rationem Judicij, quod tamen ad hoc Sacramentum requiritur. Taceo, quod idem Sacramentum ex sua natura & institutione ordinatum sit ad peccatorem cum DEO reconciliandum, & ideo etiam *Reconciliationis Sacramentum* appellari solet. Debet ergo accusatio sui, quæ in eo fit, tendere ad reconciliationem cum DEO: ad quod necessariò requiritur, ut sit signum internæ pœnitentiæ, & consequenter, ne sit signum falsum, debet ex tali interna pœnitentiâ procedere. Bonac. *D. 5. q. 3. p. 2. n. 4.* Coninch. *D. 4. s. 4. n. 34.* & alij. Ex quibus breviter

3. Patet, contritionem ad bonam confessionem esse ad eò necessariam, ut, si desit, illa nihil sit valitura, imò & in sacrilegium transitura, etsi peccata, quæ exposita sunt, essent non nisi venialia. Bonac. *n. 8.* Suar. *D. 20. s. 6. n. 4. & 5.* Reginald. *l. 5. n. 47. & 60.* Henric. *l. 4. c. 26. n. 7.* ut proinde fieri possit, ut, qui nullius peccati mortalis antea commissi conficius ad confessionem accedit, inde gravi scelere obstrictus redeat. Licet igitur diligens opera in examine conscientiæ collocanda sit, diligentior tamen & longè accuratior ponenda est in dolore de peccatis excitando: qui, quò fuerit vehementior, eò etiam majorem conferret gratiam per Sacramentum, magisque à peccatis deinceps absterrebit.

AR-

ARTICULUS II.

In quo consistat Contritio?

4. Ut, quid Contritio sit, probè quis noscat, operæ pretium videtur, omnes Actus, qui ad eam quoquo modo pertinent, ante oculos statuere. Ante omnes igitur ad veram contritionem necessariò præsupponuntur actus Fidei & Spei de venia peccatorum per merita Christi à DEO obtinendâ: nemo enim doleret de suis peccatis, nisi crederet DEUM esse, eumque per peccata offensum, & ob ejus in promissis fidelitatem, & in remittendis peccatis misericordiam & bonitatem, speraret veniam. His actibus velut basi ac fundamento Contritionis suppositis, sunt adhuc plures alij, qui ad eam concurrunt.

5. I. Est cognitio malitiæ seu peccati & malorum cum peccato connexorum, qualia sunt ipsa DEI offensa, reatus pœnæ sive æternæ in inferno, sive temporalis in hac vel alterâ vitâ in purgatorio sustinendæ, amissio Divinæ gratiæ & amicitia, ac donorum omnium supernaturalium, conscientia remorsus & inquietudo, ignominia, de quibus videri potest Reginald. l. 2. c. 5. à n. 59. usque ad finem capituli. Hanc autem cognitionem ad contritionem pertinere inde patet, quòd, sicut voluntas nihil profequitur amando, quod cognitum non fuerit ut bonum, ita etiam nihil persequitur odiendo, detestando & averfando, nisi cognoscatur esse malum. II. Hunc intellectus actum sequitur in voluntate absolutum desiderium, ea mala à se removendi. III. Detestatio seu displicentia de

peccato commisso cum desiderio conditionato, factum, si fieri posset, reddendi infectum. Hic desiderij actus vocari solet velleitas, & absolute est inefficax (nequit enim fieri, ut, quod factum est, reddatur infectum) efficax tamen est sub conditione, ut, si fieri posset, non fecisset, quo se inquinavit & DEUM offendit. IV. ex hac detestatione sequitur in appetitu rationali seu voluntate quidam dolor, & tristitia de culpa commissa. Imò V. in appetitu quoque sensitivo oritur ex imaginatione peccati, sensibili modo propositi, horror aliquis & dolor, quandoque tam vehemens, ut etiam lacrimas, gemitus & suspiria exprimat. VI. voluntas seu absolutum propositum nunquam amplius faciendi, seu repetendi, quod malè gestum est, neque DEUM in ulla alia re offendendi, & quod consequens est, mandata DEI integrè observandi. VII. oblatio ad satisfaciendum pro peccatis commissis, & resolutio sui puniendi, sive Divinum honorem læsum in se vindicandi.

6. Ex his actibus solus tertius est, in quo formaliter consistit contritio. Suar. D. 3. f. 3. n. 7. Navar. in Man. c. 1. n. 2. Reginald. l. 5. n. 2. & alij. Ea verò ut fructuosa sit, necessariò debet habere adjunctum sextum Actum, seu voluntatem DEUM amplius non offendendi, potèstque describi in hunc ferè modum: *Est detestatio peccati commissi cum firmo proposito vitam in melius commutandi, & deinceps nunquam amplius peccandi.* Desumpta est hæc definitio ex Concilio Trident. sess. 14. c. 4. cum hoc tamen discrimine, quòd Concilium dixerit, contritionem esse simul dolorem: unde aliqui

occasionem sumperunt cum Coninch. *D. i. d. 2. n. 10.* Et dicendi, contritionem consistere simul in utroque actu, dolore nempe & detestatione. Sed dolor iste non tam est formalis ratio contritionis constitutiva, quàm, ut Reginald. *l. c.* & alij notant, effectus quidam necessarius ex detestatione, perinde ut lumen in corpore pellucido ex presentia corporis lucidi, ortus. Et ideo particula ista addita reddit definitionem non merè formalem, sed etiam causalem simul: cum è contritio illa, quam ex Concilio Florent. in lit. Unionis accepimus, sit merè causalis, per effectum, tanquam per aliquid notius, tradita in hæc ferè verba: *Contritio est dolor animi de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cetero.*

ARTICULUS III.

De Motivo Contritionis.

7. Hoc nomine intelligitur ratio, potentiam, seu intelligentem seu volentem, movens ad actum sibi competentem elicendum. Hoc posito difficultas, quæ hujus loci propria est, in eo versatur, qualenam motivum esse debeat, quo contritio, ut sit idonea ad Sacramentum dispositio, nititur: cuique enim rei, quam detestamur, averfamur & fugimus, inest aliquid, quod ad detestationem, & displicentiam erga illam nos permoveat.

8. Igitur in quolibet peccato complura sunt, quæ reddant id detestabile. I. est, quod sit contra rectam rationem, seu, quod dedeceat naturam rationis capacem sic agere. Idem ferè aliis verbis exprimunt, qui dicunt, ipsam peccati tur-

pitudinem esse rationem, propter quam illud sit detestabile. II. quia adversatur specialia cui virtuti, v. g. castitati, obedientiæ, temperantiæ &c. III. quia cultui divino opponitur. IV. quia lædit jus DEO debitum; DEUS enim ratione supermi, quod in creaturas earumque actiones habet, dominij, habet jus exigendi à creatura rationali observantiam suorum præceptorum. Et hac ratione peccatum induit rationem *injuria*: hæc enim tum fit, quando de re (alienâ scilicet) aliud fit, quàm voluntate Domini constituitur: id quod contingit etiam tunc, cum peccatum committitur; tunc enim de actionibus nostris liberis aliud fit, quàm quod voluntate Domini (DEI) constitutum est. V. quia præbet DEO rationabilem titulum & fundamentum odij, iræ & indignationis contra peccatorem, seu (quod eodem recidit) reddit peccatorem DEO ingratarum & odibilem, DEUM autem peccatori offensum & iratum: quâ consideratione peccatum habet rationem *offensa*. VI. quia nos privat bonis supernaturalibus gratiæ & resultantis inde gloriæ, & malorum gravissimorum, pœnæ scilicet æternæ in gehenna, vel temporalis in purgatorio sustinendæ nos reos constituit. VII. quia mala, etiam temporalia, in hac vita toleranda, secum adducit, v. g. mortem, infamiam, morbos, anxietatem & perturbationem conscientiæ, multam seu pœnam v. g. verberum, Præceptoribus, Parentibus, Judici humano &c. dandam; sed hæc mala si præcisè considerentur, ut ab homine, vel aliis causis naturalibus proveniunt, non sunt sufficiens motivum ad excitandum dolorem requisitum ad

Sacra-

Sacramentum; sunt verò, si eadem spectentur, ut specialiter etiam à DEO, tanquam justo scelerum vindice proveniunt & permittuntur. Hurtad. *de Sacram.* D. 6. f. 2. apud Dianam 4. p. 11. 4. R. 193. contra Suar. D. 20. f. 2. existimantem, dolorem ex motivo temporalium malorum hujus vitæ profectum non sufficere. Sed si loquatur de ejusmodi malis, prout referuntur ad DEUM in pœnam delicti ea inferentem, communi & receptæ sententiæ adversatur; quod illum voluisse facere, & in hoc sensu eum loqui, mihi non est incredibile; si verò ob ea mala doleat sine respectu ad DEUM, utique non sufficit. VIII. quia per peccata homo se reddit ingratum DEO, cum tamen ab ipso plurima & ingentia beneficia acceperit hætenus, & in dies, imò & in momenta quotidie accipiat. IX. quia displicet DEO à nobis super omnia dilecto, & quasi malum quoddam ipsius est.

9. Pro varietate harum rationum formalium seu motivorum etiam ipsi actus variantur, & ad diversas virtutes pertinent. I. Oritur ex amore virtutis in genere. II. ex ea virtute, cui peccatum opponitur; qualibet enim virtus & bonum suum prosequitur, & oppositum malum fugit, & quidem præ omnibus malis pœnæ: quævis enim malitia moralis major est quocumque malo pœnæ. III. ex Religione, quæ est virtus inclinans ad cultum debitum DEO exhibendum. IV. ex Justitia erga DEUM, quæ præcepta, tanquam DEO jure maximo debita, implere satagit, & eorum transgressiones tanquam veras injurias detestatur, & quantum potest, resarcire contendit. V.

ex Pœnitentia, quæ, prout est specialis virtus, à reliquis distincta, respicit & avertatur peccatum, tanquam id, quod fundat in DEO rationabile odium, displicentiam & indignationem adversus peccatorem, turbat pacem, & constituit inæqualitatem inter DEUM & hominem. VI. ad Spem pertinet: hæc enim non tantum versatur circa ultimum æternæ beatitudinis finem consequendum, sed etiam circa malum illi fini oppositum avertendum. VII. ad amorem sui spectat. VIII. ad gratitudinem, quæ id utique attendit, ut benefactori nostro non inferamus malum. IX. ad charitatem DEI, & inter enumeratos actus præstat, & nomine Contritionis significatur.

10. Quoniam autem DEUS variis modis diligi potest, idcirco necessarium est, eos modos diligenter distinguere, ut tandem sciatur, in quo consistat Contritio, quam *perfectam* appellant. Amor ergo, quo DEUS diligitur, duplex est, Concupiscentiæ unus, alter Amicitia. Amor concupiscentiæ est, quo DEUM, tanquam nobis bonum & utilem diligimus; quatenus nimirum ab eo beneficia accipimus & speramus. Ex hoc amore nascitur detestatio peccati, quatenus non tam DEI malum est, quam nostrum, utpote quod DEUM summum bonum à nobis avertat, jure felicitatis privet &c. detestatio autem hæc ad attritionem spectat, utpote non tam ex amore DEI, quam nostri orta. Amor amicitia, qui & *Benevolentia* vocatur, est, quo DEUS à nobis diligitur, ut in se bonus est, & amabilis, abstrahendo ab omni nostro commodo, inde resultante. Ex hoc amore nascitur detestatio peccati præcisè,
quòd

quod sit aliquid displicens DEO, licet inde nihil nobis mali accideret, neque ulius boni iactura fieret. Et hic Actus *Contritio perfecta* vocatur, & est omnium præstantissimus, utpote qui nihil proprii commodi aut amoris concupiscentiæ admixtum habeat, sed ex puro DEI amore suam trahat originem.

ii. Uterque hic amor DEI potest esse super omnia, id est, talis, ut vi illius homo sit paratus, DEUM præferre omnibus, hoc est, omnia potius mala pati, & omnia bona negligere, quam DEUM graviter offendere, seu quam committere aliquid, quod DEO graviter displiceat, (quod ad amorem amicitiae spectat) aut eum à nobis avertat, quod est amoris concupiscentiæ.

12. Illud verò hic advertendum est, etsi, qui majori Spiritu ducuntur, possint sibi singillatim proponere, & bona, quorum mallent iacturam facere, & mala, quæ potius sustinere parati essent; id tamen non esse necessarium, & ob humanam fragilitatem sæpenumero periculo non vacare. Et idcirco ejusmodi comparationes fragilibus communiter sunt dissuadendæ, ne potius horrore alterius mali propositi, quam peccati, quod sit offensivum DEI summè nobis dilecti, moveantur ad ejusdem peccati detestationem; sic enim non solum sæpè impediretur contritio, sed etiam novum peccatum contraheretur, eligendo potius peccatum, quam malum illud pati; v. g. non oportet expressè dicere: super vitam, super honorem, super divitias &c. DEUM diligo: malo vivus comburi, malo videre & pati mortem & eadem charissimorum parentum, aut gravissi-

mos quosque cruciatus, ipsius etiam inferni sustinere &c. quam DEUM graviter offendere. Sufficit enim virtualis & implicita comparatio, sita in quadam efficacitate, & universalitate amoris, & his ferè verbis exprimi solet, aut potest: *DEUM super omnia diligo, eisque, quantum in me est, in omnibus placere cupio*; consequenter quidquid occurreret DEO displicens, vi hujus resolutionis detestarer, & repellerem. Laym. l. 5. c. 1. n. 7. Coninch. D. 2. d. 5. n. 42. & d. 7. n. 69. Bonac. D. 5. q. 5. s. 1. p. 7. n. 4. Reginald. l. 5. n. 36. Navar. c. 1. n. 21. qui idcirco reprehendit Confessarios, si interrogent pœnitentem, mallèrne potius filios suos, vel se obiisse mortem, quam peccasse, seu, paratúsne potius sit mori, charissimos suos filios perdere, &c. quam peccatum admittere; hæc enim est nimis gravis tentatio. Nam, ut S. Thomas *quodlib. 1. art. 9.* ait, sicut delectabilia magis animum movent ad delectandum, si speciatim, quam tantum generatim, proponantur; ita etiam ea, quæ terrificata sunt, plus terrent, si speciatim cogitentur, quam si generatim: & fieri potest, ut, qui generatim mavult omnia pati, quam peccare mortaliter, nolit hoc aut illud malum specialiter propositum & consideratum.

ARTICULUS IV.

De qualitatibus Contritionis.

13. Etsi, ut supra n. 2. & sequenti dixi, indubitatum sit, dolorem, vel detestationem potius peccati ad valorem confessionis requiri, qualis tamen esse debeat, non est usquequaque expeditum dicere,

dicere. Certum autem est I. dolorem illum non debere esse corporis, seu sensibilem: Navar. c. 1. n. 23. Reginald. l. 5. c. 1. n. 2. sicut enim ad peccatum non requiritur corporis sensus, voluptas, aut complacentia (sola enim mente quandoque consummatur, ut patet in peccato desperationis, hæresis, superbiæ &c.) sed internus consensu voluntatis, approbantis & amplectentis id, quod malum est, & ut tale cognoscitur: ita etiam ad contritionem non requiritur dolor ille sensibilis. Unde licet doloris sensum, aut motum in corpore seu corde non sentias, nec ex oculis lacrimæ fluant, nec ex pectore gemitus erumpant, non ideo deest contritio, utpote quæ consistit in voluntate, improbante & detestante sua peccata, & dolente, quod ea commiserit, ita ut si adhuc integrum esset, nullo modo vellet ea amplius perpetrare, atque adeo firmiter statuatur imposteum evitare.

14. Atque hinc redarguitur quorundam, præsertim mulierum, gravis error & deceptio, existimantium, se non esse verè contritos, nisi in ipso quoque corpore eum dolorem sentiant. Utilis quidem is est & bonus, si haberi possit, Reginald. Navar. l. c. non tamen est necessarius, neque etiam sollicitè & anxie procurandus, neque, si habeatur, coram aliis spectantibus vel audientibus elicendus: sed potius clam sine ullo alio, præter DEUM, arbitro, juxta illud psal. 4. in cubilibus vestris compungimini: non raro enim hæc in re grave à demone periculum imminet, & superbiæ vanæque gloriæ materia & argumentum inest.

R. P. Stoz Trib. Panit.

15. II. Non est necesse, ut detestatio peccatorum seu contritio certo & longo tempore duret; sufficit ad eam tempus parvum; imò sufficit, si fiat in instanti: sumitur ex Ezech. 18. & 33. ubi Dominus dicit, se, quacunque horâ peccator conversus fuerit, ejus iniquitatum non amplius recordaturum. Et ratio est: quia contritio, licet in instanti fiat, adhuc tamen vera est contritio. Suar. D. 4. s. 5. n. 4. Coninch. D. 2. d. 7. n. 72. Bonac. D. 5. q. 5. s. 1. p. 7. n. 2. Dicast. D. 2. d. 9. n. 187. Laym. l. 5. tr. 6. c. 4. n. 2.

16. III. Ad veram contritionem non requiritur certa intensio, seu ut fit magna aut summa intensio, intensio physica: sufficit substantia actus, in quamcunque remisso gradu fiat, modò sit vera contritio. Navar. c. 1. n. 7. Suar. s. 4. n. 9. Coninch. n. 70. Reginald. c. 3. s. 3. Henric. l. 4. c. 27. n. 6. Dicast. D. 2. d. 7. n. 163. Laym. n. 1. Fill. tr. 6. c. 9. n. 235. Bonac. n. 3. & alii. Tum quia nulla usquam in Sacra scriptura extat mentio, aut præceptum de certo aliquo intensiois gradu, cum per poenitentiam vel contritionem peccator ad DEUM convertitur, aut, ut convertatur, commonetur. Tum quia peccatum mortale, in quamcunque remisso sit gradu, sufficit ad gratiam sanctificantem destruendam; ergo è converso, quamcunque remissa sit contritio, sufficit ad eandem gratiam recuperandam. Tum quia aliàs semper anxii essemus, dubitantes, an sufficientem doloris gradum haberemus: nullus enim est dolor, qui non possit esse intensior, ut omnes sentiunt, & experientia, quæ est rerum magistra, cap. quàm sit. de Elect. in 6. docet: imò, quod gravius est, semper

G

semper existimaremus, nos, quocunque motu à peccato ad DEUM converteremur, præceptis divinis non satisfacere, & manere adeo semper in statu peccati. Unde adduceremur in desperationem de nostra salute, & aperiretur via blasphemæ sentiendi de DEI bonitate, qui medicinam animæ nostræ instituerit, in qua tamen pacem & tranquillitatem invenire non possemus. Nec refert, quò dicatur, quò graviora fuerint peccata, eò etiam graviolem debere esse dolorem: hoc enim intelligendum est non de obligatione præcepti, sed de consilio, honestate & decentia, vel etiam de utilitate. Utique enim eo utilior est dolor, quò est major. Navar. n. 35. per eum enim semper remittitur aliquid pœnæ temporalis, & eò plus, quò ille fuerit major. Unde ita perfici potest, ut tollat omnem reatum pœnæ, ut notatur in *cap. Mensuram, Dist. 1. de Pœnit.* Laym. l. 5. tr. 6. c. 4. n. 1.

17. IV. Debet tamen contritio in alio sensu esse summa, nempe *appretiative*, hoc est, debet quis peccata detestari super omnia, quæ peccata non sunt, detestabilia, hoc est, ita ut, si necessarium esset, vel peccatum, vel quodvis aliud etiam gravissimum malum, modò peccatum non sit, detestari, execrari & fugere, voluntas potiùs desisteret à detestatione aut fugâ cujusque mali, quàm à detestatione peccati: hâc enim ratione censetur voluntas peccatum præferre omni alteri malo, & detestari super omnia: & meritò, cum enim peccatum, quo DEUS offenditur, sit summum malum, debet etiam super omnia odio haberi, sic, ut ob nullam rem hujus mundi, ipsam

etiam vitam conservandam, licitum sit unquam peccare, sed homo potiùs paratus esse debeat, quidlibet pati, quàm vel beneplacitum, aut gratiam vel amicitiam DEI amittere, vel DEO fastidium seu displicentiam creare. Bonac. l. c. Fill. l. c. n. 137. Suar. f. 9. à n. 9. Coninch. n. 68. Reginald. n. 35. Dicast. D. 2. d. 7. n. 168. & alii communiter. Potest in declarationem hujus doctrinæ adferri exemplum Matris, jacturam filii unice dilecti, & catuli alicujus perchari passæ. Hæc enim, si de intentione actûs loquamur, sape longè acerbius deslebit & lugebit mortem catuli, quàm filii; & tamen, si interrogetur, utique, nisi stulta sit, respondebit, se mortem filii multò plus aestimare, quàm mortem sui catuli, adeò que se, si in potestate esset, potiùs malle eligere catuli, quàm filii tam dilecti mortem. Hic autem non est necessarium, ut detestemur peccatum cum explicita comparatione ad alia mala juxta dicta *suprà* n. 12.

18. V. Contritio, ad delenda peccata mortalia idonea, debet esse actualis & explicita, adeo ut virtualis & implicita nullo modo sufficiat, quod post Concilium Trident. *sess. 14. cap. 13.* videtur esse adeo certum, ut Suar. D. 20. f. 1. contrarium judicet, temerarium esse; Vasq. verò *de Pœnit. q. 92. a. 1. d. 1.* erroneum. Licet ergo communissima Theologorum sententia sit, amorem DEI super omnia tam efficacem esse, ut, cum in se contineat virtualiter dolorem de peccatis, ad peccata mortalia, etiam extracatum Martyrii & Sacramenti, abolenda valeat; tamen ob tam gravem virorum doctissimorum censuram negandum non est,

est, eum ad Sacramentum tam necessarium esse, ut, si de peccatis mortalibus agatur, id sine eo sit omnino irritum. Tamb. l. 1. c. 3. §. 1. n. 1. §. 33. An autem idem sit, si ad hoc Sacrum Tribunal adferantur peccata non nisi venialia, jam dudum dubitatum est à Theologis: Et licet id videri possit esse certum, quòd, sive peccata venialia, sive mortalia exhibeantur, Sacramentum sine suis partibus essentialibus, inter quas est dolor de peccatis, constare non possit; nihilominus tamen Concilium in has scholasticas lites, an scilicet ad Confessionem venialium sufficiat dolor virtualis in amore DEI super omnia situs, se immiscere non voluit, sed aliquid relinquere Disputationi Theologorum. Id quod inde satis colligitur, quòd *sess. 14. c. 4.* in fine dixerit, ad Sacramentum hoc (Pœnitentiæ) requiri tanquam partem proprium motum pœnitentis: videtur enim hîc universim Confessione loqui, & de Confessione venialium verificari, etsi præcedat tantum virtualis, quem dixi, dolor; nam & hîc est proprius motus pœnitentis. Quando ergo Concilium ad Confessionem requirit dolorem, & quidem, ut contendunt, explicitum, de peccatis mortalibus intelligendum id est: de his enim solis suam isthîc doctrinam quoad explicitum de peccatis dolorem tradit. Tamb. n. 1. qui postea n. 2. addit, Præposito & alijs hanc sententiam non esse improbabilem, ut adeo, qui eam securus esset, etiam in conscientia securus esset futurus. Sed ego me in hæc ulterius non immisceo, contentus indicasse breviter, quid alijs viris peritis ac doctis videatur probabile.

19. VI. Eadem contritio debet esse supernaturalis: Bonac. p. 3. Henriq. l. 4. c. 21. n. 6. §. c. 26. n. 5. Suar. D. 5. f. 1. n. 2. §. alijs communiter: Tum quia contritio debet esse dispositio ad gratiam, ad quam ut actus, ex motivo merè humano sine ullo respectu ad DEUM elicitus, aliquid conducatur, tantum abest, ut oppositum sit error Pelagij & sequacium. Hæc autem supernaturalitas ut fidelibus desit, vix est periculum, cum, quando de suis peccatis dolent, ex fide agant, & per eam DEUM apprehendant: quod ad supernaturalitatem sufficere docet Becanus c. 35. q. 1. n. 8. & ut referuntur, Ruiz de volunt. DEI. D. 28. f. 3. n. 1. & Granad. l. 2. de Grat. dumajunt, ad opus supernaturale sufficere, si quis operetur, quia sic decet Christianum; quia sic alijs Christiani solent facere; quia Ecclesia suadet, vel præcipit; quia sic fides docet &c. Unde colligitur, catholicos, etiam rudes, plerumque exercere actus supernaturales, ut proinde nec Confessarius, nec pœnitens ipse debeant esse anxij, an dolor sit supernaturalis.

20. VII. Denique dolor, ut sit idoneus ad Sacramentum fructuosè recipiendum, debet esse universalis. Cum enim juxta communem Theologorum sententiam nullum peccatum mortale remittatur sine altero, necesse est, ut dolor ad omnia mortalia se extendat. Si quis ergo de aliquibus duntaxat doleret, non esset vera Pœnitentia, sed ficta, & simulata. Hoc autem intelligendum de peccatis, quæ nondum ulla contritione aut confessione expiata sunt: contritio enim eò tendit, ut reconciliemur cum DEO,

non ergo extendenda est ad peccata, quæ jam sunt remissa: hæc enim nos non reddunt amplius DEO odibiles & inimicos. Dian. 5. p. 11. 13. R. 33. §. unde, & 10. p. 11. 16. R. 30. & p. 11. 11. 8. R. 51.

21. Aliud est de peccatis venialibus; hæc enim, ut gratiam non tollunt, ita etiam necesse non est, ut omnia simul per contritionem deleantur: possunt ergo quædam eorum remitti, ut tamen alia remaneant: Navar. c. 1. n. 26. Reginald. l. 5. c. 4. n. 42. Imò nec veniale peccatum ullum remittitur illi, qui vigentem ad id affectum retinuerit. Et hæc causa est, quod, cum vix quisquam sit, in quo non perseveret vigens ad nonnulla peccata venialia affectus, rarissime indulgentiarum, etiam plenariorum, acquisitione pœna omnis temporalis (quod alioqui plenarijs indulgentijs tribuitur) extinguitur; non quidem ex earum causa, sed defectu capacitatis hominum, quem viva voluntas ad quodcunque etiam veniale peccatum inducit. Quare id enitendum est, ut contritio, quæ se ad omnem culpam, quantumvis leuem, extendat, eliciatur.

ARTICULUS V.

De Varietate, & Efficacia Contritionis.

Ex dictis hæcenus constat, dolorem ad Sacramentalem Confessionem requisitum generatim & formalissimè consistere in detestatione peccati, quod DEI sit offensivum; & eliciendum esse de peccatis commissis omnibus (si quidem mortalia fuerint) tam de ijs, quæ post accuratum examen in memoriam redi-

runt, quàm de ijs, quæ eandem subterfugerunt.

22. Est autem ejusmodi dolor duplex; perfectus unus, qui retento sui generis nomine vocatur Contritio: alter imperfectus, qui vocatur Attritio. Differunt hi duo dolores partim in objecto formali seu motivo proprio; partim in effectu. Nam objectum formale contritionis est peccatum, quatenus est offensa DEI, super omnia dilecti, non alio quàm amicitia amore, ut supra n. 10. est explicatum: si ergo doleas, aut detesteris peccatum propter DEUM purè propterea, quod ei displiceat, aut malum ejus sit, & sic quasi nauseam aliquam & molestiam pariat, erit Contritio. Objectum verò formale attritionis est quodcunque aliud ex enumeratis supra n. 8. Si ergo doleas propter teipsum, quia peccatum tibi nocet, animam derurat, iram DEI provocat, pœnam seu æternam seu temporalem à DEO infligendam meretur, bonis æternis & temporalibus privatus erit Attritio. Consequenter contritio erit actus amoris DEI; attritio amoris nostri; ejusdem enim virtutis est, bonum alicui velle, & de malo ipsius dolere. Laym. l. 5. tr. 6. c. 1. n. 4. Bonac. D. 5. q. 5. s. 1. p. 4. n. 11. & alij. Paucis ergo, & ad caput vulgi, Contritio sic describi potest ex Thoma Zerola in practica Pœnitentiæ cap. 8. Est detestatio peccati propter offensam DEI; Attritio verò sic: est detestatio peccati propter aliquod malum aut incommodum nobis inde proveniens.

23. Jam si & effectum Contritionis & Attritionis consideremus, maximum discrimen inter utrumque istum actum intercedere deprehendemus: nam per contritionem

tritionem statim omnia peccata mortalia, etiam extra Pœnitentiæ Sacramentum, delentur, atque adeo homo in gratia DEI constituitur; sicut DEUS promisit apud Ezechielem *cap. 33. v. 12.* impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conversus fuerit ab impietate sua: sed ista conversio fit per Contritionem perfectam. Et hoc est certum apud omnes; &

24. Notandum bene ijs, qui repentino mortis periculo obruti non habent facultatem confitendi: item ijs, qui propter administrationem vel receptionem alicujus Sacramenti debent esse in statu gratiæ, & non possunt, aut etiam non volunt confiteri, sicut non tenentur, nisi propter Evcharistiam recipendam: item alijs, ne diu hæreant in peccato, & tot bonorum operum, interim factorum, jacturam faciant, aut improvisa morte tollantur: quia quâ horâ non putamus, filius hominis veniet. *Luc. 12. v. 40.*

25. Nititur autem hæc efficacia Contritionis non tam in intrinseca ipsius actus bonitate, quasi ex se & naturâ suâ vim habeat repellendi peccatum, & formaliter justificandi (ut nonnullis Scholasticis Theologis placet) quàm ut Coninch. *D. 2. d. 4. n. 33.* habet, singulari DEI bonitate, & misericordiâ, & clementiâ, & Christi meritis, quorum intuitu DEUS hanc qualemcunq; satisfactionem pro plena acceptat, ut promissit *Ezech. 18. v. 21.* si impius, inquit, egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis, iniquitatum ejus non recordabor amplius &c. quem locum Theologi, sensum potiùs quàm verba secuti, sic citare solent; quacunq; hora inge-

muerit peccator &c. quæ in Veteri Testamento dicta sunt, multò magis locum habent in Novo; cum in hoc sit lex gratiæ, faciliorem reddens viam ad cælum.

26. Nec minoris efficaciam est Amor amicitiam erga DEUM: nam & hic habet vim peccata mortalia delendi, etiam extra calum martyrij & Sacramenti. Sumitur id ex varijs Sacræ Scripturæ testimonijs. Nam *Joan. 4.* dicitur: si quis diligit me, diligetur à Patre meo. *Proverb. 8.* Ego diligentes me diligo. DEUS autem peccatorem diligere non potest: siquidem odio sunt DEO impius & impietas ejus. *Sap. 14.* Hoc etiam confirmat illud *1. Petri. 4.* Charitas operit multitudinem peccatorum: & illud *Luc. 7.* dimissa sunt peccata multa, quia dilexit multum. Quò omnium apertissimè facit, quod *1. Joan. 3. v. 14.* dicitur: scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, scilicet propter DEUM, sive ex vera charitate erga DEUM: ubi expressè ipsi præcisè charitati translatio de morte ad vitam tribuitur: quod sanè falsò diceretur de eo, qui cum eliciisset verum, perfectum, & purum actum charitatis erga DEUM, adhuc tamen maneret in peccato: non enim hic, cum mortem adhuc in se retineret, posset dici translatus ad vitam. Et possunt hæc omnia ex eo majus accipere firmamentum, quòd nemo possit DEUM super omnia diligere, qui hoc ipso non velit DEUM omnibus alijs, quæ DEUS non sunt, anteponere; in tali enim actu virtute continetur etiam dolor de peccatis: repugnat enim, ut ei, qui DEUM sic amat, adhuc placeat aliquid, quod DEO tam amabili displiceat, seu, ut non deteste-

detesterur id, quod DEO gratum non est. Et licet hoc non semper ita advertatur, tamen ita se habet; nemo enim, qui DEUM sic amat, ita constitutus est, ut, si casus incidat, ut necesse sit vel DEUM offendere, vel magnum aliquod malum perpeti, aut magno aliquo bono carere, non potius hoc, quam illud eligat: v. g. nemo non mavult morbum aut mortem perpeti, quam illicitis & superstitiosis modis sanitatem aut vitam conservare; mavult lucrum iniquum amittere, quam modo illicito, usurario adipisci &c. ad huiusmodi autem iacturam præ inimicitia DEI, quam alioqui certò incursumus esset per peccatum, ferendam paratus esse non potest, quin simul virtute detestatur peccatum, ceu malum displicens DEO. Nec refert, quòd in eiusmodi casibus videatur DEUS præponi uni tantum particulari bono; quia illud bonum non respicitur quòd tale, sed quòd contrarium & displicens DEO, & ideo virtute ad omnia alia extenditur. Et hæc est causa, quòd amor DEI super omnia nomen Contritionis virtualis sortiatur, Navar. cap. 1. n. 9.

27. Nihilominus tamen tam Contritioni, quam amori DEI super omnia annexa est obligatio, peccata, etsi per alterutrum jam remissa sint, suo tempore confitendi: omnium enim causarum cognitionem Christus suæ Ecclesiæ commisit. Id quod ipsemet satis videtur indicare voluisse, cum leprosis jam mundatis nihilominus præcepit, ut se Sacerdotibus sisterent. *Matth. 8. Luc. 17.*

28. Sed, ut jam ad Attritionem revertamur, ea non tantum ex objecto formali, de quo *suprà* n. 22. sed etiam

ex effectu à contritione distinguitur: non enim illa extra casum Sacramenti aut Martyrii sufficit ad gratiam per peccatum amissam recuperandam. Quæ est sententia Catholica desumpta ex Concilio Trident. *sess. 14. c. 4.* Virtus enim restituendi peccatorem in pristinum gratiæ statum, attritioni non convenit ex natura rei (sic enim nec contritioni convenit) nec ex Divina promissione: de hac enim nec ex Sacris literis, nec ex Patribus aut Conciliis, nec ex consensu Doctorum quidquam constat: imò ex Concilio Trident. modò allegato contrarium clarum est.

29. Verùm prius, quam ulteriùs progrediamur, investigandum paucis est, qua ratione gehennæ, aut cuiuscunque alterius pœnæ à Divina Providentia in vindictam peccati inflictæ timor, ex quo attritio nascitur, possit esse sufficiens dispositio, cum, quæ ex metu fiunt, videantur admixtum habere affectum, id, quod ex metu alicujus mali incurrendi deseritur, aut abjicitur, quantum est ex se, potius retinendi, quam abjiciendi: quod exemplo alicujus in naufragii periculo constituti declarari potest; hic enim mallet suas merces retinere, quam in mare jactare, licet eas omnino projiciat ex metu vitæ aliàs amittendæ: sic qui attritus tantum est, detestatur quidem peccatum, sed tamen ita, ut si inferni pœnæ, quam aliàs incursumus esset, non foret, veller in eodem, quem modò ex metu deserit, statu permanere.

30. Utique hæc dispositio, si alia non sit, est pessima, & proflus inidonea ad Sacramentum, seu validè, seu licitè & fructuosè recipiendum: repugnat enim, reconciliationem cum DEO per Sacramentum

mentum querere, & tamen velle permanere in statu inimicitiae cum DEO: quod omnino vult, qui non aliter, quam priori numero dictum est & expositum, attritus est. Sed res longe aliter se habet, quam paucis sic accipe.

31. Metus, qui hominem à peccato absteriet, nascitur ex amore nostri ipsorum sive concupiscentiae, & procedit ab habitu seu naturali seu supernaturali, à quo spes procedit: quia ejusdem virtutis est, bona prosequi & opposita mala fugere. Sicut igitur naturalis amor nostri inclinatur, ut amemus bonum nostrum naturale, v.g. panem quotidianum; ita timor ex eo ortus inclinatur ad fugienda mala ei adversantia. Item sicut spes supernaturalis impellit nos, ad amandam nostram supernaturalem felicitatem, ita timor ex ea ortus ab omnibus, quae ei adversantur, nos avertit.

32. Ceterum potest sic spectatus timor adjunctos habere varios actus. I. qui ex metu operatur, potest ita esse constitutus, ut absteat quidem à peccato, seu detestetur illud; tamen nisi gehenna esset, à peccato nec desisteret, nec illud detestaretur: & hic metus propter admixtum tam perversum affectum utique malus est, quia charitati divinae contrarius est; vocaturque verè *servilis*, & ut monstratum est, ad Sacramentum est profusus inidoneus. II. Potest metus ille ita concipi, ut cupiamus quidem à peccato abstinere, non tamen nisi quia poenam ob id ab hominibus, non autem à DEO, infligendam metuimus. Et hic metus *Mundanus* vocatur, & ipse quoque malus est; quia peccatum etiam ad talem poenam evitandam non potest esse

medium apium. III. Potest idem metus ita concipi, ut eo moti fugiamus & detestemur peccatum, non præcisè quia ob id reatum poenae, sive à DEO, sive ab hominibus infligendae, incurrimus, de cetero parati ad peccandum; sed quia DEUM, seu Dominum nostrum, & amantissimum nostrum Patrem reveremur & amamus, & idcirco metuimus, ne eum offendamus, & indignationem apud eum incurramus. Et hic timor *filialis* appellatur, de quo loquitur Tridentinum, vocans eum Donum DEI, & Spiritus Sancti impulsum, nondum quidem inhabitantis per gratiam, sed moventis ad poenitentiam, ex qua iusti fiamus coram DEO. Quae ut ad facilem etiam rudiorum captum aptiora sint.

33. Advertendum est, objecta, ad quae amplectenda metus nos cogit, nobis quandoque esse ingrata & molesta; sic homini naufrago & amanti suas merces valde dura est & gravis earum in mare projectio: alia verò grata & jucunda, vel certè nullam molestiam aut difficultatem secum trahentia; ut si quis mihi mortem minetur, nisi ad famem pellen- dam comedam cibum, alioqui mihi suavem & gratum, aut nisi parùm ambularem, cum tamen in ea ambulatione nullam habeam molestiam aut repugnantiam. Quòd si metus determinet ad objectum prioris generis, tunc oritur aliqua voluntatis resistentia, volentis, si quâ ratione posset, illud potius retinere, quam ob malum imminens evitandum dimittere. Quando verò objectum ex metu deferendum est posterioris generis, tunc nulla intervenit volitio tendens in objectum oppositum illi, quod quis ex
metu

metu amplectitur, sed metus est potius nova ratio boni de novo attrahentis ad objectum. Sic in attritione objectum, quod per illam dimittendum est, est peccatum: & ad hoc pia & DEO devota anima nullum sentit affectum, sed potius illud averfatur, quod DEO sit contrarium: & idcirco si gehennæ aut alterius pœnæ, à DEO infligendæ, metus ad illud deferendum nos permoveat, nulla in hoc metu est inordinatio, nulla erga peccatum complacentia, etiam simplex tantum, nulla propter illud deferendum tristitia aut tergiversatio, multò minus affectus, etiam conditionatè tantum efficax, de peccato mortali commisso aut committendo: affectus enim talis erga peccatum grave est peccatum grave; & tristitia de peccato deferendo peccatum est, & averfatur timori, quem filius morigerus debet suo charissimo patri. Sed hæc de attritione satis, & ultra propositum paulò fufius: ad id verò compulit necessitas, ut exacta attritionis haberetur notitia, quam difficilem & operosam reddere potuit, quod *supra n. 29.* propositum est.

ARTICULUS VI.

Qualis dolor requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ?

34. Certum & Catholicum dogma est, ad Confessionem Sacramentalem rectè obeundam, requiri aliquem dolorem, ut *suprà n. 2.* vidimus; *Suar. D. 20. f. 3. n. 8.* Sed qualis ille? attritio, an verò contritio, quam ad distinctionem prioris cum addito solemus vocare perfectam. Et hanc quidem ad Confessionis

Sacramentum sufficere, non est dubitandum, cum etiam extra illud sufficiat ad peccatorem DEO reconciliandum. Eam autem ad ejusdem Sacramenti valorem determinatè requiri, sententia est nullo modo probabilis, imò erronea, vel certè periculosa in fide juxta *Suar. D. 20. f. 1. n. 10.* Sed nec attritio determinatè ad eundem valorem requiritur, cum abundè satis sit contritio. Itaque alterutra est necessaria, fere perinde, ut Philosophi solent dicere, alterutrum oculum, sinistrum vel dextrum confusè, neutrum determinatè, necessarium esse ad videndum.

35. Itaque qui confiteri cogitat, debet, si nolit contritionem, elicere ad minus attritionem, ad quam specialiter, præter ea, quæ *art. 4. de qualitatibus doloris.* diximus, requiritur I. ut sit vera; non merè, licèt etiam invincibiliter existimata. *Bonac. D. 5. q. 5. s. 1. p. 5. n. 6. Suar. D. 20. f. 3. n. 6. & 16. Coninch. D. 4. d. 5. n. 40. Fill. tr. 7. c. 6. n. 152. & alii.* Confessio enim, ut est pars hujus Sacramenti, debet esse sui ipsius accusatio, non qualiscunque, sed tendens ad reconciliationem cum DEO: atqui nulla est talis, nisi per eam significetur, peccatorem sui peccati ita pœnitere, ut ei peccatum possit per Sacramentum remitti, ergo ut Confessio possit esse pars Sacramenti, debet significare, peccatori inesse dolorem, qui sufficiat ad fructum Sacramenti percipiendum, & consequenter, ne sit falsum signum, debet peccatori inesse talis dolor. Ad hæc, si dolor, quamcunque alias bona fide existimetur adesse, verè tamen desit, deest una pars Sacramenti, & consequenter hoo

hoc nullum est; perinde ut in Sacramento Ordinis, si materia essentialis est tactus, & quidem phisicus Calicis & Patenae, etiamsi aliquis invincibiliter putet, se terigisse, si revera non tetigit, nihil factum est: non enim ignorantia humana mutat materiam, nec DEUS supplet essentialem defectum ob privatum errorem: quod ipsum cum proportione dicendum etiam est in praesenti materia.

36. II. Ut sit efficax. Bonac. D. 5. q. 3. p. 2. n. 13. Suar. D. 5. s. 1. n. 5. & D. 20. s. 4. n. 7. & alii, quia in iudicio reconciliativo, quale est hoc Sacramentum, non potest esse vera iuimet accusatio sine dolore efficaci, qui nempe excludat omnem omnino voluntatem peccandi, qualis sanè non est simplex displicentia seu nolletas, quae peccatum averfamur: ea enim non excludit absolute complacentiam in peccato mortali, cum saepe faciamus, quae nobis aliquatenus displicent: v. g. sanitatis gratiam sumimus amaras potiones, quarum amaritudo displicet; Iudex reum laqueo addicit, cujus vicem ex humano commiserationis affectu dolet: sic & peccatum displicet, tamen homini alicujus obtinendi, vel incommodi vitandi causa perpetratum placet. Debet ergo voluntas absolute & efficaciter tollere peccatum, quocumque demum fudo sit illitum. Qui actus communiter sic solet explicari: Peccatum, quod commisi, ita mihi displicet, ut, quantum in me est, nolim id unquam à me perpetratum, & velim tam hoc, quam quodcunque aliud amplius nunquam perpetrare.

37. III. Ut sit universalis: Suar. D. 20. s. 4. n. 23. Etsi enim attritio ut plurimum nitatur motivo aliquo particulari, R. P. Stoiz Trib. Pœnit.

v. g. ob turpitudinem talis peccati in genere, tamen nisi procedat ex voluntate, detestante peccatum non jam ex ejusmodi motivo particulari, sed ex voluntate quadam universali, extendente se virtualiter ad omnia peccata mortalia commissa, nihil prodest. Nam ejusmodi detestatio cadens super unum peccatum, non excludit affectum erga alia peccata, & consequenter ad ea delenda non potest conducere: cum ex una parte nullum peccatum mortale deleatur sine alio; ex altera verò nullum à DEO remittatur, quod peccatori ipsi non displiceat. Itaque actus attritionis, ut sit universalis, sic exponi debet: Detestor peccatum, quod sit contra DEUM, justum omnium quidem scelerum, sed praecipue istius, quod ob suam singularem turpitudinem mihi summopere displicet, Judicem & unam etiam severum Vindicem.

38. IV. Sufficit etiam, cum est cognita: hoc est, etsi sciam, me ad detestationem peccati non moveri, nisi ex metu gehennae aut alterius poenae, adhuc tamen sufficientem ad Sacramenti, tam valorem quam fructum, dispositionem adfero, saltem extra articulum mortis. Coninch. D. 3. d. 1. n. 4. & alii communiter omnes. Etsi enim attritio cognoscatur ut talis, id est, profecta ex metu poenae, adhuc tamen est vera peccati detestatio, estque adeo & manet dispositio ad Sacramentum etiam fructuose percipiendum sufficiens. Atque hinc Theologi communiter dicunt, Sacramentum ex attrito facere contritum: quod non est intelligendum formaliter, quasi unus actus transmutetur in alium; sed virtualiter, quod eundem effectum operetur.

H

quem

quem alioqui contritio habuisset extra Sacramentum, Laym. l. 5. rr. 6. 6. 2. n. 2. perinde ac si aliquis diceret, ex cupro fieri argentum, cum cupreae monetæ auctoritate Principis tantumdem valoris tribuitur, atque aliàs haberet argentea.

39. Dixi: *Saltem extra mortis articulum*: de hoc enim diversimode sentiunt Auctores. Nam Coninch. n. 6. Suar. D. 35. f. 4. n. 18. Laym. n. 6. § 7. existimant, hominem moribundum, non quidem ex obligatione Sacramenti, sed ex ordinata sui ipsius charitate, teneri ad elicendum actum perfectæ contritionis, ne salutem suam æternæ damnationis periculo exponat, si fortè attritio cum Sacramento non sufficiat. Sed Vasquez in 3. p. Tom. 4. q. 86. a. 2. dub. 6. Fagund. 2. p. l. 2. c. 4. n. 13. Dian. 3. p. rr. 13. R. 33. à §. *quintam*. & alii contrarium tenent, & meritò: ex eo enim, quòd sit cognita, non amittit suam vim, etiam pro mortis articulo, ut adeo metus ille Suarezii & aliorum vanus sit, & irrationabilis: cur enim metuum ne fortè non sufficiat attritio, cum ex fide catholica certus sim sufficere, ut ex Trid. sess. 14. cap. 4. & can. 5. constat, sed etsi non omnino certum esset ex fide, sufficeret tamen certitudo moralis. Nec quisquam ex charitate tenetur, securissima media salutis eligere; alioqui tenerentur omnes ægri pro majori securitate confessionem generalem instituere, contritionem sæpius iterare, ne fortè prior confessio vel contritio non fuerit valida; quod est contra praxin omnium etiam proborum fidelium, ægrotis nimis onerosum, & scrupulis plenum.

40. V. Attritio (idem est de contri-

tionem) debet cadere super ipsa peccata, & esse actualis seu expressa. Ratione prioris ad Pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum non sufficit actus, quo quis dolet, se non dolere de peccatis. Bonac. D. 5. q. 5. f. 1. p. 3. n. 7. Tamb. in Method. Confess. l. 1. c. 2. §. 1. n. 1. Laym. c. 4. n. 5. & alii. talis enim dolor non est detestatio peccati, sed dolor de carentia attritionis. Nihilominus tamen, quod solatio esse potest hominibus aliquin anxii, ne fortè non doleant de suis peccatis, cum tali actu, quo quis dolet se non dolere, ut plurimum conjunctus est dolor de peccatis; potest enim iste loquendi modus habere hunc, eumque sanum sensum: doleo, quòd non habeam dolorem magnitudini meorum peccatorum satis proportionarum: in quo actu includi dolorem de peccatis clarum est.

41. De posteriori jam supra n. 16. dictum est: Ratione autem illius prioris ad susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ etiam non sufficit detestatio peccati, quæ in voluntate recipiendi hujus Sacramenti implicitè continetur. Bohac. n. 5. & alii communiter. quia detestatio, inclusa in voluntate suscipiendi Sacramentum, non est propriè attritio, quæ tamen ut minus requiritur juxta n. 35. ad Sacramentum: voluntas certè confitendi non est ipsa voluntas dolendi, seu dolor, & detestatio peccati; quamcunque enim velim suo tempore confiteri, non tamen per hoc præcisè jam nunc detestor peccatum, ut clarum est.

42. VI. Non est necesse, ut seu contritio seu attritio de singulis peccatis mortalibus singillatim eliciatur, hoc est, ut singulis

singulis peccatis mortalibus proprius ac specialis dolor respondeat. Laym. n. 3. Bonac. p. 5. n. 1. Suar. D. 4. s. 6. n. 3. Reginald. l. 5. c. 4. n. 51. Valent. T. 4. D. 7. q. 8. p. 6. in princ. Navar. c. 1. n. 25. & alij. quia cum plures dolores non possunt simul elici, sed ad eos eliciendos necessaria sit temporanea quaedam successio, quaestio de prima contritione est, an ea statim, ut elicitur, suum habeat effectum, vel non, sed tum primum, cum de ultimo peccato mortali elicitur contritio? sed hoc posterius dici non potest, quia contritio est in ordine ad hunc effectum delendi peccatum causa necessaria, atque adeo more aliarum similium causarum statim, ac ponitur, suum habet effectum. Prius autem etiam dici nequit, quia posteriores contritiones omnes essent inutiles, ac frustraneae: quid enim agerent, quando prima jam suum consecuta est effectum, nempe remissionem peccati, & quidem omnis, cum unum sine altero non remittatur; sub hac ergo sufficit unus & simplex dolor contritionis, elicitus generatim de omnibus peccatis mortalibus commissis, consideratis sub una eademque ratione, quod sint offensa DEI, nobis super omnia dilecti, & quidem amore benevolentiae seu amicitiae. Praterquam quod nullum uspiam fundamentum extet, ex quo erui possit obligatio, singula peccata mortalia singillatim detestandi, etiam per attritionem. Ad quid ergo aggravemus jugum Christi, alioqui suave & leve?

43. VII. Sed nec istud opus est, ut, cum contritionem elicimus, omnia & singula peccata mortalia revocemus in

memoriam, quantum quidem praecise est ex praeccepto contritionis. Layman. n. 3. Bonac. p. 6. n. 1. Suar. D. 4. s. 6. n. 9. Valet. D. 7. q. 8. p. 6. Coninch. D. 2. d. 6. n. 51. & d. 8. n. 76. & alij. Tum quia nullum seu naturale, seu positivum praecceptum extat, quod, cum elicienda est contritio, obliget ad singula peccata specialiter recogitanda: tum quia contritio in instanti potest elici, cum tamen memoria singulorum peccatorum & distincta cognitio nonnullam temporis moram requirat. Sufficit ergo confusa peccatorum commissorum notitia, ut deijs possimus conteri: hac enim notitia supposita bene possumus apprehendere, totum illum peccatorum cumulum DEO super omnia dilecto displicere. Et hinc qui facto conscientiae diligenti examine tantum unius peccati mortalis reum se apprehendit, adhuc justificari potest, si de illo contritionem eliciat, etiam aliorum, quae etiam commisit, modo non recordetur: contritio enim ista interpretative & virtualiter includit detestationem omnium ceterorum, quorum memoria modo non subit: detestatio enim illa est virtualis dilectio DEI; nemo autem DEUM potest super omnia diligere, nisi interpretative detestetur omne id, quod DEO displicet. Suar. n. 17.

44. Dixi autem: quantum quidem praecise est ex praeccepto contritionis: nam si instituenda sit post contritionem Confessio, nemo dubitat, quin in memoriam revocanda sint omnia & singula peccata mortalia, non jam propter contritionem, sed propter Confessionem, ad cuius integritatem spectat, ut, facto diligenti

conscientiæ examine, omnia peccata gravia occurrentia explicentur particulatim, nisi causa sit, quæ excuset.

45. Ceterum quamcunque ea, quæ *supra à n. 34.* de efficacia attritionis cum Sacramento dicta sunt, ita se habeant, nihilominus tamen eò conniti consultiſſimum est, ut vera contritio, quæ ex puro DEI amore super omnia concipitur, in nobis exciteretur; cum vim habeat multò majorem ad tollenda peccata, fructusque in anima inexplicabiliter uberiores producat.

46. Et licet cum Navarro de Jubilæo & Indulgentiis *notab. 17.* non pauci existiment, contritionem esse difficilem, & eam ob causam nec multos esse, qui Jubilæa lucentur; non pauciores tamen sunt, qui cum Diana & Antonio Suctetio, magno Societatis & Theologo & Alcerà, in suis pijs considerationibus prope finem, sibi persuadeant, esse facilem. Quibus libenter assentior: non enim credendum est, medium illud, quod ab exordio mundi usque ad legem gratiæ erat unicum ad delenda peccata mortalia, tam arduum ac difficile fuisse, & etiamnum esse, ut pauci fuerint, vel etiamnum sint, qui id in sua habuerint, habeantve manu, Divinâ tamen gratiâ adjuti; alioqui ingens fuerit & sit infelicitas hominum ob difficultatem assequendi beatitudinem, etiam in populo DEI. Aliter ut sentiamus, infinita DEI bonitas suadet; certe enim, qui semel veram DEI æstimationem induxit in animum, & mediocrem suæ salutis curam suscepit, non videtur admodum debere laborare in elicienda perfecta contritione; nimis enim apertum est, sum-

um bonum super omnia amandum esse, & ejus offensam super omnia detestandam.

ARTICULUS VII.

Quando elicienda sit Contritio?

47. Cum juxta dicta *suprà n. 2. & n. 34.* contritio ad Sacramentum Pœnitentiæ tam necessaria sit, ut hoc sine illa futurum sit omnino nullum, & invalidum, ea necessariò debet præcedere saltem absolutionem; quia Confessarius tanquam judex non potest ferre sententiam, nisi cognoscat dispositionem pœnitentis, an dignus sit absolutione. Et sane nisi contritio (latius sumpto hoc vocabulo pro detestatione peccati ob DEUM offensum, sive dein sit perfecta contritio, sive non, sed tantum attritio) præcedat absolutionem, hæc suo frustrabitur effectu non sine Sacrilegio. Bonac. *D. 5. q. 3. p. 2. n. 20.* non enim effectus iste producit, nisi in subjecto capaci, quale non est homo, qui de suis peccatis verè non dolet.

48. Sed nunquid & Confessionem ipsam debet antecedere? Ita quidem sentiunt Coninch. *D. 4. d. 6. n. 44.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 4. n. 4.* & alii probabiliter, quia Confessio non est nuda & simplex rerum gestarum enarratio, sed accusatio sui reconciliativa cum DEO: debet ergo procedere ex displicentia & detestatione peccatorum. Verùm Bonac. *D. 5. q. 3. p. 2. n. 18.* Suar. *D. 20. f. 4. n. 31.* Tamb. *l. 1. c. 2. §. 4. n. 4.* & alii, quos refert & sequitur Lugo *D. 13. f. 2.* non minùs probabiliter negant, dicuntque satis esse, si Confessionem comitetur, vel certè prior sit

fit absolutione : tum quia sic usu receptum est, ut fideles, postquam sua peccata jam recensuerunt, excitentur ad dolorem de peccatis eliciendum; quod signum est, non esse necessarium, ut tempore prior sit ipsa Confessione; tum quia nihilominus Confessio habere poterit rationem accusationis reconciliativæ per actum subsequenter, cum quo subicitur absolutioni; quod etiam in iudicio forensi reconciliativo cernitur, in quo potest aliquis suum delictum patefacere, & dein primum signa poenitentiae exhibere. Non igitur requiritur, ut dolor tempore precedat Confessionem; satis est, si vel inter confitendum eliciatur, vel saltem, facta jam peccatorum enumeratione, prius quam absolutionis beneficium impertiatur.

49. At quoniam contritio communiter solet antecedere Confessionem, quanto tempore precedere potest? Generaliter tanto, quantum requiritur & sufficit, ut unus actus cum alio possit prudenti iudicio censei adhuc unum moraliter constituere. Hæc est familiaris & communis Theologorum doctrina: sed ad praxin restat difficultas, quantum sit illud tempus, quod in proposito nostro, iudicio prudenti, censei possit, ut unitas aut conjunctio moralis inter duos illos actus, contritionis, & Confessionis, non destruat. Varij variè sentiunt.

50. Et I. quidem aliqui apud Dianam *p. 11. 4. R. 116.* hæc in re sunt nimis laxi: existimant enim, si Confessio peccatorum jam antè cum debito dolore expositum fiat, non opus esse novo dolore, sed sufficere priorem, jam olim, fortè antè annos benè multos, habitum, quia

inde procedit hæc ipsa Confessio. Quorum sententiam Diana *l. c.* ait, sequi posse illos, qui ordinariè confitentur venialia tantum, & cum illis unum vel alterum mortale jam aliàs per Confessionem expiatum. Sed utique tunc necessarium est, ut tam antiquus dolor non sit per actum contrarium, vel peccatum mortale posterius retractatus.

51. II. Alij sunt minùs laxi: ajunt enim, contritionem adhuc unum quid moraliter cum confessione præsentem constituere, etsi quatuor, vel quinque, vel pluribus etiam diebus prius eliciatur, modo interea, quod jam etiam prius monui, non revocetur per actum aliquem contrarium. Ad hoc ita asserendum ducuntur, quia, inquiunt, Confessionis Sacramentum instituitur per modum Judicij, quod, si forense est, sæpe in longum tempus, imò & annos protrahitur: quidni idem etiam in foro conscientiae seu Sacramentali in praxin deducatur? certè in veteri seu prima Ecclesia solebant fideles in principio quadragesimæ confiteri, & in fine ejusdem primum absolvi. Ita Hurtadus apud Dianam *p. 11. 14. R. 67.* sed ego istius, & magnæ satis inter utrumque hunc actum, contritionis scilicet & Confessionis, distantiae non velim esse cuiquam auctor. Addo tamen, doctrinam istam posse esse solatio timoratis aut scrupulosis, qui semper metuunt, solliciti, ut post contritionem elicitam tardiùs confiteantur, quàm ut unitas hujus judicij ferat.

52. Itaque alij III. sunt quasi medij, & concedunt tres quatuorve horas. Imò alijs IV. non videtur esse nimia distantia inter dolorem & Confessionem, si is vesperi,

ARTICULUS VIII.

An adhuc aliis quoque temporibus
elicienda sit Contritio?

lperi, quin & toto die præcedente ante
Confessionem eliciatur, & altero die si-
ne alio novo dolore Confessio institua-
tur. Dian. 5. p. rr. 14. R. 67. Tamb. n. 5.
apud quem etiam Lugo. D. 14. f. 4. n. 36.
in fine. & n. 37. in princ. idem videtur
sentire. Quibus ego libenter assentior,
& præterea lubens admitto, eum, qui
paulò antè, vel etiam heri confessus ho-
die iterum confitetur, vel eadem pecca-
ta, vel quæ exciderant, de quibus tamen
antè, saltem implicite, doluit, non tene-
re elicere novum dolorem.

53. Sed adhuc restat in præsentem re-
na parva dubitatio: an videlicet ad con-
tritionem necessarium sit, ut eliciatur ex
proposito seu intentione confitendi, v. g.
sic: quia volo confiteri, idcirco dolebo
de peccatis meis, & doleo. Et neces-
sarium esse plurimi docent, quia existi-
mant, sine ejusmodi relatione contritio-
nem non posse esse partem futuræ Con-
fessionis: sed Tamb. §. 3. n. 3. & ab ipso
relatus Lugo D. 14. f. 4. ajunt, rectè qui-
dem id ita fieri, sed negant esse neces-
sarium; satis esse, si quis doleat de pec-
catis, etsi, cum doluit, nullam penitus
habuerit cogitationem de instituenda
Confessione, modò postea illo dolore
uti velit ad Sacramentum percipiendum:
v. g. sic: quoniam jam elicui contritio-
nem, ego accedam ad Confessionem.
Verùm ego existimo, nulli saltem per-
fectè contrito movendam esse litem in
hoc puncto: etsi enim expressè suum
hunc dolorem non referat ad futuram
Confessionem, refert tamen implicite,
cum in dolore perfectò virtute & inter-
pretativè contineatur voluntas confiten-
di sua peccata.

54. Sermo est de contritione perfe-
cta, eaque vel formali & explicita, vel
virtuali & implicita. Et quidem toto il-
lo tempore, quod ab exordio mun-
di usque ad legem gratiæ fluxit, contri-
tionem perfectam fuisse sufficientem di-
spositionem ad gratiam, per peccatum
deperditam, recuperandam, nemo dubi-
tat; imò verò etiam fuisse necessariam,
& quidem unice, & eliciendam saltem
in articulo mortis. Cum enim Sacra-
menta veteris legis non habuerint ullam
vim veram, recipienti illa gratiam con-
ferendi, & idcirco sæpius ab Apostolo
vocata sint inania, egena, & infirma e-
lementa; nec aliud tunc remedium, quo
homo se in statum gratiæ restitueret, fue-
rit præter contritionem, juxta illud Ezech.
18. si impius egerit penitentiam ab om-
nibus iniquitatibus suis, vitâ viver, &
non morietur; consequens est, contri-
tionem fuisse in veteri lege necessariam,
& quidem vel maximè pro articulo mor-
tis: præceptum enim contritionis, quod
etiam jam tunc, in lege nempe veteri,
viguit, saltem pro eo articulo urgebat, &
implendum erat: de quo etiam non est
ulla dubitatio; si enim pro eo articulo,
in quo cardo aternæ felicitatis versatur,
non urgeat hoc præceptum, nescio sanè,
quando tandem urgeat?

55. Et hæc obligatio eliciendi contri-
tionem, vel expressam vel implicitam,
pro articulo mortis etiam in Lege nova
& Evangelica viget: quæ est communis
sententia

entia Theologorum, quos satis magno numero refert & sequitur Bonac. *D. 5. q. 5. p. 2. n. 1.* & quidem independenter à Sacramento Pœnitentiæ; ad hoc enim etiam in eo articulo sufficit attritio cognita juxta dicta *n. 39.* Ratio est: quia præceptum contritionis, etsi non semper, (cùm sit affirmativum) aliquando tamen, ne sit aliò qui frustraneum, obligabit, & implendum est. Non est autem tempus, quod meliùs aut commodiùs ad ejus præcepti executionem determinari possit, aut debeat, quàm articulus mortis. Hinc Confessarii & alii, qui morituri assistunt, debent esse valde solliciti, ut morituros ad eliciendam contritionem saltem virtualem adhorrentur, inducant & excitent: ad quam etiam ipsi morituri se excitulare debent, cùm adhuc sunt integris sensibus.

56. An autem idem contritionis præceptum etiam extra mortis articulum obliget, controversum est. Loquor autem de obligatione directa, proveniente immediate & formaliter ex ipsomet contritionis præcepto. Varij variè sentiunt. I. Scotus & alii apud Reginald. *l. 5. c. 2. f. 4. n. 22.* existimant, quolibet die festo propter sanctitatem dici eliciendam esse contritionem: sed hi fundamento carent, quia ex Ecclesiæ præscripto ad festorum Sanctificationem non requiritur, nisi auditio Sacri & cessatio ab omni opere servili; quorum utrumque absque contritione fieri potest. Coninch. *D. 3. d. 3. n. 21.* Reginald. *l. cit.* Valent. *T. 1. D. 7. q. 8. p. 4. assert. 3.* & alii.

57. II. Navar. *c. 1. n. 31.* post Adrianum obligat peccatorem ad contritionem, imminente magnâ populi calamita-

te, cui averrendæ publicæ instituitur comprecatio. Sed Bonac. *n. 6.* cum Vasq. quem refert, de Pœnit. *q. 36. a. 2. d. 6. n. 6.* hanc obligationem non agnoscunt, cùm nullum illius sit in ullo jure, etiam naturali, fundamentum; DEUS enim etiam peccatores cum fide petentes exaudit.

59. III. Richard. Gabriel, Paludan. & alii apud Valent. *§. secunda assertio.* tenent, contritionem eliciendam esse, quoties peccatum commissum practice, id est sub ratione detestabilis, occurrit memoriæ: sed Valent. *ibi d.* Bonac. *n. 9.* Suar. *D. 15. f. 4. n. 2.* Reginald. *f. 3. n. 19.* Navar. *n. 31.* negant hanc obligationem, & meritò. Repugnat enim praxi Confessariorum, ex quibus, ut arbitror, ne unus erit, qui pœnitentes, etiamsi rarissimè, v. g. intra unius anni spatium semel, confiteantur, interroget, an & quoties intra illud tempus peccati commissi memores fuerint, & post illam memoriam nihilominus omiserint elicere contritionem: quis tam grave onus seu Confessariis seu confitentibus imponat? Multò minùs tenetur quis actu conteri de peccato jam semel per contritionem delero, & denique in memoriam etiam practice redeunte. Dicast. *D. 3. d. 2. n. 10.* Suar. *D. 15. f. 4.* Valent. *cit. p. 4.* Non enim ulla lex divina extat, quæ jubeat bis, ter, centies aut sæpiùs &c. de eodem peccato jam semel remisso pœnitentiam agere. Certè DEUS non est tam rigidus Judex, ut bis in idipsum judicer. Navar. *n. 32.* Imò de eodem peccato jam dimisso *ut dimisso* non potest quis secunda vice conteri: quia contritio tendit ad reconciliationem cum DEO, qualis

qualis etiam per contritionem quæri non potest de peccato ut deleto. Bonac. p. 4. n. 3.

59. Dico: de peccato ut dimisso: nam si hoc consideretur, ut olim commissum, & quatenus aliàs facit hominem DEO odibilem, bene potest esse objectum contritionis. Sed licet saluberrimum sit consilium, frequenter de peccatis commissis conteri; non expedit tamen, ut Navar. l. c. docet, antiqua peccata, præsertim carnalia in particulari sæpe revocare in memoriam, etiam in ordine ut de iis de novo doleamus. Cùm enim, quæ delectabilia sunt, ad sui, maxime si in particulari considerentur, desiderium sæpe valde vehemens alliciant, extra periculum vix esse potest, qui eorum læpe, sub prætextu novæ super iis contritionis eliciendæ, recordatur. Vides, quàm parùm sæpe commodi ex tam crebra & particulari peccatorum commissorum recordatione hauriamus. Præstat ergo, ea, nisi peculiaris ratio aliud permittat, perpetua oblivione sepelire, quàm ut ex eorundem frequenti recordatione novam de iis complacentiam, & non rarè etiam denuo repetendi desiderium in nobismet ipsis fulcitemus, & in gravem adeo apud DEUM offensam incurramus.

60. IV. Et si verè extet præceptum Divinum de contritione ab eo, qui peccati mortalis reus est, eliciendâ, ut Dicast. D. 3. d. 1. n. 2. & alii ab ipso relati, inter quos est Suar. D. 1. s. 1. Valent. p. 3. §. est igitur. Lugo. D. 7. n. 170. nihilominus tamen ea non statim, ut peccatum commissum est, elicienda est. Suar. D. 15. s. 2. n. 2. Coninch. n. 24. Dicast. d. 3. n. 24. Valent. p. 4. Henriq. l. 4. c. 5.

n. 7. Lugo. D. 7. n. 196. & multi alii apud ipsos: tum quia præceptum hoc est affirmativum, ac proinde moraliorum similium præceptorum merito censeri debet, non statim obligare, sed certò tantùm tempore, maxime pro articulo mortis, ut supra n. 55. expositum est, tum quia nec ex Confessariorum, nec ex confidentium usu & praxi quidquam de ea obligatione constat. Nullus enim Confessarius, ut arbitror, est, qui in Confessione scrupulosè & anxie examinet, an quamprimum, ut quis peccavit, habuerit de eo peccato contritionem, nec contentes ipsi solent de eo se accusare: esèrque nimis onerosum & grave, sub novo peccato mortali obligare ad contritionem mox eliciendam. Inde enim sequeretur, eum, qui contritionem post peccatum differt, continuè & semper peccare graviter, saltem quoties advertit, se in peccati mortalis statu esse, & posse de eo conteri, & tamen non conteritur. Præterquam quòd etiam Summi Ecclesiæ Prælati graviter reprehendi deberent, dum in re tanti momenti suo officio desunt, & negligunt commonefacere fideles de tam gravi & patenti obligatione.

61. Nec hoc est, velle permanere continuè in peccato. Neque enim idem sunt, non velle statim de peccato conteri, & velle in peccato permanere: potest enim, qui differt contritionem, seu, qui non vult statim dolere de peccato, dupliciter esse constitutus: primò ut eliciat novum actum, qui sit approbativus peccati & statûs, in quo nunc est peccator; vel secundò, ut, licet non approbet peccatum, nondum tamen velit medium,

dium, quo à peccato liberetur, tam citò adhibere: prius utique malum est, & illicitum; non item posterius: hoc enim aliud non est, quàm non velle statim dolere. Cùm autem nullum præceptum extet de dolore statim eliciendo, non est peccatum, velle in hoc sensu manere in peccato usque ad tempus, quo tale præceptum penitendi urgebit. Vide etiam Reginald. l. 5. c. 2. n. 21.

62. Nihilominus tamen, qui vellet contritionem differre ad longum tempus, v. g. ad decem vel plures annos, vel ad ipsam gravem ætatem, etsi ex hoc præcisè capite non esset peccaturus graviter; tamen satis superque indicaret, se modicam, si non omnino nullam, suæ salutis curam habere. Imò Laym. l. 5. tr. 6. c. 2. n. 6. Coninch. D. 3. d. 3. n. 32. Henric. l. 4. c. 6. n. 6. Suar. D. 15. s. 6. n. 3. & alii à peccato mortali non excusant hos procrastinatores: tum quia videntur parvi æstimare amicitiam DEI, extra quam tamdiu sunt, quamdiu perseverant in peccato mortali; tam autem exigua Divinæ amicitia æstimatio gravem videtur injuriam in DEUM continere: tum quia tam longa contritionis dilatio ipsi peccatori est valde periculosa, ut bene exaggerat S. August. apud Laym. Suar. l. cc.

63. Etsi ergo contritio nec statim post peccatum perpetratum elicienda sit, nec sine notabili irreverentia erga DEUM in longum tempus, vel ad ipsam usque ultimam senectutem differenda; laudabilissimum tamen est, & sanctissimum consilium, & homine, qui vel modicam suæ salutis curam gerit, dignissimum, ut, ubi primum in culpam gravem lapsus fue-

R. P. Stoz Trib. Penit.

rit, in pristinam cum DEO gratiam redeat, excitata contritione; ne fortassis in horrendas justissimi ac severissimi Judicis DEI manus incidat, fortè adhuc hodie, hæc horâ, hoc momento, nullam aliam, quàm æternæ damnationis sententiam accepturus. Addo, cùm nemo sciat, odione, an amore dignus sit, Eccles. 9. quemlibet, etsi nullius gravioris noxæ nunc primùm admittæ sibi sit conscius, frequenter tamen contritionis actum debere elicere, ne videlicet bonorum operum, quæ ante Confessionem fiunt, jacturam faciat; pereunt enim omnia, nisi interim, dum Confessio instituitur, contritio habeatur: nam opera, quamcunque heroica sint, generosa & moraliter bona, si fiant in statu peccati mortalis, absque dubio pereunt, & mortua reputantur, quantum attinet ad gratiam & gloriam promerendam. 1. Corinth. 13. & cap. Nihil. de Consecrat. Dist. 5. & quod omnium gravissimum est, nunquam in omnem æternitatem redeunt ad eum statum, ut aliquando reviviscant, & fiant meritoria: & idcirco opera verè mortua vocantur, ad distinctionem eorum, quæ si fiant ab homine justo, postea verò per peccatum subsequens totam suam vim, quam habebant, merendi gratiam & gloriam amittunt, ita ut toto illo tempore, quo status peccati mortalis perseverat, sint quidem etiam ipsa quasi mortua, maneantque ad quidquam condignè merendum prorsus inidonea; quamprimum verò contritio elicitur, redeant ad antiquum statum, & quasi à mortuis resuscitentur, & quod ad pristinam vitam redire possint, mortificata, non mortua appellantur. Ex ut à tam gra-

vi morte quàm citissimè resurgat peccator, totis viribus connitendum est, ne in periculum subitæ & æternæ mortis incidat, juxta illud *Eccles. 5.* Non tardes converti ad Dominum.

64. Et hæc de directâ contritionis obligatione sufficiant. Ad indirectam quod attinet, ea toties existit, quoties alicujus virtutis actus, sive liberè sive ex præcepto, exercendus est, exerceri autem licitè non potest, nisi in statu gratiæ: hoc ipso enim si copia Confessam haberi nequeat, vel Confessio non sit ex speciali præcepto tali actui præmittenda, saltem contritio præmitti debet. Hoc tamen casu, qui eam omittit, non committit speciale peccatum impœnitentiæ, sed contra illam aliam virtutem, quæ tunc erat elicienda. Hinc administraturus Sacramenta, si existat in peccato mortali, tenetur saltem conteri; quod si omittat, non committet speciale peccatum contra virtutem Pœnitentiæ, sed contra Religionem; hæc enim, non autem illa præcipit, Sancta sanctè, hoc est, extra statum peccati mortalis tractanda esse.

ARTICULUS IX.

De dolore peccatorum venialium.

65. Peccata venialia, & quidem sola, ad Sacrum Confessionis Tribunal deferri possè, certum est, & habet fidelium etiam piorum & timoratorum praxis, qui, licet nullius peccati mortalis sibi conscii sint, frequenter tamen, & laudabiliter, confiteri solent. Nihilominus etiam tunc præmittendum esse dolorem, tam certum est, ut à nemine sine gravi nota negari possit. Est enim dolor essentialis pars

Sacramenti, quod proinde æquè suis essentialibus consistere debet partibus, sive exhibeantur venialia sola, sive etiam mortalia juxta dicta *n. 3.*

66. Non est autem necessarium, ut dolor cadat super omnia peccata venialia, etiam quæ Confessionis subjiciuntur. Tamb. *lt. c. 3. §. 2. n. 5.* Suar. *D. 20. f. 6. n. 6.* quia cum nullam habeant cum gratia repugnantiam, unum sine altero remitti potest; & ideo Sacramentum, etsi dolor non super omnia peccata venialia, sed super unum duntaxat cadat, non reddetur ea de causa invalidum. Et hinc etiam, qui cum venialibus confitetur etiam unum vel plura peccata mortalia, abunde satisfacit, si de solis mortalibus doleat, etsi de venialibus nihil cogitet, doleatque. Hoc tamen eventus ex venialibus nullum remittetur, eò quòd tunc, ne virtualiter quidem, super ea cadat dolor; est enim remissio peccati mortalis separabilis à remissione peccati venialis. Bonac. *D. 5. q. 5. si. p. 5. n. 2.* qui postea *n. 4.* addit, actum, quo quis peccata detestatur, ut sunt *gravis, offensa DEI*, non sufficere ad delenda venialia, cum talis actus nullam habeat cum venialibus oppositionem: sufficere verò actum, quo quis peccata omnia, quæ confitetur, detestatur, ut sunt *offensa DEI*; hic enim actus jam suam cum peccatis venialibus habet oppositionem.

67. Econtra verò quando quis eum peccatis venialibus confitetur etiam vel unum duntaxat mortale, dolet verò de venialibus tantum, non de mortali, confessio erit etiam invalida: quia ex una parte peccatum mortale ob defectum doloris non remittitur; ex altera verò parte pecca-

peccatum veniale ei, qui propter mortale inimicus est DEI, non remittitur.

68. Quod autem n. 21. sup. dictum est de peccatis venialibus diversi generis, posse unum remitti sine altero, idem etiam dicendum est de venialibus ejusdem speciei, v. g. de mendacijs jocosis, posse & ex his remitti unum sine altero, si nimirum quis de uno doleat, non de altero: quia cum & ex peccatis venialibus ejusdem speciei remitti unum possit sine altero, non apparet, cur non & hic dolor possit de uno haberi absque eo, quin habeatur de altero; & hoc ipso dispositio ad unum delendum non possit esse sine dispositione ad alterum delendum.

69. Quamcumque autem juxta modò dicta dolor de peccatis venialibus non debeat esse universalis; tamen si quis velit ab omnibus liberari, debet ita de ijs dolere, ut dolor iste se extendat ad omnia, saltem virtualiter, quod, ut Reginald. l. 5. c. 4. n. 45. notat, tunc fit, quando quis ita erga DEUM affectus est, ut, quidquid in memoriam veniret, quod ab eo affectu retardaret, illud detestaretur, & doleret se id commississe. Dixit autem *virtualiter*: si quis enim confusè detestaretur omnia venialia sub una communi ratione, quatenus sunt offensa DEI, non video, cur talis non factus sit dispositus ad obtinendam veniam omnium venialium, quæ commisit, & nondum unquam per competentem dolorem delevit.

70. Hic verò dolor debet ad minus esse attritio, etiam in ordine ad Confessionem: si enim ad hanc etiam cum de mortalibus fit, sufficit attritio juxta dicta n. 38. cur non sufficiat, si sola

venialia in Confessione manifestentur? Sed

71. Difficultas jam est, an, sicut contritio extra Sacramentum habet vim delendi peccata mortalia, ut n. 23. diximus, ita etiam attritio habeat similem saltem in homine justo efficaciam delendi peccata venialia. Et videtur non habere, quia alioqui Sacramentum Pœnitentiæ esset frustra institutum, cum nunquam in homine justo reperitur esset, in quod suam virtutem posset exercere: hoc ipso enim, quòd omnem Confessionem præcedere debeat, vel comitari saltem, attritio, jam semper supponeret remissa esse peccata venialia. Quid ergo in tali casu operabitur Sacramentalis absolutio? Ad hoc ego responderem, illud ipsum, quod operatura esset, si semper præmitteretur contritio perfecta, vel fieret confessio de solis peccatis mortalibus jam semel legitimè per Confessionem expiatis. Sicut ergo in tali Confessione non est frustranea absolutio, ita nec erit in altera de peccatis venialibus aliunde jam deletis. Accedit, quòd, si peccatum veniale illi, qui simul cum illo habet peccatum mortale, nunquam sine illo remittatur, juxta S. Thomam, Richardum, Alensem & alios, quos refert & sequitur Laym. l. 5. r. 6. c. 4. n. 16. in hoc Sacramentum jam posset suam virtutem exercere etiam respectu venialis, cum istud in tali casu extra Sacramentum non deleatur per attritionem, Et hanc peccata venialia in homine justo delendi efficaciam in attritione agnoscunt Suarez. D. 11. s. 3. n. 11. Coninch. D. 2. d. 14. n. 124. Dicast. D. 2. d. 17. n. 402. & alij plures ab ipso relati.

72. Sed duo adhuc in præfenti omittere non possumus, nec debemus: an videlicet ad Confessionem peccatorum venialium requiratur actualis dolor; an verò sufficiat virtualis, consistens in desiderio recipiendi Sacramentum, ejusque fructum sine actuali complacentia aut affectu ad peccatum veniale? Et sufficere apud Tamb. *l. 5. c. 3. §. 1. n. 2.* docent Rosella, & Silvester: quorum sententiam non improbabilem vocat Præposit. *D. 2. de contrit. d. 7. n. 73.* & ut probabilem tueretur ipse Tambur. *n. 1.* citatque pro ea Suarezium *D. 12. f. 1. n. 9.* Moventur ad hoc dicendum, quòd Concilium Trident. *sess. 14. cap. 4.* quando ad Confessionem requirit dolorem formalem, videatur tantum de peccatis mortalibus agere, ita ut ea doctrina ad venialia, cum non sint necessaria Sacramenti materia, non sit extendenda; id quod videtur posse colligi ex postremis dicti capitis verbis, videlicet Ecclesiam DEI nunquam docuisse, aut sensisse, Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu pœnitentium gratiam conferre. Hic enim videtur sermo esse generatim de Confessione, & verificari de Confessione venialium: voluntas enim suscipiendi Sacramentum sine actuali affectu ad peccatum utique bonus est motus.

73. Verum ego existimo, Concilio Tridentino hunc honorem dandum esse, ut non credatur eo loco, in quo exactam de Sacramento Pœnitentiæ doctrinam tradere voluit, & explicare, quamam essent partes ejusdem Sacramenti, tam ambiguum fuisse locutum de dolore ad idem Sacramentum requisito; ut in eodem quasi contextu modò actualem require-

ret dolorem, modò contentum esset dolore virtuali. Itaque omnino judico, etiam ad Confessionem peccatorum tantum venialium necessarium esse dolorem seu displicentiam formalem, ne fortè, si aliud dicatur, occasio alijs detur dogmatizandi, ad idem Sacramentum sufficere etiam Confessionem duntaxat virtualem. Et ita docent Suar. *D. 20. f. 6. n. 3.* Reginald. *l. 5. c. 4. n. 47.* & alij communiter. Per motum ergo bonum, de quo ultima Concilij verba loquuntur, intelligitur idem motus, de quo eidem Concilio in principio ejusdem capitis sermo est: nempe *motu contritionis*, qui proinde idem debet esse, sive peccata, quæ clavibus Pœnitentiæ subjiciuntur, mortalia sint, sive venialia; ne aliàs eidem Concilio vel ambiguum ejusdem vocis usum in eadem doctrina impingamus, vel etiam ansam præbeamus dicendi, quemlibet bonum ipsius pœnitentis motum, etsi nullam, sive formalem sive virtualem, oppositionem cum voluntate peccandi habeat (si enim habeat, Dicast. *D. 2. d. 17. n. 416.* sufficere existimat) sufficere ad Confessionem peccatorum saltem venialium: quilibet enim ejusmodi motus est quædam ad DEUM conversio; quidni ergo & sufficiens dispositio ad obtinendam cum Sacramento peccatorum veniam.

74. Alterum est, per subsequens peccatum veniale non revocari dolorem de reliquis peccatis venialibus præteritis elicatum, perinde ut per peccatum mortale novum retractatur dolor de peccatis mortalibus prioribus. Et idcirco licet qui postquam de peccatis mortalibus doluit, & ante absolutionem novum com-

misit,

mittit, per illum dolorem ad percipiendam absolutionem non sit amplius sufficienter dispositus, ut Dicast. D. 6. d. 18. n. 322. Tamb. l. 1. c. 2. §. 4. & alij communiter docent, inter quos apud eundem Tamb. c. 3. §. 4. n. 11. est Lugo D. 34. f. 9. n. 147. est tamen is, qui peccata venialia omnia sub communi ratione offensæ DEI detestatus est, & ante absolutionem in aliud novum veniale v.g. vanæ gloriæ aut mendaciæ incidit, adhuc capax absolutionis: nec ullus hac de re ferupulus conscientijs injiciendus est, etsi in ea Confessione cum peccatis venialibus etiam mortalia fuissent exposita. Lugo n. 145. apud Tamb. n. 12. qui eum sequitur.

QUÆSTIO II.

De proposito non amplius peccandi.

Hæc est altera Pars, quæ in vera contritione includitur: id quod ab omnibus pro explorato habetur.

ARTICULUS I.

De proposito necessitate ad Confessionem Sacramentalem.

75. Remissio peccatorum, sive per contritionem extra Sacramentum, sive per attritionem cum Sacramento queratur, inveniri non potest, nisi præter dolorem de peccatis commissis concipiatur insuper propositum omnino emendandi suam vitam, & imposteum abstinendi à peccatis, ut expressè docet Concilium

Florent. cit. & Trident. sess. 14. cap. 4. Nam Ezech. 18. & 33. DEUS peccantibus sub hac conditione veniam promittit: si custodiant omnia mandata sua. Et ipsius etiam naturæ ductu notum est: nam qui ab offenso veniam vult impetrare, nunquam aliquid simile facturum se pollicetur. Nec potest esse vera detestatio commissi criminis, quando alicui adhuc inhaeret affectus paratus denuo idem aut simile quid perpetrandi. Hinc dolor sine tali proposito animi est non verè peccantis & contriti, sed seipsum decipientis, cum DEO ludentis, & cum diabolo facientis. Et ideo etiam tantum at est, ut Confessio sine eo proposito cuiquam prosit, ut etiam gravis Sacriligij reum constituat; atque adeo ipsa Confessio non tam in salutem, quàm in extremam, eamque perpetuam perniciem inducat. Quod Christus etiam indicare voluit, qui, ut in Sacris Scripturis legimus, postquam aliquem sanasset, aliòve beneficio affecisset, subjunxit: Vade, & jam amplius noli peccare. Joan. 8. ne deterius tibi contingat.

ARTICULUS II.

Quanam ex dicto proposito sint devitanda?

76. Si de peccatis mortalibus sermo sit, res est explorata, propositum ea vitandi debere esse universale: alioqui Confessio, quæ sine eo peragitur, non est, nisi inanis quædam, & sacrilega suorum peccatorum enarratio. Quod autem ad peccata venialia attinet, non est necesse, ut propositum de ijs vitandis sit universale: sufficit particulare respiciens saltem aliqua:

aliqua: quod tamen tam necessarium est, ut, licet ad Confessionem sola peccata venialia deferantur, non possit tamen omitteri. Reginald. l. 5. c. 5. n. 45. nisi & in tali casu reus Sacrilegij è Sacro Tribunali recedere velis. Nam & ad Confessionem solorum venialium requiritur vera pœnitentia, quæ necessariò includit propositum imposterum vitandi peccata: fieri enim non potest, ut quis verè ac seriò detesteretur peccata etiam venialia, si imposterum à nullo velit abstinere: Laym. l. 5. tr. 6. c. 4. n. 18.

77. Ut tamen hîc desit propositum vitandi peccata sua seu mortalia seu venialia, non est metuendum. Cùm enim juxta dicenda infra n. 89. & 90. ad Sacramenti valorem sufficiat propositum virtuale, hoc in omni vera pœnitentia virtualiter sive implicitè continetur. Ut ergo ex defectu propositi Confessio reddatur invalida, necesse est, ut quis habeat expressam voluntatem non vitandi peccata, adeo quidem, ut, si de mortalibus agatur, sufficiat vel ab uno duntaxat nolle abstinere; si verò sola venialia fuerint exposita, necessarium est ad inducendam Confessionis nullitatem, ut quis expressè nolit ab ullo eorum, quæ sunt exposita, abstinere. Sed quis tam expressam voluntatem à peccatis non desistendi secum deferret ad Sacramentum reconciliativum, nisi insigniter malus, aut qui velit cum DEO quasi ludere & joculari non sine gravi irreverentia. Ex dictis

78. Desumitur valde notabile discrimen inter propositum vitandi mortalia, & propositum vitandi venialia. Illud enim extendit se ad totam eorum colle-

ctionem: tum quia tota hæc collectio vitari potest, ut docent in materia de gratia: tum quia unum sine altero nunquam remittitur, nec unquam justificatur homo, manente vel actuali vel habituali affectu ad peccatum mortale. Laym. l. 5. tr. 6. c. 4. n. 19. Tamb. l. 1. c. 3. n. 15. Coninch. D. 2. d. 14. n. 130. Reginald. l. 5. c. 5. n. 59. & alij.

79. At verò de peccatis venialibus res paulò aliter se habet: etsi enim omnia & singula collectivè teneamur, & si de potentia, quam vocant *antecedentem*, loquamur, etiam possimus (ne aliàs contra DEI bonitatem ad aliquid impossibile obligemur) vitare; tamen si de potentia *consequenti* sermo sit, nemo unquam omnia & singula collectivè vitabit, nisi speciale & extraordinarium à DEO privilegium habeat, quale Beatissima Virgo MARIA, & quidem sola habuit: certè ulli alteri ex hominibus merè talibus idem fuisse concessum non scimus. Et hæc est causa, cur vitatio totius collectionis venialium reputetur impossibilis: ea enim, quæ vel nunquam, vel non nisi ex speciali & extraordinario privilegio, eveniunt, impossibilibus adnumerari solent. Sed hæc fufius prosequi, Scholastici, non nostri est instituti: ad intentum nostrum quatenus faciunt, paucis ea indicasse, satis est. Igitur

80. Ad propositum vitandi venialia, quatenus ad eorum remissionem sufficit, non requiritur, ut se extendat ad singula in sensu collectivò, ita ut animus sit nunquam venialiter, ne ex subreptione quidem, peccandi: hoc enim juxta paulò antè dicta fieri nequit: impossibilium autem nullam esse voluntatem constat. Sufficit

ficit ergo propositum singula vitandi in sensu diviso, ita ut nullum determinatè assignari possit, à quo animus virtualiter saltem non abhorreat. Laym. Cochinch. Tamb. Reginald. *ll. cc.* Est ergo aliquis citra ullum periculum confitendi sacrilegè, habere voluntatem, etiam expressam, non vitandi unum vel alterum ex venialibus, quæ confessus est, quia unum sine altero remitti potest. Sicut ergo ad valorem Confessionis non est necessarium, ut fiat integrè de omnibus venialibus commissis, ita etiam non est necessarium, ut dolor de iis commissis & propositum de iisdem amplius non committendis sit universale, potestque cum valore Sacramenti stare voluntas etiam expressa de uno vel altero veniali non vitando; modo id curetur, ut saltem de aliquo vel aliquibus venialibus, si præter ea nullum mortale sit, de quo se accuset, doleat cum expresso vel saltem implicito proposito, id in posterum devitandi. Interim haud dubiè, qui cum ejusmodi voluntate expressa persistendi in certo peccato veniali confitetur, peccat etiam venialiter. Reginald. *n. 60.* Suar. *D. 20. f. 6. n. 7.*

81. Ceterum propositum hoc respicere debet non tantum ipsa peccata, & quidem, si mortalia sint, omnia; sed ipsa etiam eorundem quasi semina, id est, occasiones. Pro cuius meliori intelligentia sciendum est, duplices esse peccandi occasiones, alias proximas, alias remotas. Remotæ dicuntur, quibus positis peccatum rarè contingit, & facile superari potest, ut sunt mercatura, militia, lusus, ambulatio in publico, recreatio &c. Proximæ verò dicuntur, quæ sunt

tales, ut homines hujus vel illius conditionis frequenter, & fere semper inducant ad peccatum; vel proprio experimento constet, habere talem effectum in tali homine: sicut in juvenibus sunt prava lociæ, in Sacerdotibus concubinæ &c. quibuscum si non opere, saltem delectatione, & desiderio frequentissime peccant. Potest autem occasio peccandi quandoque esse in se illicita, ut turpilochium; quandoque indifferens, ut conversari cum tali persona, accedere talem locum, equitare &c. quandoque etiam bona, ut audire Confessiones talis personæ, libros tractantes de rebus obscenis legere in ordine ad Confessiones audiendas, ad parandam concionem &c. Hoc posito

82. Occasionem remotam non sunt necessario vitanda: cum enim ferè nihil sit in hoc mundo, quod non possit esse occasio peccati, plerique homines deberent suum statum mutare, & in monasteria se abdere: nec ullos ferè haberemus parochos rurales, ob innumera pericula, quibus eorum statum obnoxium esse ostendit Hieronymus Platus de bono Statu religioni *li. c. 36. & 37.* Imò cum & monasteriis & desertissimis eremis sua non desint pericula, eaque non pauca, nec parva, oporteret nos, ut Apostolus ait *1. Corinth. 5.* omnino de mundo exiisse, & in celum abiisse, cum in hoc solo nihil reperitur, quod nos possit in periculum ulterius peccati, aut imperfectionis tantum adducere. Harum occasionum seu periculorum fuga non spectat ad propositum, quod ad veram Confessionem requiritur. Idem est de occasionibus peccandi venia-

venialiter: si enim propositum nunquam peccandi venialiter necessarium non est, multò minus necessarium est propositum vitandi occasiones omnium peccatorum venialium saltem collectivè sumptorum. Et hinc etiam, ut Laym. n. 20. notat, faciliùs absolvuntur, qui frequenter in eadem peccata venialia labuntur, ob nimis crebras & passim obvias venialiter peccandi occasiones, à quibus proinde removendis faciliùs est excusatio, quàm à remotione occasionum ad peccatum mortale ducentium.

83. At verò occasiones proximæ necessariò, siquidem absque magno incommodo fieri possit, sunt vitandæ, quia cum illis nequit stare verum emendationis propositum; tam parùm enim cohæret, nolle peccare, & velle se in propinquum peccandi periculum conjicere; quàm parùm fieri potest, ut quis manui velit ignem imponere, & tamen nolit uri. Hinc Eccles. 3. v. 27. qui amat periculum, peribit in illo.

84. Dixi autem: si absque magno incommodo fieri possit: si quis enim sine gravi incommodo, atque adeo absque justa & rationabili causâ proximam graviter peccandi occasionem voluntariè capret, vel non vitet, committit peccatum grave, & quidem ejusdem malitiæ & gravitatis, cujus periculum aditur. Jam verò cum periculum peccandi non sit, nisi quandoque, peccatum; possunt occurrere rationes tam graves, ut quis ob eas se in ejusmodi periculum licitè conjiciat, aut in eodem perseveret: ut tradunt Laym. c. 4. n. 9. Navar. c. 3. n. 16. Sanch. l. 1. Moral. c. 8. Suar. D. 62. Coninch. D. 8. n. 134. modò interim habeat omni-

nò resolutam voluntatem non peccandi, & debitam adhibeat cautelam. Ejusmodi enim voluntate existente, & cautelâ adhibitâ tollitur, vel certè minuitur periculum; atque ita definit esse occasio proxima. Et ratio est: cum periculum peccandi in se peccatum non sit, nec necessitatem inferat, aut animi libertatem tollat, potest eum eo consistere detestatio peccati & resolutum propositum, peccata impostum, & in tali occasione vitandi. Quod colligitur ex cap. Consultationi. de frigidis & maleficiatis, ubi Lucius Papa permittit, conjuges impotentes cohabitare instar fratris & sororis, quia sine enormi infamia, vel alio gravi detrimento separari non possunt; licet non abesset periculum peccandi, saltè delectatione, aut tactu. Et quis filium familias obliget ad ædes paternas deserendas, ubi procax mulier habitat, perpetuum peccari ille tamentum? aut quis cauponem jubeat se officio abdicare propter frequentes inebriationes, cum aliunde se non possit alere? eodem modo de mercatoribus, quibus frequentes sunt fraudes, tum in mercibus, tum in earum pretio &c. si enim hi talia munia deserere cogantur, & in extremam pauperiem redigantur, in multò majora peccandi pericula, v.g. furandi, desperandi &c. incident. Aliter sonat propositio 61. 62. & 63. inter prohibitas à S. D. N. Innoc. XI. vide etiam infra l. 2. n. 106.

85. Quanam occasiones dicendæ sint proximæ & graves, quæ remotæ, quilibet, consideratis naturæ suæ qualitibus præcipuè fragilitate seu peccandi facilitate, aliisque circumstantiis in effectum influentibus, pensare debet. Nemo meliùs novit,

novit, unde sibi periculum lapsus imminet, quam qui suo damno expertus est. Sape contingit, ut, quod uni periculosum est, alteri sit innoxium; imò nonnunquam unus idemque ex ea re plagam eamque luculentam accipit & vulnus, quæ aliàs eidem minimè fuit damnosa. Quisque ergo suas vires exploret, vel, si id ipse solus non possit, operâ & Consilio Confessarii, vel alterius viri prudentis, piac docti utatur.

86. Illud tamen hoc loco non est præmittendum, eam occasionem, quæ ex natura sua frequenter solet ejusdem conditionis homines in peccatum inducere, proximè periculosam esse etiam illi, qui alioqui non est expertus se labi; nisi moraliter ipsi aliunde constet, nullum sibi periculum imminere. Et ideo licet aliquis nunquam cum ulla famina peccaverit, nihilominus tamen, si adultus cum adulta in eundem lectum decumbat sponte, nulla necessitate compulsus, dicitur se proximo fornicationis periculo temerè objecisse, & mortaliter peccasse; licet enim non sit secuta fornicatio, vel obscœnus tactus, ei tamen periculo sine causa se objecit, in quo plerique ejusdem conditionis labuntur, & ideo de se quoque lapsum meritò poterat præsumere. Dixi autem paulò antè: *Frequenter*: si enim semel aut iterum peccasti, sapius verò restitisti, non cenferis constitutus esse in proximo peccandi periculo.

87. Denique ad perfectionem contritionis necessarium est, ut homo habeat propositum, omnia sua peccata, saltem mortalia confitendi, & implendi penitentiam: quod satis est, si sit implicitum & virtuale, de quo jam. Desumi-

R. P. Stoer Trib. Pœnit.

tur hoc ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 4. & 8.*

ARTICULUS III.

An propositum debeat esse explicitum?

88. Necessarium esse, ut propositum emendandæ vitæ, adeoque abstinendi deinceps ab offensa DEI ad Confessionem requisitum, sit formale & expressum, docent Valent. *D. 7. q. 8. p. 6. sub finem.* Suar. *D. 4. s. 3. n. 3.* Reginald. *l. 5. c. 1. n. 8.* Henriq. *l. 4. c. 24. n. 2.* & nonnulli alii, inter quos à Dicast. *D. 6. d. 14. n. 206.* numerantur Bellarm. *l. 2. de Pœnit. c. 6. & 7.* & Tolet. *l. 3. Summa, c. 4. §. quinta est.* Desumunt id ex Concil. Florent. in Decreto Eugenii, & Trident. *sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4.* ubi ad justificationem hominis præter contritionem requiritur propositum emendationis, quæ verba, si, ut jacent, accipiuntur, ut sanè accipienda sunt, significant expressum propositum; cum implicitum non videatur esse propriè dictum propositum.

89. Oppositam sententiam tuentur Coninch. *D. 2. d. 6. n. 58.* Laym. *l. 5. rr. 6. c. 4. n. 6.* Bonac. *D. 5. q. 5. s. 1. p. 3. n. 9. & p. 8. n. 2.* & alii non pauci: hi ergo docent, sufficere virtuale seu implicitum emendandæ imposterum vitæ propositum inclusum in dolore, qui saltem propter motivum universale repertum in omni peccato eliciatur: quibus etiam consentit Suar. *D. 4. s. 4. n. 4.* & prout refertur, Fagund. *l. 2. c. 4.* cum Præposito. *q. 66.* quoad articulum mortis, etiam violentæ, ubi propter vitæ brevitate non vide-

K

tur

zur superesse notabile peccandi periculum: adeoque frustra foret futura vitæ dispositio. Sed Tann. *D. 6. q. 6. d. 2. n. 19.* reclamation, & merito. Nam, præterquam quod hæc doctrina non videatur esse constans, nullum est vitæ, quantumcunque spatium, quo is, qui ratione adhuc utitur, sit immunis à periculo peccandi; cum experienciâ constet, quosdam in extremo vitæ articulo, & animâ jam in extremis, ut ajunt, labiis hærente peccasse v. g. vindictæ cupiditate, turpi & venerea delectatione &c. nullum ergo tempus ab expresso emendationis proposito est excipiendum, siquidem hoc ad Confessionem sit necessarium. Itaque ut doctrinæ constantiam teneamus.

90. Sentio cum Auctoribus hujus posterioris sententiæ, expressum & actuale propositum non esse necessarium ad Confessionem, sed sufficere virtuale, saltem tunc, cum dolor procedit ex motivo generali cadente super omnia peccata; quia repugnat, ut quis doleat v. g. de notabili furto, quia est gravis offensa DEI, & simul etiam velit DEUM alio diverso peccato gravi offendere: per priorem enim actum odit & detestatur offensam DEI; per posteriorem vult, ut alterius inferioris boni jacturam non faciat, gravem offensam: qui duo actus clarè inter se pugnant, ut neuter alterum secum stare patiatur. Et sanè, qui ex corde detestatur peccata sub una universali ratione motiva, hoc ipso etiam vult illa amplius non committere: nemo enim velle potest committere id, quod sibi tanquam offensivum DEI super omnia displicet. Concilium ergo, cum loquitur de proposito vitæ emendandæ, de eo loquitur

perinde ut proposito confitendi, & satisfaciendi pro peccatis; hoc autem non debet esse expressum. Sicut ergo sufficit, si hoc propositum sit virtuale; ita etiam sufficit virtuale propositum emendationis, cum hoc adhuc verè mereatur nomenclaturam propositi, licet cum addito, virtualis. Et hoc modo cum graves Auctores intellexerint Concilium, possumus iis securè adharere: sicut etiam possemus, si essent, qui existimarent, ad Confessionem peccatorum sufficere virtualem dolorem, inclusum in amore DEI super omnia.

91. Dixi autem supra, *saltem tunc, cum dolor procedit ex motivo generali &c.* Nam si procedat ex motivo particulari, nec actu, nec virtute relato ad reliqua peccata, aliter discurrendum est; ut, si quis doleat ex motivo specialis turpitudinis in peccato v. g. luxuriæ repertæ, propositum in ejusmodi dolore inclusum, etsi, ut Dicast. *n. 211.* monstrat, propter argumentum priori numero factum, etiam reliqua ejusdem farinae peccata attingat, non tamen sufficit ad alia alterius generis peccata; quia adhuc, hoc ipso, quod particulare sit motivum, non porrigitur. Debet ergo huic particulari motivo addi aliud, & ex illo formari novus dolor & propositum formale de cetero non peccandi moraliter: ad Confessionem enim requiritur propositum non committendi ullum peccatum mortale; cum tamen in dolore concepto ex speciali motivo non contineatur, etiam virtualiter, propositum alia peccata; in quibus tale motivum particulare non continetur, non committendi. Unde tunc merito vel addendum est propositum expressum, vel elicien-

ciendus alius actus doloris ex motivo universalis, quale est timor gehennæ, amor gloriæ &c.

92. Nihilominus tamen consiliissimum est, & omni modo consulendum, ut, quicumque sua per Confessionem peccata expiaturus est, expressum de ijs in posterum evitandis propositum eliciat, non quod, qui priorem sententiam est secutus, etiam tutior futurus sit in conscientia: cum enim uterque tam hic, quam qui posteriorem sententiam sequitur, sententiam sequatur probabilem, neuter potest esse securior in conscientia: quæ enim major potest esse conscientia securitas, quam si quis versatur extra periculum peccandi: sicut verè extra illud versatur, quicumque sententiam verè probabilem sequitur, ut notum est. Quod ergo suadeam, ut propositum à peccatis in posterum abstinendi sit explicitum & actuale, est, quia longè efficaciori motu tendimus in ea devitanda, quæ speciatim & seriò proponimus evitare, quam in ea, in quorum evitacionem propositum nostrum tantùm generatim fertur, ut experientia quoque docet.

93. Hic tamen studiosè advertendum est, non sufficere solum propositum abque explicito dolore; sicut dicimus, sufficere solum dolorem sine explicito proposito. Ratio differentia est clara: quia in proposito de futuro non includitur odium seu detestatio præteriti; posset enim quis ita sentire: Nolo in futurum occidere, mentiri, blasphemare &c. complacet tamen semel occidisse, mentitum esse, blasphemasse &c. id quod non est in vero dolore: nemo enim potest quidquam verè & seriò detestari, qui

non simul implicitè velit idiplum in posterum fugere: hæc enim est natura istius actus, quo malum aliquod detestamur, & seriò cupimus, illud à nobis, velut boni alicujus nostri destructivum, amoliri.

ARTICULUS IV.

An propositum debeat esse firmum & efficax?

94. Etsi non desint, qui existimant, sufficere velleitatem seu simplicem affectum, sed ita comparatum, ut si interrogetur de voluntate fugiendi deinceps peccata, responsurus sit, se non ita constitutum esse, ut vi illius actus vitaturus sit peccatum nihilominus tamen, ut Coninch. D. 2. d. 6. n. 59. Laym. l. 5. c. 6. c. 4. n. 7. & alij communiter & rectè docent, id debet esse firmum, absolutum & efficax: quod quo sensu capiendum sit, infra n. 103. explicabitur.

95. Hinc breviter patet, illud propositum se emendandi non posse dici firmum & efficax, & ad verum de peccatis dolorem sufficiens, quod ejusmodi est, ut retineat simul vigentem affectum ad culpam, vel eandem, quam devitare cupit, vel diversam, eam tamen mortalem: hoc enim juxta dicta n. 90. clarè repugnat, & in talem hominem verè quadrat illud Proverb. 13. vult piger, & non vult.

96. Neque dictis obstat, quod, si tale propositum requiratur, pleræque Confessiones sint invalidæ, cum plerumque destituantur necessario proposito: si enim omnes penitentes seriò & firmiter proponunt sibi emendationem in vitæ, qui fit, ut tam parva sequatur emendatio? cum

tamen in aliis rebus, quas sibi proponunt, non desistant, donec consequantur: v. g. qui vult dives fieri vel doctus, quid non facit? pœnitentes verò plerumque manent in antiquo statu, vel etiam in deteriore, pronò casu prolabantur. Non, inquam, hoc obstat: hoc enim non est sufficiens indicium defectûs debiti propositi, ut ex dicendis n. 102. constabit.

97. Et si ergo ex eo, quod homo sæpe labatur in idem peccatum mortale, non possit desumi certum indicium planè inefficacis & non sufficientis propositi; nihilominus tamen hic talis magnam contra se habet præsumptionem, præsertim si aliquoties monitus non desistat, sed sæpe statim à Confessione in antiquam peccatorum silvam abeat, & redeat ad confessionale cum eodem numero, specie, & gravitate peccatorum; neque media, si quæ præscripta sunt, adhibeat; nec occasiones, quæ ad lapsum inducunt, deviret, etsi facilè, & sine ullo incommodo possit. Neque hic habet, quòd sibi blandiatur, tanquam de re benè peracta, quantumvis frequenter confiteatur, putetque etiam bene. Fallit hic se ipsum graviter: audiat, quid Albertus M. in *Paradiso anima* c. 39. dicat; argumentum fallæ contritionis habet, qui quamvis peccata vehementer desseat, tamen continuò post dolorem eadem vel alia committere non reformidat. Audiat & simul perhorrescat, quòd Henricus l. 4. c. 29. n. 3. dicit: quotidie, inquiens, pœnitere, & ad vomitum redire, genus irrisionis est, quam an & quamdiu patientissimus, & ad pœnam, peccatis alioqui debitam inferendam tardus & longanimis DEUS passurus sit, incertum

est. Timeant, qui ad antiqua peccata mox redire non timent, ne & ipsos in suis peccatis sordescentes DEUS ad æternam eorum ignominiam & confusionem aliquando irrideat: fallx ad radicem est posita. Sed occasione istius doctrine liceat parùm extra orbitam ire, & non nihil de absolutione sapius in idem crimen relapsoꝝ dicere. Sit ergo

ARTICULUS V.

An & quoties sapius relapsi in idem mortale peccatum, sine absolvendi?

98. Circa hanc difficilem quæstionem tres sunt sententiæ. I. Docet, si quis bis vel ter eandem speciem peccati adferat, nec diminuto numero, nec ullis remediis adhibitis, absolutionem statim ei non esse impertiendam, sed tantisper differendam, donec emendatio aliqua, vel certè conatus appareat, nec credendum spondenti emendationem, sed præsumendum esse defectum propositi. Hanc tenet Laym. l. 5. tr. 6. c. 4. n. 11.

99. II. Docet, relapsoꝝ ordinariè esse absolvendos; modò ostendant firmum propositum emendationis, & aliquantulum se contineant, numero peccatorum diminuto; subinde tamen consultum esse, differre ad tempus absolutionem, quando nimirum prudenter sperari potest, eos non esse offendendos, nec à Confessione frequentanda absterrendos. Imò publico peccatori v. g. usurario, concubinario &c. necessariò negandam esse absolutionem propter scandalum populi, donec specimen emendationis

ationis præbeant, etsi illis molestum aut noxium fore timeatur, eò quòd boni publici major habenda sit ratio. Scandalizaretur enim populus, & Sacramenta contemneret, si videret ea impendi nullam suæ emendationem præstantibus, atque ita quasi margaritas ante porcos proijci. Hanc tenent Tann. *T. 4. D. 6. q. 9. d. 5. n. 119.* Suar. de Relig. *T. 2. l. 3. de juram. c. 8. n. 7. & T. 4. in 3. p. D. 32. f. 2. in fine.* Fill. *tr. 7. c. 12. n. 358.* Sanchi. *l. 2. Mor. c. 32. n. 45.*

100. III. Docet, propter solum relapsum non esse cuiquam denegandam absolutionem, modò præferat, se verè & ex toto corde sincerè dolere de peccatis commissis, habereque firmum & minimè fucatum se emendandi propositum. Hanc tenent Diana. *1. p. tr. 7. R. 55.* Joannes Sanchius in select. *D. 9. n. 6.* & satis apertè tradit Dicast. de Pœnit. *D. 10. d. 29. n. 576.* Pro resolutione

101. Nota I. Peccatores consuetudinarios esse in duplici differentia, videlicet. I. eos, qui ex mera actuum circa idem objectum frequentatione contraxerunt facilitatem, seu pronitatem labendi in idem peccatum. I. eos, qui ex occasione frequenter cadunt. Et potest hæc occasio alia esse proxima, alia remota: de hæc non attinet quidquam dicere; non enim est necessariò fugienda. De proxima, videlicet illà, in qua homines ejusdem conditionis frequenter labuntur, quæstio est: & hanc esse devitandam extra omne dubium est, si sine notabili nostro damno & incommodo possit; si enim grave & inevitabile damnum inde nobis eveniat, non est necessariò deserenda, Laym. *n. 9.* imò

cùm ea m devitare nullatenus sit in nostra potestate, quomodo ad eam evitandam obligari possumus? impossibile enim nulla est obligatio. Fill. *n. 358.* Desinit ergo tunc ista occasio esse proxima & voluntaria, *sup. n. 84.*

102. Nota II. Duo hæc longè inter se dissidere, quod etiam supra *n. 96.* monui, & notat etiam Suar. *cit. f. 2.* Confessarium, imò & pœnitentem sibi persuadere, quòd non sit securura emendatio, & persuadere sibi, quòd non habeat verum se emendandi propositum: quamvis enim credat quis, se pro sua fragilitate non permansurum in suo illo proposito, potest tamen nihilominus habere verum se emendandi, seu ampliùs non peccandi propositum, & quidem verum & efficax. Etsi enim hoc, ut ex ejus defectu Confessio non reddatur invalida, debeat esse firmum & efficax, non debet tamen esse tale in eo sensu, quòd homo nunquam ab eo desistere, sed semper actu in eo perseverare debeat; hoc enim juxta communem vivendi modum fieri nequit. Neque verò etiam in eo sensu, quòd nullum imposterum peccatum committatur; hoc enim & quotidiano experimento, & fragilitati humane adversatur. Certè constat, eam hominum esse inconstantiam, ut frequenter sua, quamcunque aliàs firma & seria proposita, murent: sicut Petro accidisse scimus, qui licèt firmissimè proposuerit, Christum non negare, paulò pòst tamen ad unius ancillæ ostiariæ vocem consternatus est, & Christum negavit. Matth. *16. Marc. 14. Luc. 22.*

103. Firmum ergo & efficax propositum est, & dicitur illud, quod, quan-

tum est ex se, reddit hominem expeditum ad re ipsa faciendum id, quod statuit; licet effectum postea sortiatur nullum; quia nimirum postea, cum adest occasio exequendi, ob fragilitatem humanam deseritur talis actus, & homo presenti aliqua difficultate territus, aut delectabilitate objecti rursus illectus, mutat suum animum; id quod sæpissimè etiam ijs, qui alioqui Christiana perfectioni student, evenire solet. Ad efficaciam ergo propositi, ad Sacramentum pœnitentiæ validè recipiendum requisiti, sufficit, quòd, dum habetur, tale sit, ut, nisi deseratur, homo vi illius non sit peccaturus. Falleretur ergo, qui existimaret, illum non habere verum propositum, nec absolvi posse, qui diceret, se non credere, quòd in tale peccatum non sit relapsurus, ob tantam naturæ propensionem, diuturna consuetudine roboratam, multisque peccandi occasionibus maximè involuntarijs expositam: hæc enim credulitas non obest proposito, modò quis adhibere velit conatum serium, & reluctari tentationibus quocunque eventu.

104. Nota III. Confessarium, si pensatis prudenter circumstantijs, sibi persuadeat, pœnitentem, non obstante consuetudine, accedere hic & nunc cum vero dolore & proposito non peccandi, posse impendere beneficium absolutionis: tantum enim requiritur ea dispositio, ut valeat absolutio, quidquid sit de secutura emendatione; etsi crederet, imò sciret, illum relapsurum. Confessoris enim non est, ut sibi persuadeat, aut iudicet, etiam probabiliter tantum, fore, ut pœnitens absteat à peccando; sed satis est, ut existimet, eum habere tale

propositum, quamvis post breve tempus illud sit mutaturus. Ita teste Suar. T. 4. in 3. p. D. 32. s. 2. n. 2. docent omnes. Quòd si tamen Confessarius ex circumstantijs, consuetudine peccandi, aut propensione in peccatum iudicet, hominem non habere veram aversionem à peccato, quantumvis asseveret, se dolere & habere verum propositum, neganda est absolutio; si enim Sacerdos prudenter id non iudicet, non habet ex parte sua necessarium iudicium, ut rite possit absolvere, sed potius alienis peccatis se gravabit. Ut autem Confessarius prudenter iudicare possit, pœnitentem consuetudinariam accedere legitime dispositum, non parùm juvat, si peculiaria signa doloris ostendat, quæ antè non ostendebat. Ex quibus possunt esse lacrimæ, plangus, præmissa jejunia, eleemosynæ, & similia; aliquid etiam novæ diligentia adhibuisse in remedium præcedentis consuetudinis; item si promptè admittit consilia, & vult nova media, quæ illi proponuntur, hæcenus nondum tentata adhibere: quin ipsa Confessionis saltem non præcepta frequentia indicium est bonæ mentis, & præsentissimum emendationis remedium. His præmissis,

105. Sententia Laymanni, negandam seu (quod hic idem est) differendam esse absolutionem, si pœnitens post unam alteramve Confessionem se non emendet, duplicem sensum habere potest. I. per modum præcepti, quòd Confessario aliter non liceat absolvere recidivum. II. per modum consilij, ut pœnitens hoc veluti freno coërcitus facilius ad rectam, à qua toties per peccatum aberravit, semitam redeat, & à relapsu cohibeatur.

Posterius

Posterius si velit Layman, admittunt aliqui, eam ob causam quandoque posse differri absolutionem, præsertim si nonnulla spes affulgeat, pœnitentem hanc dilationem non agrè laturum, sed potiùs hac ratione ad frugem esse reducendum. At verò si prius intendat, ut verba sonant, & adjuncta ratio deficientis propositi, essentialiter aliàs requisiti, indicat, nimis durum est, nec satis consentaneum Christi clementiæ, qui *Matth. 18.* ignoscendum ait, non tantùm septies, sed septuagies septies. Nec, ut dixi *supran. 96.* & *Diana p. 3. tr. 4. R. 117. §. notandum.* & *p. 5. tr. 14. R. 66. in fine* tradit, frequentior in idem peccatum relapsus, etsi, ut dixi *n. 97.* pœnitentem valde suspectum reddat de animo minus rectè disposito, certum est & indubiatum argumentum deficientis propositi, sed potiùs fragilitatis & inconstantia humanæ. Nam etiam optimi religiosi sepius in eadem venialia relabuntur, & tamen absolvuntur. Præterquam quòd longè deterior futura sit conditio eorum, qui crebriùs consententur uni Sacerdoti, quàm qui raro, vel apud diversos: in his enim non adverteretur defectus propositi, se post Confessionem emendandi. Ut omittam, quod paulò antè dixi *n. 104.* ipsam apud eundem, præsertim nullo præcepto, aut respectu ad parentes, pædagogos, magistros & similes urgente, Confessionem frequenter obitam haud obscurum esse indicium, animi sincerè & serò cupientis in antiquam peccatorum silvam deinceps non redire.

106. Ceterùm, quod Suar. & alii cum ipso docent de publicis peccatoribus, v. g. concubinariis, usurariis & similibus,

his nimirum etiam necessariò negandam esse absolutionem ad vitandum scandalum, non probo. Etsi enim his negetur absolutio, scandalum tamen, quod alioqui in populo secuturum timetur, non tollitur; cum id clam fiat, nec sine violatione sigilli Sacramentalis propalari queat: an autem, & quousque ob majorem pœnitentis utilitatem sit differenda absolutio, ex dicendis patebit. His ergo in medium productis, & consideratis,

107. Judico omnino, sententiam Diana, Sancio, & Dicastillo benigniorem prioribus esse, ac proinde præferendam, ac retinendam; & peccatorum consuetudinariam etiam ex occasione, quæ etsi alioqui proxima esset, modò tamen ob gravissimas causas evitari non potest, nunquam à Confessario dimittendum esse sine absolutionis beneficio, nisi fortè iusta causa occurrat, quæ luadeat, idem beneficium ad tempus aliquod breve differendum esse. Et ita docent in scholis etiam nonnulli docti Professores. Probat *I.* quia quicumque adfert sufficientem & requisitam dispositionem ad absolutionem, vel saltem probabiliter creditur habere, habet etiam verum jus ad eam petendam, nec potest eo privari sine injuria: etsi enim & Confessarius, tanquam iudex & Medicus, videatur Tamburino in *Meth. Conf. l. 3. c. 3. §. 6. n. 15.* habere jus ad sententiam & absolutionem non nihil, si ipsius rei utilitas spiritalis videatur exigere, differendam, aut ad medicinam, ut deinceps ægro certius & efficacius possit applicari, non statim applicandam; jus tamen hoc non est ita absolutum, ut nullam ab ipso vel reo, vel ægro ejusque consensu habeat depen-

dependentiam. Itaque Confessarius neque ut iudex, neque ut medicus habet jus seu causam sufficientem differendæ absolutionis; nisi pœnitens ipse sponte consentiat.

108. Probatur II. quia absolutio illa neganda est vel ob frequentiam peccandi, vel ob occasionem non evitatam. Non propter hoc posterius; quia, ut pono, hic & nunc non potest, & consequenter nec tenetur peccator eam occasionem vitare. Non propter illud prius; quia negatio illa, vel, si malis, dilatio absolutionis, vel nihil vel parùm habet utilitatis, magisque prodest frequens usus Confessionis, & beneficium absolutionis. Certè remedium illud negatæ vel dilatæ absolutionis Confessarii experiuntur non semper bene procedere, imò sæpe malè: sic enim multi vel Confessionem totis etiam annis omittunt, vel Confessarium mutant, ut jam nova remedium series incipiat, & pro primis vicibus beneficium absolutionis ab eo accipiant: cum quo si postea non succedat, mutant eum rursus, & pergunt ad alium, redintegrando ab initio causam. Sed quidquid sit de hoc, quid faciendum, si pœnitens non accedat ad alium Confessarium, nec Confessionem per plures annos omittat, sed eundem iterum ac sæpius consulat, peratque absolvi; nulla tamen appareat emendatio; An iste repellendus est semper, vel potius aliquando absolvendus? Sanè si nunquam absolvatur per totum annum, quid id prodesse poterit, si ille hîc & nunc, quando accedit, capax est? Nam, si sit incapax, nulla est quæstio, sed certum est, nunquam esse absolvendum. Quòd si

capax est, & nihilominus putatur aliquando pro medicina neganda absolutio, cur toties, & non sæpius? aut, si semper est capax, cur non semper illi confertur? maxime si jam experimento constet, non esse illi valde molestum, subinde privari absolutione. Unde apparet, quid tandem commodi habere possit illud remedium: imò potius plurimum incommodi se-cum adfert, dum privatur homo gratiâ Sacramenti & auxiliis, quæ intuitu illius ritè suscepti dari solent, alioqui non danda: neque sanè tantùm prodesse potest metus ille seu molestia negandæ absolutionis, quantum auxilia gratiæ, & gratia ipsa absolutionis impensæ.

109. Quæ omnia confirmari possunt exemplo & praxi peritorum Confessariorum: hi enim, ut notum est, injungunt frequentem usum Confessionis apud eundem Confessarium; tantum abest, ut venientem absolutione privent: alioqui frustraneum esset, injungere cum accessum. Et ita communiter etiam D.D. suadent, ut fiat in peccatis, præcipuè in quibus nec moraliter nec physicè ullatenus tolli potest occasio, ut contingit in peccato mollitiæ, de quo Toletus l. 5. c. 13. sic pronuntiat: est, inquit, hoc peccatum difficillimæ emendationis, quia occasio semper est cum homine, & est adeo universale, ut crediderim, maximam partem damnatorum hoc infici peccato. Vix puto, esse aliud efficax remedium, nisi frequentissimam Confessionem, cum uno eodémque Confessario, ut fiat ter in hebdomadæ, si possit: est enim hoc Sacramentum maximum frenum: & qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum

raculum à DEO factum, aut rarissimum privilegium. Ex quibus satis apparet, non esse recidivos repellendos à Confessione, sed ad eam alliciendos, & invitandos sub spe impetrandæ absolutionis. Quis enim confiteatur, qui timere potest, ut sibi, quantumvis aliàs disposito, & ad frequentandam Confessionem incitato, imò accedere jussu, denegetur absolutio? Quare nec in iis peccatis, quorum occasio, si non physicè, saltem moraliter averti non potest, videtur remedium negandæ absolutionis adhibendum, præsertim cum hoc Sacramentum Christus ipse instituerit, non solum ad peccata præterita delenda, sed etiam ad futura præcavenda: negatâ verò, vel, (quod hic idem est) dilata absolutione negatur Sacramentum reconciliativum cum DEO, atque remedium contra futura peccata. Quis verò unquam vidit, ægrotum, alioqui remedii capacem, remedio ad vulnus acceptum sanandum convenientissimo privari? aut tempore morbi contagiosi antidotum, quod facile haberi potest ad pestem evitandam, cuiquam denegari, præcisè ex eo, ut postea (si superis placet) efficacius adhibeatur. Hæc enim vero inhumana essent, & Christianæ charitati minimè consentanea: & multò maximè urgere possunt respectu peccatoris etiam consuetudinarii, non solum attriti, sed verè contriti. Quid enim durius sit, aut magis absonum, quàm amicum DEI, & amantem illum super omnia, non jam propter peccata præterita, sed propter merum eumque forrassis inanem futurorum beneficio Sacramenti & absolutionis privare?

no. Probatum III. efficacissimo ipsius
R. P. Stoz Trib. Pœnit.

mitissimi Christi JESU exemplo: si enim ipse tam clemens est & misericors, ut omnes, qui, quoties in antiqua peccata sine numero fere relabuntur, toties tamen ad ipsum, velut omnis misericordiæ fontem, animo verè contrito accedunt, absolvat, & veniâ peccatorum donet; quid est, quòd nos ejus Vicarii simus ipso longè severiores, & beneficium absolutionis Sacramentalis relapsis, sed hic & nunc verè contritis, negemus, cum mandato, ut seipsis redeant meliores? vix enim apparet, ad quid aliud hæc absolutionis dilatio serviat, quàm ut pœnitentem faciat pusillanimum, & absterreat à repetenda Confessione. Certè si Christus ita nobiscum ageret, jam pridem ut Sodoma essemus. Imitemur ergo potiùs benignitatem Christi, omni momento quoscunque peccatores, quamcunque relapsos in sinum suæ misericordiæ admittentis, ut hac ratione onus Confessionis, quod alioqui satis grave est, reddamus haud paulò levius; & peccatores, etiam maximos, & in antiqua peccata sæpius relapsos, ad misericordiæ divinæ thronum per Pœnitentiæ Sacramentum reverti & accedere sinamus: forsan flectetur tandem dura cervix, cum vi debet secum tam benignè & paternè agi; &, quæ malè hæctenus gessit, emendabit; & Angelis DEI majus adferet gaudium, quàm nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ. Certè multi hac tam infracta Confessarii patientia & benignitate permoti, & constanti ejusdem industriâ quasi manuducti, & precibus adjuti, ad bonam frugem redierunt, & demum post multos annos, quibus in miserabili peccatorum gravissimorum statu consue-

L

runt,

runt, ac vixerunt, sanati sunt ab infirmitate sua. Licet ergo ex antiquis circumstantiis nihil nisi relabendi metus appareat, meliora tamen præsumamus de iis præsertim, quos viderimus verè, & sine fūco de suis peccatis dolere. Quid si enim hæc absolutio, quam immitis Judex nunc negas, futura sit ultima? eaque tam severè negatâ recidivus repente decedat, & quia attritus tantum erat, pereat, & cum reprobis suam accipiat portionem. Eheu! quid non doloris, quid non mœroris tibi accideret, si talem jam ob tuam severitatem rogo æternum arfuro involutum videres, lamentabile illius longè infelicissimi ignis pabulum, quem videre potuisses inter gloriosos cælestis patriæ cives beatum consortem, sui beneficium, cujus probabiliter capax erat, absolutionis impertuisses?

III. Hinc ergo videant Confessarii, quàm non debeant se ipsos morosos ac difficiles præbere in absolvendo recidivo: ab hac enim, ut paulò antè dixi, tam difficili & morosa absolutionis collatione sæpe pendet æterna recidivi salus. Et hinc Tann. T. 4. D. 6. q. 9. d. 5. n. 114. rectè ac sapienter monet Confessarios, ne absolutionem, quàm inculpatè impendere poterunt, cum damno vel probabili periculo pœnitentis negent; sive quia is animo valde dejicietur, sive quia ad Confessionem non audebit redire. Itaque, quod monet etiam Henriq. l. 6. c. 26. n. 9. communiter id non faciant sine pœnitentis consensu. Ego particulam hanc *communiter* omittendam censeo, & simpliciter dicendum, absolutionem etiã recidivo, bene disposito non esse denegandam seu differendam, nisi ipse velit.

Præstat, ut, si in uno excedere velimus, potiùs in benignitate quam severitate excedamus, & in cælum introducamus per impertitam absolutionem, quem fortè alioqui in infernum præcipitem egissemus.

112. Dixi autem supra I. Recidivum ex inevitabili occasione absolvendum esse: si enim occasio facilè & nullo impendio possit evitari, utique absolvi non potest, qui eam dimittere non vult. Est enim manifestè incapax absolutionis ob affectum vigentem ad peccatum non omitendum, hoc ipso, quia occasionem, quam facilè potest, non vult deserere. Quòd si verò, dicat, se dimisurum eam occasionem, & licet facillimè possit, non dimittat, etiam graviter monitus, meritò potest esse suspectus de inefficacia, aut simulatione veri propositi à peccatis abstinendi, & sic dimitti, donec & ipse suam dimittat occasionem, ut monet Dicast. n. 580. Idem dicendum est de eo, cujus indispositio manifestè deprehenditur per decursum Confessionis.

113. Dixi II. *Nisi justa causa occurrat* &c. qualem ego cum Joanne Sancio judico esse solum & unicum pœnitentis consensum. Addunt aliqui hanc: si enim, inquit, major utilitas in pœnitentem, si ei ad breve tempus differatur absolutio, redundare possit, ex meliori instructione, adhortatione ad novum & majorem horrorem ac odium peccati, aut amorem DEI &c. quæ hic & nunc ob temporis angustias fieri nequeunt, Confessarius, cum videat plus se effecturum absolutionem differendo, quàm statim impertiendo, id utique facere poterit. Ita isti: quibus ego non assentior, nisi in ordine & dependenter ad consensum

sum pœnitentis, à quo res hæc unicè pender, ut ex hæctenus dictis præsertim n. 107. colligere est.

ARTICULUS VI.

De signis veri doloris, & propositi.

114. Hæc possunt esse, I. si præscripta media sint adhibita. II. si occasiones salutem proximæ sint vitatæ. III. si numerus peccatorum sit imminutus. IV. si pœnitens omnino asserat, cui plerumque credi debet, cum ipse sui sit accusator, defensor & testis. Qua tamen in re opus est magnâ Confessarij prudentiâ, ne pœnitentem sua severitate avertat, neque etiam lenitate seducat, & peccet pereatque cum illo.

115. Sed enim illud pro solatio bonarum mentium non est omittendum, quod notant Navar. c. 3. n. 13. Henriq. l. 4. c. 42. n. 4. Coninch. D. 2. d. 6. n. 59. Laym. l. 5. rr. 6. c. 4. n. 8. & 18. Bonac. D. 5. q. 5. f. 1. p. 8. n. 3. Suar. D. 4. f. 3. n. 5. Dicast. D. 6. d. 14. n. 246. & alij. Hi ergo docent, posse contingere, ut aliquis habeat absolutum & efficac propositum de cetero non peccandi, & tamen simul timeat, imò certò sibi persuadeat, se vel omnia aut plura peccata] mortalia, vel certum eorum aliquod genus non vitaturum, quia jam expertus est suæ voluntatis inconstantiam. Hic enim, etsi in semet habeat causam, se coram DEO humiliandi, & calidioribus precibus ejus auxilium & gratiam implorandi, proposito tamen, quod ad Sacramentum sufficiat, non destituitur. Aliud enim est, velle & seriò etiam proponere, non peccare imposterù; aliud, scire, quod quis sibi

proposuit, se facturum. Illud prius spectat ad voluntatem; hoc verò posterius ad intellectum, & ex illo proposito ob cognitam voluntatis humanæ mutabilitatem necessariò non consequitur: sed nec ad veram contritionem requiritur, imò etiam, ut Navar. rectè monet, sapit quandam superbiam: & ideo consulendum est, præsertim fragilioribus, ut de eo nihil curent aut cogitent. Licet autem hic timor possit aliquando esse indicium propositi minùs perfecti; potest tamen stare, imò ordinariè stat cum absoluto & ad Confessionem sufficienti proposito, nisi fortè oriatur ex affectu actuali erga peccatum, aut ex desperatione Divini auxilij.

116. Sub hæc ergo non rectè faciunt Confessarij, qui à suis pœnitentibus exigunt specialem promissionem vel juramentum de hoc vel illo peccato imposterum non perpetrando, ut sic magis ab eo scelere absterreantur. Etsi enim possit hoc quandoque effrenent & abjectam in peccata voluntatem continere in officio, periculum tamen est, ne, dum ex uno laqueo explicare se volunt, in duplicem se induant, peccati videlicet novi, & insuper etiam perjuri. Neque habet Confessarius potestatem obligandi pœnitentem ad ea, quæ aliàs jure Divino vel humano præstare non tenetur, nisi ad opera pœnitentiæ, de quibus tamen ipsis non parùm dubitatur, ut videbimus.

117. Nihilominus tamen, si omnino judicetur, ejusmodi juramentum esse medium opportunum ad absterrendum hominem à crimine valde pernicioso, & ad commune & publicum alicujus communitatis damnum spectante, posset à pœnitente exigì, ut priùs, quàm absolva-

tur, juret, se tale crimen non patratum: & ita de incendiarijs statuitur *cap. Pessimam. 23. q. 8.* & de ijs, qui ab excommunicatione solvuntur, decernitur *cap. 10. 11. & 15. de sent. excommun.* ubi istiusmodi jurare jubentur, se staturos seu parituros mandato Ecclesiæ, pro damno satisfacturos, tale delictum non amplius commissuros, pœnitentiam injunctam impleturos &c. sed hæc ut Bonac. *de Excomm. D. 1. q. 3. n. 4.* notat, ad forum externum spectant, nec ad forum internum conscientiæ sunt trahenda: non enim pro Confessione ea est necessitas juramenti, cum sufficiat serium amplius non peccandi propositum: imò nec ad aliorum exemplum quidquam valeret occultum illud, quod intra Confessionem fieret, juramentum: ad quid ergo exigatur? nisi, ut dixi, in raro casu, quo credi potest esse medium accommodatum ad abstinendum à peccato.

ARTICULUS VII.

Praxis eliciendi Contritionem.

118. Quibus verbis aut internis mentis actibus Contritio formanda sit, ex hæcenus dictis facile est colligere. Verba quidem ad eam exprimendam non sunt necessaria, cum sola mente possit, & quidem in ictu oculi, imò unico momento: ut patet in Davide, qui vix unicum illud *peccavi Domino*, protulit, mox à Propheta Nathan illud consolationis plenum verbum invicem audivit: *Domine quoque transtulit peccatum tuum 2. Reg. 12.* si tamen verba adhibeantur (quod laudabile quoque est) ita profertenda sunt, ut cum ijs mens consentiat;

ne videlicet, dum labijs quis profiteretur, se sua peccata commissa detestari, ea mente adhuc probet: in quem sanè rectè detorqueri posset illud *Psalmi 77.* linguâ suâ mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo.

119. Circumferuntur quidem non pauca paradigmata, quæ passim & vulgò habentur pro perfectæ Contritionis actu; cum tamen revera non sint, eò quòd nitantur frequenter motivo Amoris erga DEUM, quem *Concupiscentia* appellant, & ad perfectam Contritionem non sufficere constat ex dictis *n. 10.* ut ergo forma Contritionis tum perfectæ, tum imperfectæ ad manus sit, utriusque unam vel alteram subjiciam, ut, si placeat, eam familiarem tibi reddas. Est enim consultißimum & sanctißimum, frequenter eam contritionem, quæ ex solo & puro DEI super omnia dilecti amore proficitur, elicere.

FORMA CONTRITIONIS PERFECTÆ.

120. Amabilissime Domine, Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis, qui propter nimiam, quâ nos diligis, charitatem, non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat: doleo ex intimo corde, quòd te DEUM meum, Patrem amantißimum, quem super omnia amo, offenderim. Vellem ex animo, ut nunquam te offenderissem. Detestor omne peccatum, à me unquam commissum, & quodcunque aliud, super omniade-

reßta-

testabilia, & quidem ideo, quòd sit contra te DEUM meum summè & infinitè bonum, quem amo iterum super omnia. Intuitu igitur meæ vilitatis, quæ offendit, & infinitæ bonitatis ac Majestatis, quæ offensa est à me, firmissimè statuo ac propono cum Divina tua gratia, omnia peccata devitare super omnia devitabilia, eorúmque occasiones declinare omnes; ea denique, quæ contra immensam bonitatem tuam commisi, in amaritudine animæ confiteri, & pœnitentiam, quæcunque injungetur, implere, sperans de bonitate ac misericordia, fidelitate ac veracitate Divina infinita, omnia peccata mihi remissum iri, & gratiam conferendam, ut bene vivam ac moriar, & tandem salvus fiam: quod, ut fiat, rogo te per merita Christi, beatissimæ illius Matris, omniumque Sanctorum. Amen.

A L I A.

121. O clementissime DEUS: pœnitet me ex toto cordis affectu, quòd offenderim te Dominum meum, quem amo super omnia: & propono firmiter, amplius non peccare, omnésque peccandi occasiones devitare, & sanctissimæ tuæ voluntati in omnibus placere. Et in satisfactionem peccatorum meo-

rum offero tibi passionem dilectissimi Filij tui Domini nostri JESU Christi, merita B. MARIE Virginis, & omnium Sanctorum, atque opera mea omnia, & totam vitam meam. Et confido in bonitate ac misericordia tua infinita, quòd per merita pretiosissimi sanguinis, ac sanctissimæ Passionis Filij tui, mihi remissurus sis omnia delicta mea, & gratiam uberem largiturus, qua vitam meam emendare, tibi que perfectè usque in finem servare valeam, Amen.

Alia, in qua specialiter notantur actus, qui ad eliciendam contritionem concurrunt.

122. Domine DEUS clementissime! firmissimè assentior *a.* ob Divinam revelationem, te esse in finitè bonum; &, cum talis sis, amo te ex toto corde super omnia. *b.* Firmissimè iterum assentior ob eandem revelationem, te esse infinitæ veritatis & fidelitatis in promissis, & in remittendis peccatis infinitæ misericordiæ ac bonitatis. *c.* Firmissimè denique assentior ob revelationem Divinam, me ob peccata à me unquam commissa esse detestabilem super omnia; & ideo etiam de estor memet super omnia detestabilia. *d.* quia ergo ab ultima mea Confessione & per omnem vi-

tam multis & magnis peccatis, te DEUM meum, summum & infinitum bonum ego omni modo detestandus offendi, doleo ex intimo cordis affectu & *e.* detestor, ô mi DEUS, omne peccatum à me unquam commissum, & hoc non alià de causa, quam quia tibi, DEUS meus, quem amo super omnia, displicet, *f.* Et idcirco etiam firmissimè statuo, impostero amplius non peccare: *g.* in satisfactionem verò meorum peccatorum offer tibi acerbissimam Filij mortem pro me misero peccatore obitam, *h.* sperans, *i.* me illius intuitu veniam omnium delictorum impetraturum. Amen.

a. Actus fidei. *b.* Actus amoris DEI super omnia. *c.* Actus spei. *d.* Detestatio sui. *e.* Dolor de peccatis. *f.* Repetitio amoris DEI. *g.* Propositum non peccandi. *h.* Oblatio meritorum Christi pro satisfactione peccatorum. *i.* Repetitus actus spei.

Alia brevior, in qua rursus specialiter notantur actus, qui ad contritionem concurrunt.

123. Benignissime DEUS, qui culpà offenderis, & pœnitentiã placaris, *A.* pœnitet me ex toto corde, *B.* quod offenderim te Dominum ac DEUM meum, *C.* quem amo super omnia; & propono firmiter, amplius non peccare, omnès-

que peccandi occasiones devitare, & tibi in omnibus cum Divina tua gratia obsecundare. *D.* Et in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi satisfactionem sacratissimam JESU Christi Filij tui, ac Domini nostri. *E.* Et confido in bonitate & misericordia tua infinita, quòd per merita ejusdem Christi Filij tui remissurus mihi sis omnia delicta mea, *F.* & gratiam uberem largiturus, quã vitam sanctè instituire, tibi que perfectè usque in finem servire valeam. *G.* Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

A. Actus fidei. *B.* Dolor de peccatis. *C.* Amor DEI super omnia. *D.* Propositum de futuro. *E.* Oblatio sui per Christum. *F.* Spes veniæ per Christum. *G.* Petitio gratiæ Divinæ, sine qua nihil boni, quameunque modicum sit, possumus præstare.

Alia adhuc brevior.

124. Doleo, ô pijsime & amabilis DEUS, quòd ego te Dominum meum & DEUM meum, quem amo super omnia, unquam offenderim, firmiterque statuo, omnia peccata eorumque occasiones devitare, confiteri & pœnitentiã, quæ injungetur, implere. Et confido ab infinita bonitate tua per Christi merita, ejusque pretiosissimum sanguinem pro me effusum, omnia peccata mihi remittenda, & gratiam conferen-

ferendam, quã vitam meam emendem, & in sanctissimo tuo servitio in finem perseverem.

Alia adhuc brevior & facilior.

125. Detestor ex animo omnia peccata mea propter DEUM meum, quem amo super omnia, & doleo à me unquam offensum esse, emendationemque in futurum propono.

Brevissima cum proposito implicito.

126. Displicet mihi, unquam me peccasse, quia feci contra te, DEUS meus bone, quem ex toto corde amo super omnia.

ACTUS ATTRITIONIS.

127. Pœnitet me, unquam peccasse contra DEUM meum, omnium delictorum meorum justum vindicem.

128. Possunt mala, quæ DEUS propter peccata alicui inferre potest, magis explicatè exprimi, in hunc ferè modum: Doleo de peccatis meis, quia DEUS me propter illa æterna beatitudine privare potest: *vel:* gratiã & jure æternæ felicitatis exuere: *vel:* inferni æternâ, *vel:* temporali purgatorii pœna; *vel:* alio temporali malo infamiæ, mortis, parentum &c. affligere: *vel:* quia per illa anima mea in conspectu DEI detur-

patur, fit exosa DEO &c. & propono emendationem in futuro.

129. Sed quòd motiva, ob quæ elicitur attritio, fuerint generaliora, eò etiam ad plura se porrigit peccata. Et ideo expedit, ut attritio temper eliciatur subtractione tam universali, ut omnia peccata commissa complectatur, juxta ea, quæ suprã n. 37. & n. 69. diximus. Alioqui si motivum fuerit tantum particulare, super unum duntaxat peccatum mortale cadens, alius novus dolor addendus erit, qui reliqua quoque peccata mortalia attingat, ne aliàs Confessio ob defectum sufficientis doloris vel propositi reddatur invalida. Neque enim fieri posse existimo, ut in eadem Confessione, in qua plura peccata mortalia exponuntur, dolor ita dividatur, ut cadat super unum tantum; reliqua verò ne virtualiter quidem eo contineantur; sic enim, meo quidem iudicio, est nulla ob affectum saltem habitualiter ad quædam peccata mortalia perseverantem. Sed hoc ulterius discutiendum Theologis Scholasticis relinquo; hi enim ex proprio munere exactius disputant, an dari queat Confessio valida, sed informis, hoc est, quæ, licet valeat, fructum tamen nullum confert.

Alia brevior.

130. Displicet mihi summopere, quòd DEUM, summum meum Benefactorem, meum Redemptorem, Glorificatorem &c. unquam offenderim: & statuo firmiter ab omni peccato imposterum abstinere.

Alia

*Alia brevissima cum proposito
implicito.*

Displicet mihi, peccasse, propter mala, quæ DEUS mihi infligere potest: vel: propter bona, quibus me privare potest.

131. Ex iis, quæ tota hac parte dicta sunt & explicata, potest Contritionis perfectæ definitio concinnari, in hæc ferè verba: *Est actus charitatis, quo quis sua peccata omnia detestatur, quatenus sunt offensa vel malum DEI: vel quatenus ejus amicitia aut voluntati repugnant, cum proposito non amplius peccandi.* Dicitur I. *Actus charitatis*: non tam quòd sit actus à charitatis erga DEUM habitu, vel in ejus habitus defectu ab auxilio gratiæ Divinæ elicitus; sed potiùs, quòd sit imperatus ab eadem charitate, ita ut actus charitatis sit prior, quàm actus contritionis; ideo enim quis detestatur peccatum, quia est contra DEUM nobis super omnia dilectum. Nihilominus actus contritionis ita accipitur, ut utrumque actum contritionis & amoris includat. Porro hic amor debet esse amor amicitia; seu benevolentia; juxta dicta n. 10. Dicitur II. *quo quis detestatur*: per displicentiam causativam doloris. Unde facilè datur causa, cur nec DEUS, nec Beati dicantur habere pœnitentiam, etsi quàm maximè utriusque displiceat peccatum, ut purè DEO malum: quia utriusque etiam incapaces sunt doloris, qui alioqui nascitur velut effectus ex detestatione peccati commissi, velut ex causa. Dicitur III. *Sua peccata*: quia nullus dicitur propriè habere contritionem de

peccatis alienis, hoc est, à se non commissis: tendit nimirum contritio ad eum finem, ut ille ipse, qui eam elicit, DEO à se offenso reconcilietur. Dicitur IV. *Omnia*: quia hoc ipso, quòd peccatum unum mortale non deleatur, quin hoc ipso etiam cetera remittantur, necesse est, ut contritio cadat super omnia. Quin et si peccatorum omnium venialium remissio per contritionem quærat, eodem modo necessarium est, ut illa se ad omnia extendat; non enim fieri potest, ut per eum actum peccatum, quòd adhuc placet, vel perseverat habitualiter, remittatur. Dicitur V. *Quatenus offensa, vel malum DEI* &c. hoc enim ipso, quòd ex motivo charitatis, quæ erga DEUM ut summum & infinitum nostrum bonum; super omnia purè ratione sui amabile, versatur, proficiscatur contritio, non tantum omne bonum DEO velle debemus, quòd sit per actum amoris; sed etiam, quidquid illi malum est, vel displicens, per actum contritionis averfari & odisse; cum ejusdem virtutis sit, velle alicui bonum, & malum ei contrarium vel oppositum odisse & detestari.

132. E contrario verò Attritio sic describi poterit: *Est actus, quo quis detestatur peccatum, quatenus est offensa DEI summi nostri benefactoris, vel vindictæ peccatorum per pœnas instigendas.* Dicitur I. *Actus*; vel ex amore nostri, qui *Concupiscentia* vocari solet; vel ex timore pœnæ, non quidem servili, sed filiali, de quo supra n. 32. profectus. Dicitur II. *Quatenus est offensa DEI*: ut etiam dolor sit ad veniam à DEO impetrandam utilis, semper ad DEUM à nobis per peccata

peccata offensum respicere oportet. Quamcunque enim doleamus de peccatis, quatenus per ea parentes, Magistratum, Præceptores &c. offendimus, nunquam eorum remissionem obtinebimus, nisi ad DEUM quoque sint oculi nostri. Dicitur III. *Summi Benefactoris*: cum enim contritio necessario ex motivo charitatis, quam *amicitia seu benevolentia* appellamus, provenire debeat; dolor ille, qui ex amore nostrum promanat, ad perfectionem veræ Contritionis non potest pertingere. Restat ergo, ut sit actus Attritionis: præter hos enim duos dolores tertium, qui ad Confessionis Sa-

cramentum spectet, non novimus. Dicitur IV. *vel vindictis peccatorum per penas*: sive hæ sint æternæ in inferno, vel temporales in purgatorio perferendæ; quin & quæcunque alia mala v.g. infamia publica, suspendium, castigatio à parentibus aut Præceptoribus, morbi, fames &c. possunt esse motiva ad Attritionem sufficientia, modò apprehendantur, ut à DEO vindice peccatorum proveniunt; aliàs utique ad attritionem, quæ ad Confessionem requiritur, sunt inutilia. Sed de his modò satis: pergamus ad tertiam hujus Operis partem.

P A R S III.

DE CONFESSIOE.

Hæc est altera Sacramenti Pœnitentiæ pars: prius tamen, quam eam pertractare aggrediamur, placet de ipsa Pœnitentia generatim non-nihil differere.

QUÆSTIO I.

De Pœnitentia.

1. Pœnitentia diversimodè accipitur: aliquando pro Virtute; aliquando pro Sacramento; aliquando pro Confessione, seu actuali sui accusatione coram legitimo sacerdote; aliquando pro contritione; aliquando etiam pro satisfactione. Nos hoc loco breviter dicemus de Pœnitentia, ut est Virtus, & Sacramentum; acturi postea de eadem, ut significat sui, quam dixi, accusationem: & tandem etiam de eadem, quatenus per
R. P. Stoꝝ Trib, Pœnit.

eam DEO offenso satisfacimus, & injunctam pœnam exsolvimus.

ARTICULUS I.

De Pœnitentia, ut est Virtus.

2. Pœnitentia prout est specialis & à ceteris omnibus distincta virtus, ex S. Thom. 9. 85. a. 1. ad 3. & art. 3. in hunc ferè modum describi potest. Est detestatio & dolor animi de peccato commisso, quatenus est offensa DEI, ex intentione eam abolendi & compensandi: vel: Est habitus inclinans ad actum, quo detestamur peccatum commissum, & de eo dolemus,
M

dolemus, quatenus per id DEUS à nobis offensus est, ex intentione eam offensam tollendi & compensandi. Ceterum in priori definitione dicitur I. *Detestatio*: consistit enim actus Pœnitentiæ formaliter in ipsa displicentia, & recessu animi à malo peccati. Dicitur II. *Et dolor*: conformiter Concilio Trident. *sess. 14. c. 4.* quia ex detestatione peccati, cuius reatus præsens adhuc est, nascitur quidam in animo dolor & tristitia, sicut ex apprehensione alicujus boni, præsertim magni, oriri solet gaudium. Dicitur III. *Quatenus est offensa DEI*: si enim detesteris peccatum præcisè, ut repugnat rationi, pertinet generatim ad virtutem quandam generalem, quam *Honestatem* appellant, particulatim verò ad particulares virtutes, quibus peccata opponuntur: ejusdem enim virtutis est bonum protequi & malum fugere. Dicitur IV. *Ex intentione eam abolendi &c.* sufficeret quidem charitas erga DEUM ad dolendum de peccato, quatenus repugnat DEO; at dolere de eo, ut est offensa DEI, cum proposito eam compensandi, id proprium est virtutis Pœnitentiæ.

3. Sed liceat nunc ex dictis de Contritione quædam per anacephalæosin repetere. Itaque Pœnitentia, ut virtus est, est duplex. Una est perfecta, quam in scholis Contritionem vocant. Altera imperfecta, quæ in iisdem scholis Attritio appellari solet. Inter utramque hoc palmarium intercedit discrimen, quòd attritio ex timore pœnæ, vel amore concupiscentiæ oriatur; & licet etiam cognita sit, cum Sacramento, etiam in articulo mortis, hominem in pristinum gratiæ &

amicitiæ Divinæ statum restituat; ita tamen ut extra Sacramentum re ipsa susceptum non sufficiat ad eum effectum conferendum. At verò Contritio nascitur ex amore benevolentæ erga DEUM, & sola in antiqua lege fuit sufficiens & congrua dispositio ad veniam peccatorum, DEI gratiam, & jus gloriæ cælestis per Christi merita recuperandum, ut constat ex Concilio Arausiano II. *can. 8.* & Trident. *sess. 6. c. 6.* Imò, quòd amplius est, in eadem lege fuit unicum medium, per quòd Divina gratia, per peccatum mortale deperdita, poterat recuperari. In quo sanè lex illa haud paulò gravior erat Lege Evangelica, in qua præter contritionem, quæ in hac quoque lege sufficit, & quidem etiam extra Sacramentum, ad DEI amicitiam denuò recuperandam, adhuc aliud datur medium, quòd sufficit ad istum effectum, nempe Attritio cum Sacramento. Et profectò magnum est beneficium, quòd Christus suam Ecclesiam duplici & tam valido medio ad obtinendam peccatorum veniam instruxerit. Cetera omnia ex dictis satis constant: quare ab iis etiam in unam brevem summam revocandis abstinere lubet, ut reliquis, quæ huc faciunt, edisserendis sit locus.

ARTICULUS II.

De Pœnitentiæ, ut est Sacramentum.

4. Potest hoc Sacramentum dupliciter definiri, metaphysicè scilicet & physicè. Et priori quidem modo sic: *Est Sacramentum reconciliationis cum DEO post lapsum personalem, institutum per modum iudicii.* Posteriori verò ita: *Est Sacramen-*

cramentum deletivum peccatorum post baptismum commissorum, consistens in actibus pœnitentis & absolventis, institutum à DEO per modum iudicij emendativi ad remissionem peccatorum. Vel: Est Sacramentum, peccatorum post baptismum commissorum, & legitimo ministro cum detestatione & dolore debito manifestatorum, deletivum virtute clavium seu absolutionis sacerdotalis. Alij alias concinnant & adferunt definitiones, sed hæc sunt sufficientes: & prima quidem metaphysica suo genere constat, & differentia. Nam particula Sacramentum ponitur loco generis: reliquæ verò rationem differentia lubeunt; per eas enim Sacramentum hoc differt à ceteris Sacramentis omnibus. Posteriores verò duæ definitiones physicae etiam bonæ sunt, & probatae; quia continent omnia genera causarum, quæ ad hoc Sacramentum vel constituendum vel efficiendum concurrunt. Causa enim *materialis* est vel proxima vel remota: ista sunt peccata ipsa per hoc Sacramentum tollenda; illa verò sunt duo pœnitentis actus, contritio scilicet & confessio. *Formalis* consistit in forma absolutionis, seu in actu sacerdotis, legitima potestate præditi & absolventis. *Efficiens* alia est ministerialis, ipse nimirum sacerdos, qui tanquam vicarius Christi hoc Sacramentum administrat; alia principalis, nempe Christus, tum ob institutionem; ipse enim idem Sacramentum instituit, cum post suam resurrectionem Apostolis Joan. 20. dedit potestatem ligandi, & solvendi peccata: tum quòd ipse velut primarius gratiæ Divinæ Auctor suo nomine proprio remittit peccata, quibus offensus est

DEUS: nemo enim alteri potest suo nomine condonare seu remittere offensam, præter illum, qui læsus est. Causa denique *finalis*, ad quam hoc Sacramentum institutum est, est remissio peccatorum, atque adeo amicitia Divinæ, quæ per peccatum est amissa, restauratio & conservatio: virtute enim illius conferuntur pœnitenti, tum gratia sanctificans, quæ restituit hominem in statum dictæ amicitia, tum etiam jus ad specialia quædam auxilia opportuno tempore, licet nec semper efficacia, nec infallibiliter conferenda, quibus peccata queant evitari.

ARTICULUS III.

De necessitate Sacramenti Pœnitentia.

5. Duplex ad institutum præsens necessitas considerari potest; una *medij, præcepti* altera. Ista oritur ex legitimi superioris potestate, volentis aliquid fieri; illa verò oritur ex ipsa cujusque rei natura & institutione: inter utramque latum est discrimen, de quo disputant Scholastici, quibus proinde accuratius examen relinquo; ego rem breviter expono. Itaque necessarium *necessitate medij* illud est, quod ad gratiam vel salutem consequendam ita requiritur, ut sine eo, licet inculpate omisso vel ignorato, secundum ordinariam DEI legem salus nullatenus obtineri possit. Necessarium *necessitate præcepti* est illud, quod cum à legitimo superiore sit impositum, sine peccato quidem omitti non potest, si tamen ex inculpata ignorantia, vel alia iusta de causa omittatur, salutis, hoc est, gratiæ sanctificantis, & æternæ beatitudinis consecutio

secutionem non impedit. Porro quod necessarium est necessitate medij, adhuc dupliciter necessarium est, vel *in re*, vel *in voto*: ubi *votum* non accipitur strictè pro promissione DEO facta, sed pro actu aliquo, in quo implicitè continetur propositum suscipiendi v. g. Sacramentum; qualis actus est vel contritio perfecta, vel amor DEI super omnia: hoc ipso enim, qui alterutrum actum elicit, habet voluntatem servandi omnia præcepta, etsi ea hinc & nunc, vel propter ignorantiam inculpatam, vel aliam ob causam, reipsa servare non possit.

6. Sed hinc jam oritur difficultas breviter enodanda. Inde enim videtur sequi, restitutionem, imò etiam omnium aliorum mandatorum observationem esse necessariam necessitate medij: nam sine ea vel *in re*, vel *in voto*, salvari nemo potest: quod tamen est contra Theologos. Equidem fateor, non esse ita expeditum, differentiam inter utramque, quam dixi, necessitatem assignare. Nilominus tamen duplex dari potest: I. est, quòd, cum in mandatis excusare possit ignorantia invincibilis, absque eorum observatione salus haberi possit; non item absque ijs, quæ dicuntur esse necessaria necessitate medij, in quibus proin ignorantia, quantumvis aliàs invincibilis sit, non excusat. II. est, quòd, quæ necessaria sunt necessitate medij, vel ad salutem præsupponantur tanquam prima radix & fundamentum, (qualis est fides, eaque solùm quorundam mysteriorum) vel ex primaria sui institutione ordinata sint ad conferendam primam gratiam.

7. Unde patet I. qua ratione Sacra-

menta, quæ in scholis *vivorum* appellantur, non sint necessaria necessitate medij, quia licet quandoque, ut Theologi docent, sint etiam causativa primæ gratiæ, id tamen ex primaria sui institutione non habent. Patet II. cur voluntas restituendi, aut quodcunque aliud præceptum observandi, non sit ad salutem necessaria necessitate medij: quia nec est prima radix salutis, ut fideles; nec à DEO elevara est, ut ad causandam primam gratiam principaliter ac primariò concurrat, tanquam medium positivum, Quidquid enim restitutio operatur ad salutem obtinendam, id non operatur, ut medium positivè influens in salutem; sed solùm ut removens peccatum, quod unicè à gloria cælesti nos potest excludere: cum econtrario ea, quæ hac medij necessitate necessaria dicuntur, non solùm removeant impedimenta salutis, sed insuper etiam in eam ut media positivè influant. Sed de hoc modò satis: videamus nunc, qua necessitate necessarium sit Sacramentum Pœnitentiæ.

De necessitate medij.

8. Sacramentum Pœnitentiæ est ad salutem necessarium necessitate medij, idque *in re* vel *in voto*, illis, qui post Baptismum vel in ipso mortaliter peccarunt. Tum quia hoc Sacramento, sive *in voto* sive *in re* prætermisso, salus obtineri non potest, cum nemini, qui peccato, præsertim mortali, inquinatus est, pateat aditus ad gloriam cælestem. Tum quia ex Concilio Tridentino *sess. 14. c. 2.* lapsis post Baptismum dicitur hoc Pœnitentiæ Sacramentum tam necessarium, quàm est necessarius Baptismus iis, qui
cum

eum nondum receperunt ; sed Baptismus est necessarius vel in re, vel in voto, ut ostenditur in propria de Baptismo materia : ergo &c. Et ita docent Suar. *D. 17. s. 2. n. 3. & s. 3. n. 3.* Valent. *T. 4. D. 7. q. 1. p. 6. assert. 2. & q. 9. p. 2.* Reginald. *l. 28. n. 4.* Bonac. *D. 5. q. 2. p. 3.* Henriq. *l. 4. c. 2. n. 1. & reliqui communiter.* Hinc obiter

9. Patet, eum, qui post Baptismum peccavit mortaliter, non esse salvandum, nisi per Sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel in voto, id est, nisi vel re ipsa recipiat hoc Sacramentum, aut eliciat actum perfectæ contritionis, vel amoris DEI super omnia, qui actus, si Sacramentum ipsum recipi non possit, idem prorsus operatur, quod ipsum Sacramentum operatum fuisset, si etiam re ipsa fuisset receptum.

De necessitate præcepti Divini.

10. Duplex præceptum est, vi cuius Sacramentum Pœnitentiæ ex necessitate, sive ex obligatione percipiendum est, Divinum unum, alterum humanum : nunc de Divino agamus. Extare ergo ejusmodi præceptum de Pœnitentiæ Sacramento percipiendum docent Theologi communiter, & colligunt id ex illis verbis Joan. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Desumitur id ipsum etiam ex Trident. *sess. 14. c. 5.* ubi expressè docet, præceptum hoc colligi ex Divina Sacramenti institutione, quam *cap. 1.* affirmaverat factam esse allegatis modò verbis ex *cap. 20. S. Joannis.* Vide *Dicast. D. 7. d. 1. n. 6.*

11. Obligat autem hoc præceptum non alios, nisi qui post vel intra Baptismum mortaliter peccarunt, *Dicast. d. 2. n. 8.* hi enim amittunt gratiam Divinam, non recuperandam, nisi per hoc Sacramentum : & idcirco etiam peccata mortalia, nunquam aliàs expiata, dicuntur materia necessaria Confessionis, cum peccata venialia econtra sufficiant quidem ad Confessionem, ad eam tamen necessariò non sint deferenda. Unde non est mirum, in vitis Apostolorum, Eremitarum, aut primorum Christianorum, qui tam sanctè & innocenter vixerunt, nihil vel pauca legi de Confessione. Mirum verò illud est, & extra omnem modum mirum, B. Albertum Magnum, egregium aliàs Beatissimæ Virginis præconem, eò usque progressum esse, ut dixerit, intemeratam illam, & ab omni cujuscunque, etiam levissimi, peccati labe immunem Virginem confessam esse, & quidem non alteri, quàm S. Joanni Evangelistæ.

12. Quilibet ergo peccati mortalis reus tenetur in articulo seu probabili periculo mortis, undecunque, etiam per sententiam judicis, imminenti confiteri ; quæ est communis & certissima omnium, ut apud *Dicast. d. 2. n. 20.* videre est, sententia : si enim tunc non obligat, quando obligabit ? Quòd si quis prævideat, secuturum tale periculum, neque tunc confitendi copiam fore, ut in longinqua & periculosa navigatione, in prælio &c. tenetur anticipare, ut rursus communiter docent Theologi. Si quis autem in periculo mortis non sit confessus, superato illo non tenetur supplere ; quia est obligatio alligata temporis periculo, ut

ut proinde eo elapso expiret etiam ipsa, more aliarum obligationum certo tempore affixarum. Qui verò eodem mortis periculo durante sæpius est relapsus in peccata mortalia, tenetur sæpius confiteri. Dicast. n. 21.

13. Dubitari autem hæc potest, an præceptum Divinum confitendi obliget non tantum in articulo mortis, sed etiam aliquando in vita juxta Ecclesiæ determinationem: cum enim alicui nec constet, imò nec constare possit, quodnam tempus Christus executioni hujus præcepti designaverit extra articulum mortis, idcirco unice ad Ecclesiæ determinationem recurrendum est, contra quam quidquid determinatur, potius ad divinationem spectat, quam ad solidam assertionem.

14. Quòd si tamen aliquis contendat, Divinum præceptum confitendi sæpius in vita obligare, etiam præcisâ Ecclesiæ determinatione, non est scrupulus fidelibus injiciendus, cum vix ullus sit, qui non saltem semel intra unius anni spatium confiteatur: id quod ad implementationem hujus præcepti abunde sufficere censendum est, præcipue cum non desint, qui putent, tunc contra illud confitendi præceptum peccati, cum tribus aut quatuor annis omittitur Confessio: quod equidem non faciunt, nisi qui vix nomen hominis Christiani sustinent.

15. Ceterum, quod supra n. 11. dixi, omnes peccati mortalis, in Baptismo & post illum commissi, reos hoc præcepto teneri, spectat ad omnes nemine excepto, etiam ad Papam, & impuberes cujuscunque ætatis, modò sint rationis & doli

capaces, quia præcepta Divina sunt universalialia, à quorum observatione nemo est excipiendus, nisi quem DEUS exemerit: sicut à præsentem neminem voluit exemptum. Et in hoc conveniunt omnes.

16. Unde graviter objurgandi sunt parentes, tutores, præceptores & similes, qui parentum vices in puerorum cura & educatione gerunt, & cum videant, ejusmodi pueros, septennium fortassis nondum egressos, jam tam audaculos esse, ut majora contra DEI præcepta audeant, eos tamen hoc præcepto teneri non arbitrantur, & idcirco nullam habent sollicitudinem, ut ejusmodi pueri sub articulum mortis per Pœnitentiæ Sacramentum cum DEO in gratiam, & rectum ad æternam beatitudinem tramitem redeant. Indigni sunt parentum nomine, qui curam suorum liberorum majorem non habent, & ut S. Paulus 1. *Timoth.* 5. loquitur, infidelibus deteriores. Scio esse, qui existiment, pueros ante duodecimum annum præcepto Confessionis non teneri: sed hi æquè non sunt audiendi, si de præcepto Divino loquantur, cum nullum talis exceptionis sit fundamentum.

De necessitate præcepti Ecclesiastici.

17. Præceptum Ecclesiæ de Confessione Sacramentali extare, tam certum est omnibus, ut nulli possit esse dubium. Habetur illud expressum in *Cap. Omnis utriusque. de pœnit. & remiss.* Desumptum id est ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *cap. 21.* & confirmatur à Trident. *sess. 14. can. 8.* Pro cujus declaratione & recta intelligentia tenenda sunt, quæ sequuntur.

18. I. Etiam hoc præceptum non obligat alios, nisi subditos Ecclesiæ, eoque peccato mortali obstrictos. Tamb. in *Meth. com. c. 4. §. 3. n. 19.* Bonac. *D. 5. q. 5. s. 2. p. 4. n. 8.* Fill. *tr. 7. c. 3. n. 66.* & alii: Prior pars patet: quia de iis, qui foris sunt, Ecclesia non iudicat, teste Apostolo. *1. Cor. 5.* Posterior verò probatur: quia peccata venialia non cadunt sub potestate & Jurisdictionem Ecclesiæ, ut eorum Confessionem imperare possit, Coninch. *D. 5. d. 5. n. 52.* & alii apud ipsum, nisi ex speciali ipsius delinquentis consensu, se tantopere Ecclesiasticæ potestati subjicientis, ut etiam peccata sua venialia intra ejus limites comprehendi velit. Obligat autem hoc præceptum non quoscunque subditos peccati mortalis teos, sed illos duntaxat, qui septennio sunt majores: nam Ecclesia ut pia mater eos, qui aetatem illam nondum sunt egressi, suis præceptis, ut in materia de legibus docent, non stringit, etsi quandoque tam præcocis sint ingenii, ut etiam septennio minores usu rationis polleant; Ecclesia enim ad tollendos scrupulos sequitur communem præsumptionem, juxta quam perfectus rationis usus non accidit, nisi septennio expleto, & idcirco etiam in his ad suarum legum observantiam ad minus hoc septennium requirit, Tamb. in *Meth. commun. c. 4. §. 3. n. 19.* Joan. Sancius in *select. D. 51. n. 31.* & alii. Licet quandoque contingat, ut aliqui ob ingenii tarditatem, undecunque tandem provenientes, etiam tardiùs incipiant lumine rationis illustrari. Dixi: ad minus: existimant enim aliqui, neminem legibus humanis ligari, nisi post expletos puber-

tatis annos, quod in masculis accidit decimo quarto aetatis anno, in femellis duodecimo expleto: sed hi utique nimis laxi sunt, nec audiendi. Itaque omnes, qui septennio majores sunt, legibus Ecclesiasticis jam tenentur, & in specie, illà, quæ est de facienda Confessione, si quidem illi peccati alicujus mortalis si bi sint conscii. An autem & quando pueri aliàs ad Confessionem sint admittendi, nihil est determinatum: id Confessorum præcipuè judicio relinquit Ecclesia. Istud autem hic obiter monuerim, videlicet pueros, qui Sacramentalis absolutionis capaces deprehenduntur, ab accessu ad Sacram Eucharistiam non esse facillè arcendos, cum ad illam percipiendam multò plus requiratur, quàm ad istam.

19. II. Obligat hoc præceptum, ad Confessionem quovis anno saltem semel faciendam: constat ex textu. Quà autem anni parte, non est, ut verba ipsa satis indicant, determinatum; sicut pro præcepto Communionis præfixum est tempus paschale. Sufficit tamen, ut, quis censeatur præcepto annuæ Confessionis satisfacere, si in paschate confiteatur. Ceterum in computando anno, intra cujus spatium Confessio est instituenta, DD. varii sunt. Alii computant à die, quo quis incidit in peccatum mortale, ita ut intra annum à tali die teneatur confiteri: alii ab initio Januarii usque ad finem Decembris: alii ab ultima Confessione: alii à paschate ad pascha: Laym. *n. 8.* & ita ferè obtinuit etiam consuetudo propter Communionem, cui Confessionem necessariò præmittere debet, qui peccato mortali est obstrictus:

obstrictus: si enim tunc alia non habet, nisi venialia, non tenebitur etiam tunc, si nullum inde sequatur scandalum, confiteri: tenebitur tamen quocunque alio tempore sequenti, postquam nimirum peccavit mortaliter; per Confessionem enim de solis peccatis venialibus non satisfecit præcepto Ecclesiæ, utpote quod fit de Confessione peccati mortalis.

20. III. Si quis prævideat, se toto reliquo anno non habiturum copiam Confessarii, v. g. propter longinquam navigationem, tenetur anticipare, sicut die festo prima Missa audienda est, si prævideatur, postea non fore copiam audiendi ullam aliam. Fill. n. 58. Laym. n. 9. *cum communi.*

21. IV. Quod si autem annua Confessio, quacunque ex causa, sive iustâ sive iniustâ, prætermissa est, sequenti anno debet suppleri, quamprimum commodè potest. Fill. n. 54. Laym. l. c. Suar. D. 36. s. 4. n. 2. Coninch. D. 5. d. 8. n. 63. *Et alii communiter.* Et ideo quoties quis occurrentem opportunitatem confitendi neglexerit, novo se peccato obstringet, ut de restitutione notat Bonac. D. 1. q. 6. p. un. n. 11. Ratio est: quia obligatio confitendi non sic anno est alligata, ut eo elapso finiatur (sicut accidit in jejuniis, festis, horis canonicis &c.) sed ne ulterius differatur: sicut debitum certo die solvendum non ideo remittitur, quod illo die non fuerit solutum. Quamquam Dian. p. 3. tr. 4. de Sacram. R. 130. & 135. putet, hoc onus ita temporis adstrictum esse, ut, qui in paschate non est confessus, non teneatur amplius eo anno confiteri: quod ego non

probo. Illud facilius concessero, una Confessione posse duobus annis satisfieri: nam si superiori anno neglexeris Confessionem, non teneris hoc anno bis confiteri, sed Confessio proxima, quam prima occasione secundo anno instituis, (ut sanè juxta modo dicta teneris,) satisfacit, si in ea referantur etiam peccata mortalia hoc primùm anno commissa, pro utroque anno; sicut unâ missâ duobus festis eodem die occurrentibus satisficit: alioqui si singulæ Confessiones pro singulis annis essent faciendæ, is, qui quatuor, viginti aut pluribus annis non est confessus, teneretur quater, vigesies aut sæpius confiteri: quod est contra praxin Ecclesiæ.

22. V. Per Confessionem voluntariè invalidam non satisficit præcepto Ecclesiæ: hæc enim præcipit Confessionem Sacramentalem veram, formatam absolutio-næ, ut reconciliatio cum DEO, quam intendit Ecclesia, obtineatur. Laym. n. 11. Suar. s. 7. n. 3. Coninch. D. 7. d. 9. *Et alii*, contra Dian. l. c. R. 120. *cum aliis* existimantem, Confessione voluntariè invalidâ nihilominus satisfieri præcepto, quod solum exigatactum externum. Sed hoc repugnat constitutioni Alexandrinæ: hujusmodi verò pœnitentibus, quibus ob indispositionem negata est absolutio, schedam Confessionis, quam petant, non esse negandam, ne violetur sigillum, & defectus confessionis prodatur, docent Coninch. D. 9. d. 1. n. 14. *Et alii* contra Bonac. D. 5. q. 6. s. 5. p. 4. n. 7. Etsi enim hac ratione multis fraudibus via possit aperiri, satius tamen est, illas permittere, quam violato sigillo

sigillo Confessionem omnibus odiosam reddere. Vide *infra lib. 2. n. 220. & n. 235.*

23. VI. Cùm constitutio illa Ecclesiastica, de qua *suprà n. 17.* dicit, proprio sacerdoti, vel alteri de ejus licentia confitendum esse, nomine *proprii sacerdotis* non tantùm intelligendus est parochus, ut quidam interpretantur; sed etiam quilibet alius, vi sui officii ordinariâ in talem pœnitentem potestate præditus, ut sunt Episcopi, & præ omnibus summus Pontifex omnium fidelium Ordinarius Pastor & Rector, ut bene explicant Laym. *c. 10. n. 11. & alii*: qui proinde hanc suam potestatem alteri delegare possunt, & quidem ita, ut in ejus delegatione neque Papa ab Episcopis, neque Episcopi à parochis dependeant, ut Laym. *ibidem* notat. Cùm ergo Religiosi Mendicantes vi suorum, seu Pontificiorum, seu Episcopaliū, privilegiorum Confessiones etiam parochiales audiunt, nihil agunt contra præsens Ecclesiæ præceptum, quia habent licentiam à proprio parochio, hoc est, summo Pontifice: & qui iis confitentur, satisfaciunt huic præcepto Ecclesiæ, nec tenentur amplius suis parochis confiteri, ut declaravit Joan. XXII. *Extrav. Vas electionis. de hereticis.* Leo X. in Concil. Lateran. *sess. 10.* & constat ex *Clement. Dudum. de sepult.* Unde patet, frustra quosdam argutulos nimis præfervidos, nec satis cautos & peritos suorum jurium parochialium propugnatores, litem hac de re movisse Religiosis, & noluisse, ut parochiani confiterentur Religiosis Mendicantibus: imò & si dicant, confessos Regularibus, alioqui in hoc privilegium à sede Apostolica habentibus.

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

teneri iterum sibi confiteri, suspectos esse de hæresi, ut videre est apud Dian. *4. p. 11. 8. R. 102.* Sed quid si parochi nolint, etiam in hoste, suis parochianis licentiam dare, alteri non privilegiato confitendi, possuntne illi nihilominus confiteri? Non possunt ob defectum Jurisdictionis. Laym. *c. 13. n. 3.* quanquam Dian. *3. p. 11. 4. R. 79.* cum aliis puter, id posse fieri, saltem si sine periculo salutis, famæ, vel simili non liceat proprio parochio confiteri. Vide *l. 2. inf. n. 54.*

QUÆSTIO II. De Modo Confessionis.

24. **N**on est hic sermo de Confessione Fidei, quæ fit coram tyranno: nec de Confessione Divinarum perfectionum ac beneficiorum DEI, quæ pleni sunt psalmi Davidici, sed de Confessione propriorum delictorum; non tamen omni, quia non de ea, quæ fit coram Judice in foro externo, nec de interiori, quæ fit soli DEO, qualis fuit Davidis, cum *Psal. 50.* dixit: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci; nec de externa illa, quæ fit in introitu Missæ, aut proxime ante sumptionem Eucharistiæ, per illam consuetam formam, *Confiteor DEO omnipotenti &c.* sed de ea, quæ fit coram legitimo sacerdote locum DEI tenente, accusando se de propriis peccatis ad veniam eorundem obtinendam: hæc enim sola est, & dicitur Sacramentalis. Hujus ergo recte instituendæ modum trademus: prius verò ejus naturam, necessitatem, & quæ sint ejus qualitates in genere referemus.

N AR-

ARTICULUS I.

Quid, an necessaria, & qualis generatim sit Confessio Sacramentalis.

25. Confessio hæc omnium commodissimè videtur in hunc fere modum definiri posse. *Est accusatio sui in foro conscientia de peccatis propriis, post vel intra baptismum commissis facta coram legitimo sacerdote, vel certè eo, qui bona fide putatur esse talis, ordinata ad veniam peccatorum virtute clavium obtinendam.* Dicitur I. *Accusatio*: quæ est genus hujus Sacramenti, & cum sit pars illius, debet esse signum sensibile, quod non est aliud, quàm id, per quod peccata manifestantur sacerdoti. Dicitur II. *Sui*: non alterius: non enim Confessio à me facta tendit ad alium, quàm me ipsum cum DEO reconciliandum: per quæ excluditur multorum error seu abusus, qui, ut proprium peccatum detegant, multa aliorum peccata narrant. Dicitur III. *In foro conscientia*: ad excludendas Confessiones, quæ fiunt in foro externo coram Judice, seu laico, seu Ecclesiastico. Dicitur IV. *De propriis peccatis*: indicatur materia remota Confessionis, quæ sunt peccata propria à me commissa, non aliena patrata ab altero. Hæc enim narratio nec mihi referenti, nec alteri, cujus sunt ea peccata, quidquam prodest: mihi eatenus & quidem graviter nocere potest, quatenus est detractoria, & sæpe graviter. Rejiciuntur hinc illi, qui, cum de peccatis se deberent accusare, multa in suam laudem & commendationem commemorant. Dicitur V. *intra vel post*

Baptismum commissis: quæ enim ante Baptismum patrata sunt, non per Pœnitentiæ, sed Baptismi Sacramentum sunt abolenda, cum ante Baptismum nemo jurisdictioni Ecclesiæ, etiam in spiritualibus & ad salutem animæ spectantibus, directè sit subjectus. Dicitur VI. *coram legitimo Sacerdote*: per ista hujus definitionis verba plures Confessiones è numero Sacramentalium Confessionum excluduntur. Et quidem 1. per vocem *coram*, ea, quæ fit absenti per internuntium vel literas: quæ est sententia communis & certa, stabilita per Decretum speciale Clementis VIII. oppositam damnantis ut errorem. 2. per vocem *Sacerdote*: ea, quæ fit laico, vel cuicumque alteri clerico non Sacerdoti. *Suar. D. 33. s. 2. n. 2. & alii.* 3. per vocem *Legitimo*: ea, quæ fit illi, qui nullam in pœnitentem habet jurisdictionem. *Suar. n. 4. & sumitur ex Trident. sess. 14. c. 7.* ubi decernitur, absolutionem, quæ datur à non habente jurisdictionem, esse nullius momenti. Hæc posteriora duo intelligenda sunt de eo, qui scienrer confitetur non sacerdoti, aut non habenti jurisdictionem: si enim bona fides intercedat, aliud est, ut jam dicitur. Dicitur VII. *vel coram eo, qui bona fide putatur*: etsi enim, qui verè Sacerdos non est, nec ullam in confitentem habet jurisdictionem, à peccatis nullatenus queat absolvere; nihilominus tamen, si pœnitens bona fide procedat, & existimet, eum, cui sua manifestat peccata, esse Sacerdotem, cum tamen sit laicus aut clericus inferior, vel etiam esse legitimum seu debita jurisdictione præditum, cum tamen non sit, adhuc Confessio est

est Sacramentalis, & parit obligationem sigilli. Coninch. D. 9. d. 1. n. 4. & 8. Suar. n. 3. Dicitur VI. l. ad veniam obtinendam: quæ verba indicant causam finalem, & effectum Pœnitentiæ. Et ideo Confessio, quæ fit sine animo accipiendæ absolutionis, sed solum animo, solatium, consilium aut auxilium perendi & accipiendi à Confessario, vel eundem Confessarium decipiendi, inducendi in societatem sceleris &c. non est Sacramentalis. Coninch. n. 7. & alij: sicut nec illa, in qua peccata merè historicè narrantur sine ullo animo absolutionem ab ipsis obtinendi. Neque etiam illa, quæ fit in introitu Missæ, aut ante Eucharistiæ sumptionem per illam consuetam formulam *Confiteor DEO Omnipotenti &c.* quamcunque aliàs hæc fiat coram proprio Sacerdote. Reginald. l. 6. c. 1. n. 7. Dicitur IX. *Virtute clavium*: id est, absolutionis: nisi enim hæc impertiat alicui, reliqua omnia sunt frustra. Vide *inf. l. 2. n. 185.*

26. Etsi contritio perfecta ejus sit efficaciam, sufficiat ad peccata quoad culpam etiam extra Sacramentum abolenda, non tamen tollit obligationem legitimo sacerdoti ea postea confitendi. Desumitur tum ex illo *Joan. 20.* quorum remiseritis peccata &c. & quorum retinueritis &c. retenta sunt, id est, non sunt remissa quoad obligationem ea sacerdoti manifestandi: tum ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 2.* ubi ait, lapsis (intellige, mortaliter) post Baptismum tam necessarium esse Sacramentum Pœnitentiæ, quam necessarius est ipse Baptismus ijs, qui nondum sunt baptizati: atqui Baptismus, quamcunque aliàs jam per perfe-

ctam contritionem obtenta sit remissio peccatorum adhuc re ipsa, est suscipiendus: ergo & Sacramentum Pœnitentiæ à lapsis post Baptismum, etsi perfectè contriti sint, re ipsa erit recipiendum; sive, quod idem est, peccata, etsi per contritionem deleta sunt, adhuc Sacramentum Pœnitentiæ sunt subjicienda. Navar. c. 1. n. 14. Bonac. D. 5. q. 5. p. 3. n. 3. & Suar. D. 17. s. 3. n. 7. & 10. Reginald. l. 28. c. 7. n. 42. & alij. Neque hinc sequitur, quòd contritio in nova lege sit deterioris conditionis, quam in veteri: etsi enim in hac veteri lege habuerit vim justificandi independentem à Sacramento Pœnitentiæ, quia in illa nullum erat; in nova verò non justificet, nisi dependenter & per ordinem ad Sacramentum, & consequenter cum obligatione confitendi; hoc tamen ex eo non provenit, quòd contritio in nova lege sit minoris efficaciam, quam fuerit in antiqua; sed potius ex privilegio novæ legis, in qua DEUS plura, faciliora & certiora media tribuit. Nam in veteri lege nullum medium præter contritionem erat, quòd ad peccata delenda sufficeret; in nova autem lege non solum contritio, sed etiam Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione sufficit, quòd est facilius & certius remedium, quam sit sola contritio.

27. Ceterùm qualitates seu conditiones, quæ ad Confessionem rectè instituendam pertinent, sedecim omnino numerantur, & sequentibus versiculis comprehenduntur.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
N 2. *Atque*

Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,

Integra, secreta & lacrimabilis, accelerata,

Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Non sunt autem omnes hæ conditiones ad Confessionem necessariae, ita ut ex cujuslibet defectu reddatur invalida; sed tantum aliqua, quæ reduci possunt ad tria capita, quorum I. est, ut Confessio sit integra. II. ut sit dolens seu lacrimabilis. III. ut sit vera, seu fidelis. Sed ut reliquæ conditiones non sint, ut dixi, omnes ad Confessionem necessariae, sunt tamen valde utiles, & multum conducunt ad plenioris penitentis instructionem, de Sacramentali Confessione rectè instituenda. Quocirca commodum & opportunum dixi, singulas breviter explicare.

ARTICULUS II.

Explicantur priores quinque conditiones Confessionis.

28. Ut Confessio bene & utiliter instituat, debet esse I. *simplex*, id est, talis, ut careat verbis superfluis, fucatis & obscuris, sed ut penitens utatur verbis brevibus, communibus, & apertis, prorsus eo modo, quo putet, peccata sua commodissime posse intelligi secundum suam speciem, imò & numerum. Unde non sufficit, peccata sua ita artificiosè narrare, ut à Confessario non ponderentur; vel ita generaliter & confusè, ut nequeat Confessarius percipere, sitne veniale vel mortale; de quo fit confessio: ut si quis generaliter dicat: *habui turpes*

cogitationes: aut sub disjunctione: sensum motum libidinis, vel cum consensu, vel sine consensu: talis enim facit Confessionem obscuram, cum intelligi non possit, sitne de veniali aut mortali, vel etiam de eo, quod per indeliberationem seu defectum omnimodæ advertentiæ, nullum penitus peccatum: de his enim omnibus potest illa Confessio accipi. Igitur omnis illis generalibus, involutis & obscuris verbis, quæ confessionem reddunt ambiguum, penitens utatur potius verbis claris, quibus suum peccatum simpliciter explicet: quod equidem fiet, si adhibeat nomen proprium ipsius peccati ac specificum, quod videlicet sufficiat ad intelligendam illius speciem. Sed illud quoque cogitandum est, ipsam veritatis lucem sæpè non parum obscurari nimia verborum multiplicatione, cum esse non possit, quin in tanta verborum profusione aliquid addatur vel detrahatur sermonis sinceritati. Ex quo proinde illud consequi necesse est, ut tum seipsum quis perturbet, & memoriæ suæ sit impedimento: tum verò iudicium Confessarii ejusmodi multiloquio circumducat, ut is, ubi cardo Confessionis vertitur, sæpè non possit attendere. Sed enim vero quoniam hæc sunt cum insigni jactura temporis, nec alibi usquam concedi debent, ne dum in Confessione: nam ipsa Confessio his nugis in immensum extenditur, & proximè securaturis (quibus fortassis ad multas horas integrum non sit ibi considerare) scandalum præbemus, vel impedimentum, vel etiam utrumque.

29. At sunt, qui dicant, mulieres præsertim, & qui his similes sunt ex viris, se non posse confiteri, nisi longam texant oratio.

orationem, & peccata sua historicè recitent, tanquam res sit magni momenti, quæ artem & orationem requirat exquisitam: sed profectò non ita habet. Ille solus hoc negotio rectè defungitur, qui verbis brevibus, sine præambulis, ambagibus, longis fabulis, & narratione historiarum sua detegit peccata; atque huc facit, ut unum idemque peccatum non sæpius repetamus, semper aliud adicientes, quod scrupulosi sit vel curiosi animi: hoc verò fit, si idem peccatum modò inter cogitationes, modò inter verba & opera, modò in Decalogo aut inter Præcepta Ecclesiæ, modò inter peccata capitalia recenscamus: quod quidem etsi privatim non malè fiat, in Confessione tamen nec laudari debet, nec tolerari: ex simplici enim peccati Confessione statim constat, cui virtuti, aut quibus præceptis adversetur. Huc quoque facit, si circumstantia transcendentales, & multò maximè impermanentes non omittantur, de quibus supra p. 1. n. 48. 78. & 79. Similiter contra simplicitatem peccat, qui in explicatione suorum peccatorum utitur verbis synonymis, seu multiplicat verba idem proferens significantia: ut, si dicat, in recitatione iuramentorum *non fuisse attentum, sed distractum*: priora enim illa abundant, cum certissimum sit, eum, qui distractè legit, non attendisse. Eiusmodi inutilis repetitionis reus est, qui longo ordine & serie peccata enumerat, quæ, quòd solo numero differant, sufficit, uno suæ speciei nomine exprimere, addito, si necesse sit, solo numero juxta dicta p. 1. an. 92. sic non rectè facit, qui dicit, quòd suum proximum appellavit *stultum, asinum, stuporem, cæcum,*

diabolum, furem, nequam, hæreticam &c. poterat uno verbo breviter dicere: *convitia in alterum jeci, &c.* quæcunque enim ea sunt, non differunt specie, & idcirco specialiter non sunt exprimenda; multo minùs si addas, quòd, qui ejusmodi convitijs affectus fuit, fuerit tuus contubernalis, socius aut condiscipulus; nam neque hæ circumstantiæ quidquam faciunt ad variandum morale iudicium. Non igitur diutius immorandum est in Confessione, quam par sit & necessarium, ut confessarius possit, pro ut ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur, judicare, fuerintne peccata mortalia, an venialia, de quibus sit Confessio: cetera omnia, ceu superflua, sunt amputanda. Nihilominus tamen, quod Bonac. D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. s. 2. Henriq. l. 5. c. 3. n. 2. bene notant, non redditur Confessio invalida, si nimis exacta, proluxa & superflua enarratione peccata explicentur (ut ferè solet ab idiotis & scrupulosis) si id non alia intentione fiat, quam ut peccata magis & melius declarentur.

30. *Conditio II. Humilis I.* quoad intellectum & affectum, recognoscendo propriam ad quidquam boni, nisi cum Divina gratia, operandum imbecillitatem; proclivitatem ad peccandum, & ob commissa peccata miserabilem statum & inde natam vilitatem, ut merito cum peccatore apud S. Lucam c. 18. cum omni subiectione ad Divinam Majestatem oculos attollere non audeamus; saltem humili voce clamemus, percutientes peccus nostrum, dicendo, *DEUS propitius esto mihi peccatori:* & cum filio prodigo apud eundem S. Lucam c. 15.

2702
Tribunal
Pœnitentiæ
F. III
314



Pater peccavi in cælum & coram te, & jam non sum dignus vocari filius tuus. II. Etiam exterius, tum quoad verba seu modos loquendi, ut scilicet non dicat sua peccata cum jactantia (hoc enim est novum & sacrilegum peccatum, si quidem mortale sit, de quo est ea stulta gloria) aut sermone juxta leges Rhetoricæ ornato & compto; hæc enim est inanitas sui ostentatio: tum quoad corporis compositionem, ut tanquam reus petat suorum peccatorum veniam flexis genibus & aperto capite, nisi aliud necessitas permittat aut exigat: hæc tamen nulla interveniente, si aliter fiat, non majus quam veniale peccatum committitur; nec Confessio redditur invalida, si cætera necessaria concurrant, præter istam corporis compositionem & orationis comptæ ac phaleratæ neglectum. Bonac. n. 2. Navar. in cap. Fratres. Dist. 5. de Pœnit. n. 11. Reginald. l. 6. n. 63. Hic cavenda est hypocrisis, ne scilicet uni confiteatur gravia peccata, alteri verò ad captandam apud ipsum & conciliandam innocentiam & sanctitatis famam tantum venialia & imperfectiones. Sed de hoc jam satis supra p. 1. n. 121. quibus hæc ex Henric. l. c. addendum est, secundum confessarium non debere revelare, se istius Confessionem audivisse, ne fortè alter malum suspicetur.

31. Conditio III. *Pura*: id est, non iuxta verbis impertinentibus: quod ad simplicitatem spectat. Navar. l. c. & cap. 2. n. 5. nec ex pravo aliquo fine, sed ut fiat sincero animo & intentione obtinendi veniam seu placandi DEUM. Si enim Confessio fiat ob malum aliquem, & mortaliter peccaminosum finem, red-

ditur invalida: si verò dirigatur in finem venialiter malum, v. g. ad vanam gloriam inde aucupandam, Confessio subsistit, & plus quàm venialiter non peccatur, nec impeditur fructus Sacramenti. Henric. n. 3. Bonac. n. 4. Reginald. l. 6. c. 5. n. 149. Navar. c. 21. n. 40. & cap. 23. n. 13. Sanch. l. 1. Mor. c. 3. n. 1. & alij. Quòd si autem pœnitens præter finem, quem principaliter intendit, nimirum reconciliationem cum DEO seu peccatorum remissionem, secundariò etiam aliquid aliud, dummodo non illicitum, intendat, v. g. evasionem alicujus infirmitatis aut infortunij, consecutionem alicujus boni, etiam temporalis, non vitiat Confessionem: hoc enim & in alijs bonis operibus fieri potest, nec finis secundariò excludit finem principale. Reginald. c. 3. n. 64. Henric. lit. G. & H.

32. Conditio IV. *Fidelis*: id est, digna, cui fides adhibeatur, seu, ut alij explicant, *verax*, sine fallacia, deceptione, & mendacio. Reginald. n. 66. Navar. ad cap. Fratres. Dist. 5. de Pœnit. n. 14. id verò fit, cum quis nihil omittit confiteri, quod commisit, neque quidquam confiteretur, quod non commisit, sed dicit certa pro certis, dubia pro dubijs. Videlicet audiuntur, qui dicant, se quovis momento, quovis ictu oculi in omnia præcepta Decalogi, Ecclesie &c. deliquisse, qui tamen, si in specie rogentur de peccatis, aut nihil respondent, aut nullius, vel saltem non omnium se reos esse, examinati contestantur. Porrò mentiti in Confessione circa materiam necessariam, peccatum est mortale. Bonac. n. 7. Coninch. D. 6. d. 3. n. 8. Suar. D. 22. f. 10. n. 10. & H. Reginald. n. 67. Navar.

Navar. c. 21. n. 37. & in allegato supra cap. Fratres. n. 26. & alii communiter. Veniale verò, si mendacium contingat in materia sufficienti quidem, sed non necessariâ, quale est omne peccatum veniale, imò etiam mortale, quod jam semel per veram & legitimam pœnitentiam est expiatum, vel cujus reticendi hîc & nunc iusta subest causa. Coninch. l. c. Navar. c. 21. n. 37. & 38. Reginald. n. 70. & alii. Denique mentiri intra Confessionem in materia ad eam profus non pertinente, qualis est, quæ nullam continet malitiæ rationem, peccatum grave est vel leve, prout grave vel leve esset, si extra Confessionem fieret. Coninch. n. 6. Suar. n. 3.

33. Hinc mortaliter peccat, I. Qui falsò affirmat, se admisisse peccatum mortale, quod tamen non admisit; vel falsò negat peccatum itidem mortale, quod admisit, neque unquam hactenus legitimè confessus est, neque iustam negandi causam habet. Coninch. Dicast. D. 8. d. 3. n. 40. ex communi omnium sententia. II. Qui majorem numerum peccatorum mortaliū exprimit, quàm revera commiserit. Bonac. n. 9. Possunt tamen hîc excusari simplices & rudes, qui malunt majorem, quàm verè sit, numerum suorum peccatorum exprimere, bona fide rati, consultius esse, se majori numero gravare, quàm exonerare. Bonac. l. c. Navar. in cit. cap. Fratres. n. 27. Sanch. l. 1. Moral. c. 10. n. 68. Reginald. n. 67. Suar. D. 22. f. 10. n. 11. & alii. III. Qui peccata mortalia certa exprimit pro dubiis, & dubia pro certis. Bonac. n. 10. Suar. f. 9. n. 2. Coninch. D. 7. d. 8. n. 66.

34. E contrario non peccat, nisi ve-

nialiter I. qui peccatum veniale falsò vel negat, vel affirmat, v. g. se leve damnum proximo intulisse, leviter alienæ famæ detraxisse &c. Bonac. n. 12. Reginald. n. 68. Navar. n. 22. & cap. 21. Man. n. 37. nisi fortassis hoc peccatum leve sit unica Confessionis materia: tunc enim talis peccat graviter, non quidem quia mentitur, sed quia gravem Sacramento injuriam infert, dum materiam ad ejus exercitium minimè sufficientem subjicit: neque enim peccatum falsum capax est absolutionis. Navar. dicto cap. 21. n. 37. & in cap. Fratres. n. 27. Coninch. D. 6. d. 3. n. 9. Reginald. n. 69. Bonac. l. c. & alii. II. qui negat, se commississe aliquod peccatum mortale, quod hîc & nunc non tenetur confiteri: vel quia jam semel illud est legitimè confessus, vel quia habet iustam & gravem causam illud hîc & nunc non confitendi. Navar. c. 21. n. 38. Coninch. n. 8. Suar. f. 10. n. 4. & alii communiter. Imò contingere potest, ut hîc omnino non peccet, si nimirum tunc utatur æquivocatione, ut eum posse uti tradit Dicast. D. 8. d. 3. n. 37. Cum enim, quantum est præcisè ex vi ipsius Confessionis, non habeat Confessarius jus interrogandi quidquam circa materiam Confessionis non necessariam, non tenetur pœnitens ad interrogata respondere; & ut mendacii reus non constituatur, poterit suam mentem ad certum, sibi quidem notum, qui tamen etiam ab altero facilè possit deprehendi, sensum restringere. III. Qui interrogatus à Confessario, quæ ejus sit patria, num ipsius pater aut avus gesserit tale officium &c. substituit veræ patriæ alium locum, ex quo non est oriundus, vel falsò negat se scire.

se scire, an pater suus aliquando gesserit talem magistratum, cum tamen sciat, aut omnino negat, eum gessisse, cum tamen gesserit: & ex eo id negat, quod videat, hæc & similia ad suorum peccatorum naturam explicandam nihil penitus pertinere. Reginald. n. 70. Navar. in Cap. Fratres. n. 25, & alii. Et ratio esse potest: si enim mentiri in Confessione circa venialia, quæ tamen possunt esse materia Confessionis, non est peccatum mortale; multò minùs erit circa alia, quæ ad priorum peccatorum Confessionem instituendam nihil attinent.

35. *Conditio V. Frequens*: quæ duobus modis intelligi potest: uno, ut quis sæpe confiteatur; & hoc est consilii. Bonac. n. 14. Navar. n. 28. extra mortis enim articulum non est, ut *suprà* n. 12. diximus, præceptum directè nos obligans ad frequentandam Confessionem: seclusâ ergo Ecclesiæ determinatione nemo, etsi peccato mortali obstrictus fuisset, obligatus fuisset extra dictum mortis articulum confiteri, modò credidisset se esse contritum. Indirectæ verò obligationes confitendi duæ sunt: prior est, cum quis suscepturus est Eucharistiam, & recordatur, peccati mortalis se reum esse: posterior est, si quis credat, se certam speciem peccati, in quod crebrò labitur, vitare non posse, nisi consilio & auxilio viri alicujus prudentis, quem tamen consulere vel non velit, vel non possit nisi intra Confessionis Sacramentum. Laym. l. 5. tr. 6. c. 5. n. 6.

36. Alter modus, quo hæc conditio intelligi potest, in hoc consistit, ut quis peccata, jam aliàs ad Confessionis Tri-

bunal allata, denuo confiteatur. Et hoc etiam consilii est, non præcepti: si quidem sermo sit de peccatis legitime expiatis; ad hæc enim clavibus rursus subiicienda nemo potest ulla humana auctoritate compelli, nisi ipsemet velit & consentiat, ut Navar. n. 30. & alii communiter docent. Aliud est de peccatis sacrilegè confessis; hæc enim utique rursus aperienda sunt in alia proxima Confessione, & quidem ex præcepto, cum nondum sint legitime expiata: de quo etiam nemo dubitat.

37. Jam verò frequentem instituere Confessionem de peccatis non tantum novis, sed etiam antiquis, hoc est, de iis, quæ jam semel fuerunt legitime & Sacramentaliter soluta, consilium est vel eo nomine perquam utile & salutare, quod Confessio Sacramentalis timorem DEI & odium peccati valde conservet, & pœnam temporalem, in quam mutata est æterna, minuat, tum propter verecundiam, quam pœnitens suffert; tum propter absolutionem Sacramentalem, per quam non solum augetur gratia, sed etiam pœna in purgatorio aliàs perferenda minuitur. Navar. n. 29. Laym. c. 3. n. 5. ubi etiam monet, decens esse, ut, qui antiqua peccata ad Confessionem adfert, moneat ea de te Confessarium, ut nimirum tam præsens pœnitentis status cognosci, quam consentanea pœnitentia injungi possit.

38. Illud tamen hoc loco bene notandum est, quæcumque sanctum sit & utile, peccatorum jam semel ritè Confessorum Confessionem sæpius iterare, sæpe tamen expedire, ut oblivioni tradantur,

dantur, præsertim quando per eam iterationem (ut scrupulosi contingit) inquietata redditur conscientia, & Confessarius molestia non mediocri afficitur, tempusque melioribus occupationibus alioquin impendendum perditur, aut quando sunt peccata carnalia, aut alia, quorum frequens memoria non raro inducit in periculum novi consensûs. Hoc ergo casu sæpe iterare antiquorum peccatorum Confessionem non est laudabile, sed vituperabile. Sed de generali Confessione plura dicendi commodior alibi locus erit.

ARTICULUS III.

Explicantur alie quatuor Conditiones Confessionis.

39. *Conditio VI. Nuda*: id est, clara & aperta, non palliata aut vestita coloribus, quibus peccata ita obscurantur, ut ex modo ea proponendi eorum nec speciem, nec gravitatem, nec turpitudinem Confessarius possit percipere; neque satis intelligere, quid ab ipso pœnitente dicatur. Qua in re non minus peccatur, quàm si peccatum omnino taceatur, mutilam scilicet Confessionem faciendo; tam nihil interest, an quis taceat interrogatus, vel verbis tam obscuris suum involvat responsum, ut incertum dimittat interrogantem. Navar. n. 52. Reginald. l. 6. c. 3. n. 72. Unde sicut invalidam facit Confessionem, qui tacet; quod necessarîo dicendum erat; ita etiam is, qui ita obscure & rectè loquitur, à Confessario vel omnino non intelligatur, vel certè aliter, quàm ipse pœnitens novit: ut cum novit certò,

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

peccatum à se commissum esse; Confessarius verò intelligit cum dubio. Hinc etiam non sufficit dicere peccata in generali, nisi in articulo mortis, quando aliter fieri non potest.

40. Neque isto melior aut apertior est ille alius confitendi modus hypotheticus, cum vel pœnitens se sub conditione accusat in hunc ferè modum: si consensu turpi cogitationi, me accuso: si detraxi graviter; si preces meas voluntariè distractus persolvi &c. vel si præeunte & interrogante confessario: si turpiloquio delectatus es; si osculatus es puellam &c. nonne petis à DEO veniam? responder: Ita Domine. Talis enim Confessio non est accusatio sui de propriis peccatis, neque manifestatio alicujus absolutæ detestationis illorum, per quam sufficienter & clarè constare possit, adesse materiam absolutionis, ne eam temere impendendo Sacrilegium committatur.

41. *Conditio VII. Discreta*: id est, prudens; qualis erit I. si pœnitens caveat, ne quemquam in Confessione dedecore afficiat vel infamiâ: & ideo aliena crimina, quæ ad propriorum explicationem non faciunt, non deteget. Est enim magnus non paucorum abusus, quidum confitentur, non tam sua, quàm aliorum peccata, enucleatè quidem, sed planè impertinenter enarrant, ut viri uxorum, uxores virorum, servi dominorum, alii aliorum. Et hi utique à Confessario graviter monendi sunt, ut ab hujusmodi alienorum peccatorum manifestatione abstineant, tum ut ne & ipsi detractionis peccatum committant, & ubi peccatorum omnium remissio ac venia quaerenda erat & invenienda, in gra-

Q

vera

vem DEI offensam incurrant: num etiam ut ne Confessarius ipse dum ejusmodi detractorias narratiunculas, cum possit, non impedit, detractio alienæ consentiat, & illius apud DEUM reus constituatur. Reginald. l. 6. n. 3. § 65.

42. Sed enim jam quid de persona, peccati complice seu sociâ, sentiendum est? poteritne saltem ista, si proprii peccati species aliter, ut oportet, explicari non possit, in Confessione nominari? Et habet hæc dubitatio potissimam difficultatem in peccatis carnalibus, quæ ex personæ, cum qua committuntur, conditione specialem malitiam contrahere judicantur, ut fornicatio cum sacerdote, moniali, consanguineo &c. De his ergo quæritur, an ad tegendum ejusmodi peccatum vel saltem ejus circumstantiam, satis sit confiteri per modum simplicis fornicationis, ne aliâs persona illa, cum qua peccatum est, apud Confessarium, cui nota est, infametur: an verò neglectâ istius infamiæ specifica talis peccati malitia sit integrè exprimenda, dicendo, v. g. peccavi cum matre, cum sorore, cum moniali, cum religioso &c. Equidem si persistamus in sententia Dianæ & aliorum, de qua suprâ p. 1. n. 50. § n. 51. nempe omnia castitatis vota & omnes consanguinitatis gradus esse ejusdem rationis moralis, adeoque nullam inferre specificam peccati distinctionem, nulla erit necessitas aperiendi personam peccati sociam, v. g. an peccârit cum matre, sorore, consobrina, cum sacerdote seculari vel religioso professo, aut seculari celibe, sed satis erit dicere: *commisi incestum; peccavi cum persona voto castitatis obstrictâ &c.* cujusmodi personæ

cum variâ esse queant, Confessarius determinatè scire non poterit, cum qua sit peccatum, & sic nulla infamatur.

43. Quod si autem aliquis omnino velit sententiam oppositam tenere, ex votorum & graduum consanguinitatis aut affinitatis varietate etiam peccati speciem variari, atque adeo necessariò exprimendam esse eam graduum aut votorum diversitatem; quid tum? poteritne ea circumstantia manifestari? an verò supprimenda erit? Et supprimendam esse docent graves auctores, donec Confessarius, qui in notitiam alterius personæ non sit perventurus, habeatur. Fundamentum præcipuum & gravissimum defertur ex generali prudentiæ regula à Theologis approbata, nimirum quòd in concursu duorum præceptorum, quæ simul servari nequeunt, semper præferendum sit id, quod est majus: in præsentia autem casu concurrunt duo præcepta, unum de proximo non infamando; alterum de Confessione non mutilandâ: quorum prius naturale est, & tum ad Justitiam, tum ad Charitatem spectat, quæ inter virtutes supremum dignitatis gradum obtinet: posterius verò ad virtutem Religionis, cujus obligationem minorem esse, communiter tenent Theologi; & consequenter neglectâ Confessionis integritate proximi famæ consulendum est.

44. Ceterum si pœnitens hanc proximi infamationem faciliè sine ullo incommodo vitare possit, confitendo alteri, cui complex persona omnino sit ignota, ad talem Confessorem ipsi accedendum esse, rectè docent Laym. l. 5. rr. 6. c. 10. n. 12. Suar. D. 43. s. 2. n. 13. Navar. c. 7. n. 5. Henriq. l. 5. c. 9. n. 6. § alii

communiter. Quodsi verò Confessarius, qui nullam complicitatis notitiam habeat, ad manus non sit, nec haberi possit; interim neque aliud ipsi complici damnus eveniat, quam quòd ejus fama apud Confessarium solum lædatur, posthabendum id est majori bono servanda, quæ ad Confessionem requiritur, integritatis, & spiritualis auxilii à Confessario accipiendi. Henric. n. 4. Laym. l. c. Tann. T. 4. D. 6. q. 7. dub. 4. n. 83. Coninch. D. 7. d. 9. n. 89. Suar. D. 34. f. 2. n. 7. & plurimi alij post S. Thom. in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. *quæstionc.* 5. cui libet enim fas est jure suo uti, quod supposita Sacramenti institutione cuilibet competere videtur, idque ex tacita quadam conventionem inter ipsos inita, ut hoc ipso, quòd reciproca ad peccandum opera utantur, sibi etiam reciprocam dent licentiam nominandi, si species peccati nequeat coram legitimo conscientie Judice aliter explicari. Et ideo complex hoc quale quale sua fama dispendium sibi imputare debet, nec ægrè ferre, præsertim cum revelatio criminis tam secreta apud unicum Confessarium ætissimum Confessionis sigillo obstrictum non censeatur magna infamia.

45. Nec fundamentum oppositæ sententiæ est adeo solidum, ut non facile subruì possit: nam præceptum de non infamando proximo tam rigidum non est, nec tanti momenti, ut Sacramentum hoc sit minori cum reverentia tractandum, & in sua adeo puritate & integritate minus conservandum, quam unius complicitatis fama, quæ si quidem lædatur, non tamen læditur graviter, nec nisi materialiter: imò juxta paulò antè dicta om-

nino non læditur, ob mutuam illam juris, quòd quisque ad suam famam habet, confessionem. Et hinc negandum est, duo ista præcepta concurrere, unum consulendi propriæ conscientie, eamque omnino exonerandi; alterum tuendi famam proximi: posterius enim pro præsentis casu omnino non datur.

46. Porro hætenus dicta intelligenda sunt, cum peccata propria non possunt integrè exponi, nisi nominata persona complice: si enim sine tali complicitatis notitia plenè queant intelligi, utique Confessarius, si advertat pœnitentem paratum esse ad nominandum complicem, debet illum ab hoc prohibere, nisi fortè manifestatio ista fiat & faciat ad corrigendum ipsum complicem. Sed ejusmodi directius fieret ab alio, quam ab ipso Confessario, & melius extra, quam intra Confessionem. Et ex his etiam obiter

47. Patet, Confessarios meritò reprehendendos esse, qui ut in complicitatis notitiam, cum necessarium non est, veniant, multa de complice interrogant: quòd dum agunt, magna & temeraria curiositatis reos se constituunt, & præterea alienæ & quidem gravi detractioni cooperantur: nec minus ferendi sunt illi, qui feminis suos maritos accusantibus aures & fidem facile præbent. Hæc de complice satis: nunc ad alia. Itaque

48. Confessio *discreta* seu *prudens* erit II. si sit brevis. Brevis autem juxta dicta erit, si omisâ historicâ totius facti narratione id solummodo dicat, quòd peccati speciem continet, & simul omnia, quæ ejusdem sunt speciei, in unum colligat, eorumque numerum observet: hoc enim factò multa brevissimè confitebitur

rebitur peccata, & singula suo ordine proloquetur, additis numeris & circumstantiis necessarijs: v.g. potuit quis centum perjuria uno verbo fateri dicendo: *centies pejeravi*. Is ergo, qui dixerit, *semel pejeravi sic, & sic, & iterum sic pejeravi vicijs, & taliter tricies &c.* imprudentiæ notam non evaserit: non enim per plura fieri debent, quæ possunt fieri per pauciora. *L. Dominus testamento. ff. de condiçt. indebiti. Navar. cit. cap. Fratres, n. 53.* Ad brevitatem quoque spectat, ad Confessionem nihil referre, quod peccatum non sit: multi enim, dum de suis delictis accusare se deberent, longa sermone & proluxa oratione, quæ bene egerant, pertexunt, non absimiles Pharisæo illi *Luc. 18.* dicunt enim: singulis diebus audiui Sacrum, recitavi rosarium, jejunavi diligenter, cum erat jejunandum, largas feci elemosynas, injurias patienter tuli, læsi neminem, & similia alia. Alii verò sunt, qui de vanissimis & turpissimis cogitationibus, quibus per sæpe infestantur (sed sine consensu, cum magna sua molestia, & consequenter sine peccato) se accusant, & dum hoc faciunt, semetipsos non raro excruciant, vexant & inquietant: & fortassis etiam Confessario, certè circumstantibus, dum impediuntur, non leve adducunt tædium. Has ergo tentationes (nisi fortè consilii causâ) non confiteantur; secus, si quis voluntariè immoratus sit, vel delectatus; & multò magis si ad ulteriora sit progressus, desiderando etiam eorum, quæ malè cogitavit, executionem.

49. III. Eadem Confessionis discretio etiam ad verba se porrigit: ut nimirum peccata, præsertim impudica & car-

nalia contra sextum præceptum, cautè, honesta phrasi & verbis, quantum fieri potest, pudicis ac modestis proferantur. Ubi descendendum non est ad singula, neque minutatim omnia referenda, quomodo & qua ratione peccatum commissum sit; sæpe enim hæc nimis exacta singulorum enarratio plenissima est periculi. Sufficit igitur, ut cum alijs notat Navar. *l. c.* præter ipsas peccatorum species explicare circumstantias necessarias, ita ut non sit necesse exponere alios actus, qui tanquam media & complementa ad ipsa peccata solent adhiberi, ut sunt tactus & oscula respectu copulæ. Sufficit ergo explicare copulam omisissis osculis & tactibus, qui copulam vel præcesserunt, vel subsequuti sunt, modò non intercesserit moralis interruptio. *Henriq. l. 5. c. 3. n. 5. Bonac. D. 5. q. 5. p. 2. §. 2. n. 17.*

50. IV. Denique ad eandem discretionis conditionem spectat Confessarii pii, prudentis & docti electio, de qua supra *p. 1. n. 116.* quibus hîc solum istud addendum, *in Cap. Qui vult confiteri. Dist. 6. de pœnit.* præscribi quidem, ut quis meliori, quantum potest, sacerdoti confiteatur; id tamen, ut Navar. hîc advertit, solius consilii esse, non præcepti, si enim ex obligatione optimum deberemus eligere Confessorem, nunquam quieti ac tuti in conscientia possemus esse, quia semper melior & melior inveniri poterit: imò sæpe dum meliorem investigaremus, eum, quem ceterum minus idoneum rejiceremus, gravi afficeremus injuria: sufficit ergo eligere illum, quem bona fide credas, omnibus, quæ ad munus Confessarii rectè obeundum requiruntur, instructum esse.

51. Con-

51. *Conditio VIII. Libens* : id est, ut Confessio fiat sponte & voluntariè, quod potest dupliciter intelligi. I. ut adsit voluntas seu intentio saltem implicita confitendi seu recipiendi Sacramentum, quo modo intellecta conditio spectat ad valorem Sacramenti; cum, quæ est communis & certa Theologorum sententia, nullum Sacramentum queat ab adultis validè recipi; qui non habuerint intentionem illud recipiendi. II. ut Confessio fiat sponte, voluntariè, & sine omni metu, non quidem illo, qui ad dolorem, qui Attritio vocatur, sufficiat; sed illo, qui si non esset, neque Confessio institueretur. Et conditio hæc ita intellecta est consilii: nec metus iste viciat Confessionem, cum hæc isto etiam stante possit nihilominus instaurari animo, se cum DEO reconciliandi, & veniam ab eo impetrandi, quod est principale istius Sacramenti motivum; metus verò secundarium tantum & impulsivum. Et ejusmodi metu laborant, qui timent, ne, si non confiteantur, incurrant aliquam infamiam, notam, aut pœnam apud præceptores suos, præfectum suum, præsidem sodalitatis, parentes, dominos, aut etiam suos commilitones, contubernales &c. ad hæc ergo mala devitanda sæpe quis accedit ad Confessionem, certò non accessurus, si nihil tale timendum foret. Nihilominus tamen rectè monet Laym. l. 5. tr. 6. c. 4. n. 11. eos, qui hoc timore acti & impulsivi ad Confessionem faciendam permoventur, in periculo esse, ne invalidè confiteantur vel ex defectu doloris requisiti, vel propositi se emendandi, aut omnia confitendi; sæpe enim tales contenti sunt, si in speciem, seu, ut

dici solet, pro forma faciant id, quod ab ipsis exigitur: & ideo non sunt solliciti de excitando dolore. Sæpe etiam proponunt non explicare omnia, quæ licet Confessarius prudens tandem de corde extrahat, ipsi tamen non sunt immunes à sacrilegio, de quo se tenentur accusare cum debito dolore: alioqui sunt incapaces absolutionis & gratiæ Sacramentalis recipiendæ, Henriq. l. 5. c. 3. n. 6. In simili periculo versantur etiam illi, qui non nisi importunis precibus, exhortationibus &c. inviti ad Confessionem trahuntur, Henriq. *ibid.* Sed neque illi extra periculum invalidæ Confessionis sunt, qui nihil sponte dicunt, sed omnia Confessario ipsi per longas interrogationes emulgenda relinquunt, dicentes, se nunquam Confessos esse, aut confiteri non posse, nisi interrogatos & examinatos. Hi utique errant, & satis produnt, quàm malè dispositi ad sacrum Confessionis Tribunal accedant. Excusari tamen hæc possunt rudes & idiotæ; modò parati sint ad interrogata sincerè respondere, & quæ ipsi possunt, explicare. Vide dicta supra p. 1. n. 19.

52. *Conditio IX. Verecunda*: id est, ut pœnitens erubescat, tum intus apud semetipsum de turpitudine & fæditate propriæ animæ propter peccata; tum foris apud Confessarium de opprobrio, seu quòd defectuosus à Confessario habeatur, Navar. n. 59. Reginald. l. 6. c. 3. n. 75. Nihilominus tamen magnopere cavendum est, ne verecundia hæc eò usque procedat, ut pœnitentem posthabito omni DEI timore & amore inducat ad tacenda nonnulla ex ijs, quæ, cum ab ipso perpetrata sunt, sunt necessaria

Confessionis materia ; hæc enim verecundia perniciosa esset pœnitenti , sicut est laboranti ex occulto quodam morbo , quem quia ob verecundiam pudet medico detegere , periculo vitæ proximus est. Reginald. n. 67.

53. Hac occasione monendi sunt Confessarij , ne suos pœnitentes terreat verbis duris & asperis , ne illos à frequentando Confessionis Sacramento retrahant ; sed potius illos verbis lenibus , & suavibus alliciant ad explicanda , quibus eorum anima sauciata est , peccatorum vulnera , reprehensione usque ad finem Confessionis dilatâ , prout ratio & prudentia dictaverit. Bonac. n. 19. Henric. l. c. sed & hac eadem occasione duo alia obiter sunt suggerenda : Unum Confessarijs , ut personarum , præsertim feminarum , quarum Confessiones audite solent , nimiam familiaritatem devitent : confitentibus verò , ut non eligant Confessarios familiares (familiaritas enim facile eò inducit , ut vel nos ipsi periculum adeamus , vel pœnitentes non satis sincerè confiteantur) multò minus illos , qui pari nobiscum scelere contaminati sunt , aut socij ejusdem delicti. Reginald. l. c.

ARTICULUS IV.

De integritate Confessionis.

54. Hæc est X. Confessionis conditio , ut sit *integra*. Est autem integritas , quæ huc facit , duplex , una materialis , formalis altera. Illa est , cùm pœnitens omnia peccata mortalia , nondum legitime expiata , quoquo modo tamen commissa , tam quoad numerum , quàm quoad

speciem , tam interna , quàm externa , nullo penitus relicto , Confessario exponit. Ita verò est , cùm pœnitens confitetur omnia , quæ hîc & nunc tenetur confiteri ; esto , omittat aliqua ex justa aliqua causa , de qua postea . Ceterùm formalistaltem integritas ad validitatem Confessionis tam necessaria est , ut ea deficiente Confessio quoque sit nulla , de quo nemo unquam dubitavit. Fill. fr. 7. c. 5. n. 136. Quin & materialis est necessaria , si quidem procurari & obtineri possit : si enim causæ justæ suppetant , quæ suadeant non omnia , etiam , quæ cognoscuntur , mortalia peccata exponenda esse , possunt omitti. Sed de utraque integritate nonnihil seorsim dicamus.

De materiali Confessionis integritate.

55. Hæc ut servetur , in particulari explicanda sunt omnia omnino peccata. Et I. quidem mortalia , de quibus certò constat , commissa ea esse , nec unquam hætenus clavibus subjecta . Hæc est indubitata sententia , desumpta ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. & suprâ p. 1. n. 77. & p. 2. n. 44. breviter à nobis exposita. II. Quin & omnes circumstantiæ , quæ specificam secum trahunt malitiam , specialiter sunt exponendæ juxta dicta cit. n. 77. Circumstantiæ , quæ malitiam actûs intra eandem speciem solum aggravant , omitti possunt sine piaculo , juxta dicta p. 1. n. 86. & multò magis eæ , quæ impertinentes dicuntur & generales , aut venialiter tantùm augment , vel minuant , prout cit p. 1. n. 78. & seqq. diximus. III. De peccatis dubijs specialis est difficultas , quam inferius

inferius p. 5. à n. 154. explicabimus: & hæc ut ita fiant, iudicii natura expostulat. Non enim iudex rectè judicabit, nec congruam pœnitentiam imponet, nisi in specie cognoscat, quid criminis reus commiserit, homicidium, an adulterium, aut simplicem fornicationem. Ceterùm duo sunt modi, quibus species peccatorum declarari possunt: unus, cum species peccati signatè exprimitur, dicendo: *simoniam, fornicationem. &c. commisi*: alter est, cum ipsa peccati species non exprimitur quidem, ipsum tamen factum, ejusque objectum ita describitur, ut peritus Confessarius speciem peccati facillè queat deprehendere, ut, si dicas, te pro beneficio Ecclesiastico impetrando pecuniam dedisse; Confessarius intelliget, commissam à te simoniam esse. Prior modus clarior est & expeditior, magnòque labore sublevat Confessarium in discernenda peccatorum gravitate; sed doctis tantùm convenit, qui species peccatorum dignoscunt; posterior tamen sufficit & vulgò utripatur.

IV. Peccata verò venialia, & mortalia jam semel legitimè expiata, laudabile consilium est, & perquam salutare, ut illa de novo, ista verò iteratò ad Confessionem deferantur; sed posteriora peccata frequenter in memoriam revocare, & Confessario in sacro tribunali exponere, non semper est suadendum, ut diximus *suprà* n. 8. & dicemus *infra* suo loco, nec semper laudabile. Quoniam autem modo confessi quidem, sed non soluta legitimè, sunt expedienda, suo loco dicetur.

De formali Confessionis integritate.

56. Præceptum de materiali Confessionis integritate non est tam rigidum, ut in omni casu occurrente obliget: est enim affirmativum, & hoc ipso more similitium præceptorum non semper ligat, sed possunt varii casus occurrere, in quibus cesset ejus obligatio, ita ut peccata mortalia vel omnia vel saltem aliqua possint innoxie omitti. Et I. quidem casus est, quem moribundi offerunt. Itaque si quis in mortis articulo constitutus nullam prorsus peccati speciem exprimere potest, satis est, quocunque signo in genere peccata confiteri: v. g. si quis repente apoplexiâ tactus, aut lethaliter vulneratus, usu rationis & sermonis privetur, tamen petierit Confessarium, vel aliqua pœnitentis animi signa dederit, vel coram ipso Confessario, vel coram aliis, qui postea id Confessario referant, v. g. genuitum, tunc sionem pectoris, pium Crucifixi aspectum vel amplexum, absolvi potest ac debet, quia tali signo saltem in genere se peccatorem ostendit, a deo que generaliter confitetur: quod in tali casu sufficit, cum aliter non possit, & suave Christi jugum ad impossibile non obliget juxta Canones antiquos, *Cap. 7. 8. & 10. causâ 26. q. 7. & Cap. 75. Dist. 4. de consecrat.* quod desumptum est ex Concilio Arausicano & Carthaginensi III. & IV. Quin & Rituale Romanum à Paulo V. editum idem habet, cum sic loquitur: Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela eum deficiat, nunibus & signis conetur, quoad fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque in genere

genere vel in specie cognitis, vel etiam, si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est: quibus verbis etiam practicus modus agendi cum aegrotis monstratur.

57. 1. Scilicet, si tempus & valetudo patitur, integra & specialis Confessio saltem per interrogaciones est exculpanda. 2. Si id fieri nequeat, saltem aliquod peccatum speciale nutu vel alio signo exprimat. 3. Si nec istud possit, saltem generale quoddam signum doloris petatur, v. g. gemitus, tussio pectoris, oculorum aut manuum in cælum elevatio, aspectus Crucifixi &c. si dubium sit, an ejusmodi signa ex vi morbi, vel ex dolore peccatorum proveniant, absolutio non nisi conditionatè impertienda erit, ne Sacramentum periculo sacrilegii temerè exponatur: si verò signa certa sint, non est opus addere conditionem, ut bene notat Vasq. q. 91. a. 2. d. 1. n. 39. Suar. D. 23. s. 1. n. 4. contra quosdam scrupulosos, qui tunc non est morale periculum sacrilegè irritandi Sacramenti. 4. Si nec prædicta fieri valeant, à præsentibus quaerendum, an non priùs aliquod signum dederit doloris, vel Confessarium petierit: qui, si asserant, absolvendus est: quia eorum testimonium erit quasi Confessio per interpretem. Fill. tr. 7. c. 5. n. 121. Bonac. D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. §. 4. diff. 4. n. 10. & alii communiter. 5. Si nullus præsentium id testari queat, sufficiet is, qui vocavit sacerdotem & testatur ipsi est, ægrum doloris indicia dedisse &c. etsi testis iste postea non sit præsens, quando sacerdos invisit moribundum. Fill. n. 123. & cap. 1. n. 18. Tamb. l. 2. c. 10. §. 1. n. 13. & alii, quidquid Diana 3. p. tr. 3.

R. 7. Bonac. l. c. & alii scrupalizent, rati, non posse morientem absolvi per testimonium absentis, idque propter decretum Clementis VIII. qui vetuit, doceri aut practitari eam sententiam, quæ docet, licitum esse absenti sacerdoti per litteras, vel per internuntium Sacramentaliter confiteri, & ab eo absente absolutionem obtinere: quæ verba videntur utrumque membrum, nempe licitum esse absenti confiteri, & licitum esse, absentem absolvi, damnare. Sed quidquid sit, an sani possint per litteras aut nuntium confiteri, modò cum absolvendi sunt, præsens sit sacerdos, & præsentibus impertiatur absolutionem, de moribundis benigniùs sentire licet per ipsum Clementem VIII. cum, ut Bellarminus, Archiepiscopus Armacanus, & alii magni viri partim apud Præpositum q. 4. n. 84. partim apud Coninch. D. 7. d. 10. n. 105. testati sunt, vivæ vocis oraculo declarârunt, suam mentem non fuisse eum casum extremæ necessitatis suo Decreto comprehendere. In articulo ergo mortis valet absentis Confessio, modò præsens absolvatur: quia particula *Te*, quæ in forma absolutionis continetur, denotat præsentiam ipsius absolvendi: vide plura *infra* lib. 2. à n. 95. Advertendum tamen hic est obiter, moribundum sic absolutum, si postea ad se redeat, possitque speciatim confiteri, debere, quæ priùs omiſsa sunt, supplere, & integrè confiteri, Tamb. l. 2. c. 10. §. 1. n. 3. Laym. l. 5. tr. 6. c. 8. n. 9. & alii apud ipsum. Sed enim jam pro articulo mortis alius occurrit casus haud paulò levior, & est

58. II. Quid, si quis in hominem jam moriturum incidat, qui nullum profus

sus signum doloris dedit, nec scitur de-
 disse, poteritne talis nihilominus absol-
 vi? Si in rigore Theologico stemus, non
 poterit, quia tunc nulla adest materia
 proxima Sacramenti, nempe Confessio
 poenitentis exterior & sensibilis, ne ge-
 neraliter quidem & confuse; quæ est
 una ex partibus essentialibus Sacramenti
 Poenitentia. Constat autem, nullum Sa-
 cramentum sine suis partibus posse dari:
 sicut nec quodcumque aliud totum, si
 vel una duntaxat illius pars desit. Verum
 ne miseri hi & in extremis constituti suo
 comperenti destituerentur auxilio, plures
 quam octodecim Auctores, partim ex no-
 stra Societate, partim extranei, rigorem
 illum non parùm mitigarunt, & docue-
 runt, ejusmodi moribundis posse bene-
 ficium Sacramentalis absolutionis imper-
 titi. Quorum præcipuum fundamentum
 est, quod piè & benignè de Christi bo-
 nitate præsumendum sit, noluisse illum,
 ut ab eo absolutionis beneficio repellan-
 tur, de quibus præsumi possit, eos hic
 & nunc ita constitutos esse, ut non sint
 indigni. Quid si ergo, ut revera potest,
 contingat, ut talis moribundus ad Sa-
 cramentum hoc verè sit dispositus; &
 revera, quod etiam evenire potest, det,
 vel saltem conetur dare signa suæ dispo-
 sitionis, quæ tamen à sacerdote, unde
 unde tandem, non agnoscantur esse certò
 talia, eritne idcirco talis deferendus? mi-
 nimè sanè. Sed ut irreverentiæ & sacrile-
 gii periculum, quod Auctores contrarii
 unice timent, evitetur, absolvatur talis
 sub conditione: *si capax es*: sic enim
 cessat dictum periculum, & moribun-
 dus ipse, si conditio verè existat, absol-
 vitur. Hanc sententiam probabilem re-
 R. P. Steoz Trib. Poenit.

putat Lezzana, T. 3. q. 99. regular. V. Con-
 fessio. n. 11. in eamque valde propendet
 auctor Manualis Pastorum, qui dicitur
 esse noster P. Carolus Mussart. p. 2. n.
 27. Eidemque favet Joannes Sancius,
 qui in selectis D. 44. n. 35. §. *advertendum*,
 ait, inter duas sententias, quarum una
 Sacramento, altera suscipienti favet, am-
 plectendam esse illam, quæ est in favo-
 rem animæ; qualis est sententia modò
 posita, quam idcirco multis prosequitur
 P. Ludovicus Schildere, in suo, quem de
 Conscientia scripsit, libro: vide plures
 apud Dian, p. 9. tr. 6. Res. 20. & infra
 lib. 2. n. 97.

59. Quoniam ergo juxta modò dicta
 potest sacerdos moribundo, de quo est
 sermo, beneficium Sacramentalis abso-
 lutionis impendere, id ipsum etiam de-
 bebent. Lugo D. 17. l. 1. n. 20. Suar. D. 23.
 s. 1. n. 15. Coninch. D. 7. d. 10. n. 106.
 Fill. tr. 7. c. 5. n. 123. Valq. T. 4. in 3. p.
 q. 91. a. 2. dub. 1. n. 38. & alii, quos re-
 fert & prolequitur Diana 3. p. tr. 3. R. 9.
 id enim charitas, quam proximo debe-
 mus, suadet, imò & imperat, ut eidem
 in extrema spiritali necessitate constitu-
 to, auxilium, quo modo possumus, fe-
 ramus. Unde etiam si Medicus corpo-
 ris non habeat ullum amplius certum me-
 dium, quo extremè ægotanti medeatur,
 non tantùm potest, sed etiam tenetur
 medium dubium adhibere; modò de eo
 constet, aut probabile sit, ægro potiùs
 profuturum quàm nociturum, ut habet
 Valent. T. 3. D. 3. q. 10. p. 2. *non longè
 a fine*. §. *Non improbo*, id ipsum etiam
 poterit medicus, cui animarum cura &
 salus quoquo modo incumbit. Atque
 hoc adeo verum est, ut locum habeat
 P. etiam

etiam in illis, qui contrariam sententiam tenent; quia cum prædictam sententiam propter suam, quam saltem ab insigni auctoritate habet, probabilitatem, possint in praxi tutò sequi, idque sit saluti moribundi valde expediens, imò etiam, si fortè solùm sit attritus, necessarium, ad hoc vel ex charitate, vel si proprii & ordinarii animarum pastores sint, etiam ex Justitia tenentur. Et ideo Vasq. apud Dian. l.c. sacerdotes, nolentes in casu, quo licitum est, moribundum absolvere, non immeritò vocat reos, & necatores animarum: qui proinde etiam meritò timere possunt, ne, quod Dominus apud Ezech. c.3. v.18. & c.33. v.8. minatur, de manu eorum sanguis hominis, ex ea negata Sacramenti administratione pereuntis, requiratur. Verùm jam à moribundis transeamus ad sanos, & sensibus nullatenus destitutos, & videamus, an etiam hi quandoque possint ab integra peccatorum, etiam eorum, quorum memoriam habent, enarratione excusari. Itaque sit;

60. III. Casus de eo, cui post diligens examen, de quo supra p.1. à n.6. factus est dictum, nullum amplius occurrat peccatum. Hic ergo excusatus est abunde ab obligatione referendi omnia, cum ad impossibile nemo queat obligari: ea autem, quæ post accuratam conscientie discussionem in memoriam non veniunt, ut referantur, utique fieri nequit; & idcirco omisio censetur esse involuntaria. Nec aliud requirit, imò nec potest requirere Concilium Trident. cum sess. 14. c.5. omnium peccatorum mortalium particularem Confessionem exigat. Bonac. D.5. q.5. s.2. p.2. §.4. n.3. Coninch.

d.9. n.70. Suar. s.3. n.2. Fill. tr.7. c.5. n.130.

61. IV. Casus est de eo, qui sine gravi detrimento proprio vel alieno, spirituali vel temporali, non potest recensere aliquod peccatum. Et talem reticere posse istud peccatum, generatim docent, Coninch. n.75. Fill. n.124. Suar. s.2. n.1. & alii communiter, bene præsumentes de misericordia Christi, nolentis sua præcepta, quæ positiva sunt, cum tanto dispendio & periculo observari. Hinc, 1. qui metuit, ne subtiliùs examinando, & distinctiùs explicando peccata carnalia, in seipso vel in Confessario turpem delectationem excitet, & in novi peccati periculum se conjiciat, potest ab accuratiore examine, & Confessione abstinerere, & paucis se explicare, modò species cognosci possit: nec Confessarius amplius urgere. Neque enim Christus voluit, ut cum tali scandalo & damno spirituali enucleatum examen, aut Confessio institueretur. Fill. l.c. Bonac. n.11. & alii. 2. Si quis inter confitendum gravi paroxysmo agitetur, ut periculum sit, ne ante absolutionem moriatur, non est expectandus finis Confessionis, sed statim absolvendus, reliquis peccatis omisissis. Bonac. n.9. & 18. Reginald. l.8. c.3. n.29. Suar. s.1. n.2. & alii communiter. 3. Similis necessitas cogere potest, si plures in eodem periculo naufragii, incendii, pestis, prælii &c. versentur, & singulorum integræ Confessiones audiri nequeant, nisi aliqui sine Confessione mori permittantur; tunc quisque audito uno vel altero peccato absolvendus est: quin etiam publicè, si velint, poterunt confiteri levius aliquod & non magnæ infamie

infamiae aut scandali peccatum : quod si angustia temporis nec hoc permittat, suffecerit generale poenitentiae signum, v. g. qui dolet de peccatis suis, & cupit absolvi, manum eleuet; tunc enim una generali formula omnes absolvere poterit, dicendo: *Ego absolvo vos à peccatis vestris.* Bonac. n. 17. Coninch. n. 74. Henriq. l. 5. c. 12. n. 3. Reginald. l. 6. c. 5. n. 155. & alii. Nam in necessitate sufficit, ut supra n. 56. dixi, generalis confessio.

4. Si Confessarius in audiendis Confessionibus peccavit, & suum hoc peccatum confiteri nequit, nisi unà etiam explicet peccatum poenitentis, qui notus est alteri Confessario, peccatum istud omittendum est, ne violetur sigillum: hujus enim obligatio strictior est, quam integræ Confessionis. Coninch. n. 95. Henriq. l. 5. c. 12. n. 7. Reginald. l. 6. n. 162. 5. Si Confessarius pestiferorum, aut alio contagioso morbo laborantium longas Confessiones audiendo timeat, ut inficiatur, vel ipse jam infectus poenitentes diu detinendo suo contagio afflet, tunc auditis aliquot peccatis absolvat. Bonac. n. 13. Coninch. n. 75. & alii. 6. Quando infirmus non potest, nisi cum magna fatigatione & afflictione corporis, omnia recensere, non est vexandus, sed absolvendus. Bonac. n. 19. Henriq. n. 3. Lit. M. & alii. et si non statim moriturus, sed uno v. g. die verosimiliter supervicturus videatur, ut monet Tanner. T. 4. q. 7. dub. 4. n. 66. benignus enim Dominus hoc tempore gratiae tam rigidam à suis debitoribus non exigit rationem, ut cum tanto incommodo obliget.

7. Qui à sacerdote omnes, quibus vivere possit, habet sumptus, in eum tamen

tam ingratus existit, ut ei porrigat venenum, consanguineam ejus corrumpat &c. poterit tale peccatum reticere, si metuat, ut suus hic Mecænas manum idcirco subtrahat, & sumptus unice necessarios denegat. Coninch. n. 75. 8. Confessionis mutilationem excusabit, si Confessarius non satis fideliter ea, quæ audivit, custodiat, in temulentia omnia effutiat: tunc enim graviora, & quorum manifestatio magis probrosa foret, poterunt omitti. Coninch. n. 75. Tan. l. c. n. 69. Val. & alii. quamvis enim Christus eo maxime sine instituerit Confessionem, ut peccator semet accusans coram Confessario erubesceret, & suimet contemptu illatum DEO contempum vindicaret, tamen extra personam Confessarii noluit eam ignominiam propagari. 9. Si femina timeat, ut, si peccatum aliquod confiteatur, Confessarius scandalizetur, aut ipsa ab eodem ad peccandum alliciatur, potest, imò tenetur illud peccatum reticere. Bonac. n. 11. Henriq. n. 6. Coninch. l. c. Navar. c. 7. n. 4. & alii. Cavendum tamen hic est poenitenti, ne de suo Confessario simile quid suspicetur sine gravi fundamento; quale esset, si experientia constaret, eum non esse taciturnum, aut alias audita Confessione duriter tractasse, ad flagitium sollicitasse, aut ad ea flagitia tam propensum esse, ut obvias qualque feminas ad turpia sollicitare non vereatur: alias per similes suspensiones graviter peccaret, ut notum est.

62. V. Casus est de eo, qui suum peccatum explicare non potest, quin simul etiam personam ejusdem peccati sociam exprimat. At si talis prorsus nullum aliud incommodum patiatur præter so-

lam notitiam, quæ de illo datur Confessario & quidem sub arctissimo sigillo, non video causam, quæ ad excusandam Confessionis mutilationem sufficiat juxta dicta. n. 44.

63. VI. Casus est de eo, qui inter peccata mortalia, quibus est obnoxius, habet unum vel alterum reservatum, à quo tamen qui absolvat, aut potestatem absolvendi conferat superior, vel non adest, vel certè adiri non potest. Circa hunc casum variæ sunt auctorum sententiæ. r. enim aliqui ajunt, totam Confessionem potius omittendam esse, quàm ut unum duntaxat peccatum aperiatur, altero per silentium suppresso; nihilominus tamen posse, sed elicita priùs perfecta contritione, Eucharistiam sumi, Vasq. D. 206. c. 2. & T. 4. q. 91. a. 3. dub. 9. & alii, quibus favet Joannes Sancius in selectis D. 32. n. 10.

64. Alii 2. contendunt, mortalia, tam reservata quàm non reservata, aperienda esse Confessario inferiori. Suar. de Euchar. D. 66. f. 4. §. quartus casus. & D. 31. de penit. f. 3. n. 8. Henriq. l. 6. c. 15. n. 5. Bonac. de Euchar. D. 4. q. 6. p. 1. n. 31. Coninch. D. 7. d. 9. n. 86. & alii ferè communiter omnes. Cùm enim Sacerdos inferior à non reservatis directè, à reservatis verò indirectè possit absolvere, reverentia, quam Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento debemus, videtur exigere, ut cùm aliter non possimus, saltem indirectè absoluti ad eam accedamus, cum obligatione tamen peccata reservata superiori confitendi, ut quis ab ijs etiam directè absolva- tur. Quod si tamen præter peccatum reservatum non nisi solis venialibus grave- ris, certum est, te tunc ad Confessio-

nem non obligari; quia pro reservatis non adest legitimus Confessarius, pro venialibus Confessione non indiges. Tamb. de exped. commun. c. 1. §. 6. n. 20. Poteris tamen, si velis, peccata venialia Sacerdoti inferiori confiteri, ut, dum directè absolveris à venialibus (ab his enim quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, absolvere potest) indirectè etiam à reservatis absolvaris. Quod Concilio Trident. non repugnare, Lugo D. 14. de Euchar. f. 5. n. 97. ostendit, & servire potest illis, qui mortalibus quibuscunque gravari difficilem experiuntur (si tamen possint) actum contritionis. Hi enim possunt, imò tenentur, ut tradit Coninch. D. 8. d. 13. n. 106. & q. 80. de Euchar. n. 20. venialia simplici Sacerdoti confiteri omissis mortalibus; sed de utrisque, mortalibus nempe & venialibus, attritionem eliciant: si enim de solis mortalibus, non item de venialibus, atterantur, invalidè confitentur & sacrilegè ob defectum debitæ dispositionis; si enim de venialibus nullam habeant sufficientem attritionem, ab his directè non absolventur, consequenter nec indirectè à mortalibus.

65. Alii denique 3. dicunt, te teneri quidem Sacerdoti inferiori confiteri peccata mortalia non reservata, reservata tamen tacere posse. Lugo D. 14. de Euchar. f. 5. n. 96. Ratio prioris partis est; quia tenemur integrè quantum possumus, confiteri: at nunc illa non reservata confiteri possumus. Neque hoc est dimidiare Confessionem formaliter; sicut nec eandem dimidiat, qui peccata mortalia confitetur omnia, præter id, ex quo, si illud aperiret, grave aliquod damnum mereretur.

erere, v. g. revelationis sigilli. Ratio verò posterioris partis est: ad quid enim peccatum reservatum aperiatur illi, qui nullam in id potest exercere jurisdictionem. Hinc si necessitas confitendi urgeat, poteris simplici sacerdoti confiteri venialia, reservata verò, imò & non reservata, à quibus talis Sacerdos simplex absolvere non potest, reticere: sic enim indirectè etiam à mortalibus absolveris. *Neque dicas*, eum, qui habet peccata reservata & non reservata, non posse inferiori confiteri non reservata, reservata verò superiori, quia, ut habet communissima sententia, Confessio nequit dimidiari: ergo nec in presenti casu id fieri poterit. Non, inquam, hoc dicas, quia antecedens locum duntaxat habet, cum adest superior, cui reservata confiteri possis: hæc autem tertia sententia procedit tantum tunc, cum superior, aut alius habens potestatem non adest. Imò non desunt, qui cum Suar. *D. 25. s. 2. n. 7.* putant, Sacerdotem vel quemcumque, si copiam superioris non habeat, posse inferiori confiteri, & reservata reticere, si alioqui debeat diu differre Confessionem aut Communionem: quia existimant, longam moram esse gravissimam necessitatem, cum inestimabile detrimentum sit, diu privari amicitia Divina. Sed hæc ratio probat, sufficere etiam modicam moram ad Confessionem formaliter integrè faciendam; nam etiam parvo tempore esse inimicum DEI non est modicum quid.

66. Ceterum hæc tres sententia sunt omnes probabiles: poteris ergo ex iis unam, que tibi visa fuerit omnium commodissima, tunc amplecti, semper tamen

cum onere peccata, directè nondum absoluta, aperiendi postea illi, qui habeat potestatem ea directè absolvendi.

67. VII. Casus est, cum ingens est, ut in magnis quandoque festis solet, penitentium concursus, nec, si singulorum Confessiones accuratè audiantur, omnibus satisfieri potest. An ergo poterit Sacerdos, ut à Confessione multi non excludantur, tantum quædam peccata mortalia audire, ceteris in aliud commodius & minùs occupatum tempus translatis. Ita quidem nonnulli, tacito tamen nomine relati apud Coninch. *D. 7. d. 9. n. 93.* putant. Sed hi nimis laxi sunt, & ideo non probantur: quia ejusmodi mutilatio non potest fieri sine scandalo, & gravi offensa penitentium, quorum alii licet ad ejusmodi festa confluant, ut conscientiam funditus exonerent, id tamen dum non impetrant, properante nimirum Sacerdote, & ut plures audire possit, abrumpente Confessiones, pleni morore recedunt & tristitia: alii verò ansam sumunt aucupandi ejusmodi tempus, quo nòrunt se non ita adigendos esse, ut omnia, quorum reos se sciunt, exponant: quod aliud non est, quam ut multi ita confessi Sacrilegium committant, & in peccatorum luro perpetuò hæreant infixi, qui alioqui inde fuissent emerfuri. Nec est, quòd ejusmodi Sacerdotes se credant excusatos, quòd moneant ita sine integra Confessione dimissos, ut proximè redeant, etiam reliqua exposituri: quia tales vix unquam redibunt, rati, se abunde suo confitentium officio satisfecisse, si quacunque ratione absolutionem obtineant. Præstat ergo tales omnino non confiteri, quam

ita absolvi, ut nihilominus suis peccatis innodati è Sacro Tribunali recedant, manentque solliciti de repetenda, ut fanè tenentur repetere, Confessione. Verùm hoc non eò dixerim, ut à Confessione nonnulli repellantur, quòd plures alii audiri possint. Audiantur, qui confiteri, & animæ suæ quietem ac veram cum DEO pacem per id obtinere cupiunt, ut suo hoc fine non fraudentur, hec Confessarii ipsi habeant, quod meritò timeant, ne iuo officio malè sint functi. Meminerint, melius esse paucos bene audire, quàm multos perfunctoriè & malè.

68. Atque hæ sunt causæ, quæ communiter, præter quintam & septimam, creduntur sufficere ad Confessionem materialiter integram non exhibendam. Ut tamen in doctrinæ traditæ praxi & legitimo usu non erretur, nonnulla sunt advertenda. Et I. quidem in ejusmodi Confessione plus reticere non posse, quàm sit necessarium: & ideo qui scit, se peccasse mortaliter, nullatenus autem scire potest, in qua specie, tenetur se de tali peccato ita generatim accusare: item qui metuit, ut ex certo peccato carnali narrato periculum v. g. sollicitationis ad turpia sibi immineat, potest hoc reticere, reliqua verò tenetur confiteri. Coninch. n. 95. Bonac. D. 5. q. 5. f. 2. p. 2. s. 4. n. 20. & alii.

69. II. Ut metus mali alicujus, ex Confessione huic Sacerdoti factâ imminetis, sufficiat ad tacendum peccatum, illum non debere esse levem; sed requiri probabilem opinionem, gravi fundamento subnixam: quale est, si experièntiâ constet, quid alijs contigerit. Bonac. n. 12. Henrig. 6. 12. n. 5. & alii. Ratio est;

quia præceptum de integritate Confessionis est in possessione, à qua ob superveniens dubium vel levem suspicionem pœnitentis de aliquo detrimento sibi eventuro non est deiciendum. Si quis tamen bona fide existimet subesse periculum, quod tamen revera non suberat, nihilominus valebit Confessio manca, suo tempore supplenda, ut jam statim dicetur. Igitur

70. III. Ea, quæ ex justa causa fuerunt omiſsa, speciatim postea, quando nimirum periculum damni, cujus causâ reticabantur peccata, fuerit remotum, in proxima Confessione esse explicanda, & clavibus directè subjicienda, ut, quæ indirectè tantum fuerunt soluta, solvantur etiam directè, idque ex voluntate Christi hoc Sacramentum ita & non aliter instituentis, ut in eo nihil directè dimittatur, nisi in Confessione expressè sit explicatum: Coninch. D. 7. d. 9. n. 77. Non est tamen necesse, peccata, quæ ob inculpatam oblivionem, aut aliam justam causam fuerunt prætermiſsa, quamprimum confiteri, sed quando aliàs confiteri volueris, v. g. in paschate. Laym. l. 5. tr. 6. c. 8. n. 12. Suar. D. 36. f. 4. dub. 2. n. 6. Henrig. l. 4. c. 4. n. 6. Fill. tr. 7. c. 5. n. 126.

71. IV. Quando solum agitur de vitando proprio incommodo temporali, posse pœnitentem suo jure cedere, & neglectis illis incommodis omnibus omnia integrè confiteri: secus si proximi detrimentum sit evitandum; huic enim præjudicare non potest. Suar. de Legib. l. 6. c. 7. n. 9. Præposit. de pœnit. q. 7. n. 128. Bonac. n. 12.

72. V. Pœnitentem, si interrogetur à Con-

Confessario de iis peccatis, quæ hîc & nunc ob iustum impedimentum non tenetur confiteri, posse id rotundè negare cum æquivocatione, se non fecisse, scilicet ut teneatur illi dicere. Fagund. l. 3. in 2. præcept. Eccl. c. 2. n. 11. ubi etiam refert Navar. c. 21. n. 38. Coninch. D. 6. d. 3. n. 8. Suar. D. 22. f. 10. n. 4.

73. VI. Non esse licitam alienius peccati mortalis reticentiam, nisi duplex concurrat necessitas, una ex parte pœnitentis, altera ex parte Confessarii: quia nimirum pœnitens hîc & nunc confiteri debet, nec tamen interim alium habere potest, cui sua peccata omnia tutò & sine ullo damno integrè confiteatur. Necessitas autem confitendi hîc non restringitur ad mortis articulum, vel ad præceptum paschale: sed quodcumque Confessio sine gravi infamia, vel scandalo, vel alio notabili detrimento differri non potest. Sic Moniales certis temporibus confiteri debent, & quidem uni certo Confessario, à quo si fortè talia incommoda probabiliter formident, v. g. sollicitationis ad turpia, revelationis sigilli &c. iustam habent causam peccata tali periculo subjecta celandi, donec veniat, cui securè possint totam conscientiam explicare. Unde etiam Concilium Trident. sess. 25. cap. 10. de regularibus statuit, ut Episcopus vel alius superior bis vel ter in anno extraordinarium aliquem Confessarium assignet, cui confiteri possint. Quin imò ipsa longior mora differendæ Confessionis sine alia necessitate jus præbet ita mutilè confitendi: quoniam ipsa diuturnior Sacramenti tam utilis carentia factis gravis & incommoda censetur, ut jam etiam *suprà* n. 65. monui.

74. Sed quanta requiratur distantia, ut non censeatur esse nimia, ad hoc ut Confessarius, cui quis tutò sine periculo queat confiteri, deesse judicari queat, non potest una generali regula decerni: aliqui putant, tres horas (fortè Italicæ) ad hoc sufficere. Ego existimem, neminem urgendum esse, ut magna cum sollicitudine & circumspectione alium Confessarium quærat: sed quemlibet id solùm præstare debere, quod commodè potest, spectatis suis met viribus corporis & ætate; difficultate item itineris, brevitate temporis, tempestatis qualitate, negotiis &c. Bonac. D. 4. de Euchar. q. 6. p. 1. n. 30. Coninch. q. 80. de Euchar. c. 4. d. 2. n. 23. Tamb. in Meth. commun. c. 1. §. 6. n. 19. & alii. sed in tanta religiosorum Confessiones excipientium multitudine & vicinia vix potest ulla occurrere difficultas, ut ob eam facilè censeatur deesse copia Confessarii, cui credi tutò possint ea, quæ alteri quandoque non possunt.

75. Ceterùm ut hæc, quæ hactenus de integritate Confessionis dicta sunt, absolvantur, pro coronide istius materiæ hoc addere non videtur importunum; nempe quatuor fere esse, quæ ab ea integritate abducere possunt. I. est verecundia, & pudor peccati commissi. Huic opponenda est scientia DEI omnia, etiam occultissima, penitissimè videntis & cognoscentis; & futura in die Judicii omnium peccatorum, nisi Confessione deleantur, publica notitia & Confusio. II. est timor & horror pœnitentiæ: contra quem ob oculos statueret Christi & Martyrum cruciatus, gehennæ inexplicabilia, & nunquam in æternum cessatura

atura tormenta & supplicia &c. III. est metusalicujus infamiae, ex peccatorum Confessione incurrendae apud Confessarium, & temporalis damni; siquid restituendum jubeatur. Huic objicienda est æterna ignominia, & bonorum æternorum certissima jactura. IV. est diffidentia & desperatio alicujus peccati vitandæ, & contrariæ virtutis v. g. castitatis obtinendæ. Huic opponenda est deliberatio non peccandi ampliùs; gratia, quæ ad id præstandum confertur in hoc Sacramento; subsidia, orationesque Confessarii; Angeli-Custodis, Patronique tutela, & præsidium.

ARTICULUS V.

Explicantur ultima sex conditiones Confessionis.

76. *Conditio XI. Secreta*: id est, ut non fiat publicè coram aliis audientibus, sed coram solo Sacerdote; unde & auricularis dicta est. Non enim tenetur pœnitens alio præter Sacerdotem audiente confiteri: quod satis indicatum est in *Cap. Omnis utriusque sexus. de pœnit. & remiss.* per particulam *Solus*: & novissimè in Concil. Trident. *sess. 14. c. 5.* est apertè expressum. Etsi enim Christus publicam Confessionem, hoc est, quæ fit publicè aliis audientibus, non prohibuit; præstat tamen, & rationi magis consentaneum est, eam facere secretò, ne, dum quis majorem peccatorum suorum vindictam, suisque humiliationem quærit, aliis per eam publicationem lapidem offensionis ponat, & petram scandali. Unde satis constat, non esse quidem de necessitate Sacramenti, ut sit se-

creta, nemine alio præter Confessarium & pœnitentem conscio. Sed adhuc plura alia non inutilia, quæ ad rectam hujus conditionis intelligentiam facere possunt, deduci queunt.

77. I. Est, neminem per se loquendo obligatum esse ad Confessionem faciendam per interpretem. Bonac. *D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. s. 2. n. 2.* Navar. *c. 2. n. 5.* Reginald. *l. 6. c. 3. n. 80.* Navar. in *Cap. Fratres, dist. 5. de pœnit. n. 85.* & alii communiter. Non enim credendum est, hoc Sacramentum ita institutum esse, ut fiat cum tanto incommodo, quantum esset in eo, quòd quis priùs alteri quàm ipsimet Confessario teneretur sua detegere peccata. Potest tamen contingere, ut pœnitens quandoque teneatur uti interprete, ut si in articulo mortis constitutus advertat, se non posse perfectam de peccatis gravibus, à quibus hæcenus neque directè, neque indirectè unquam sit absolutus, contritionem elicere, Bonac. *n. 23. & alii.*

78. II. Neminem quoque per se loquendo obligatum esse, peccata sua in particulari confiteri coram aliis audientibus. Nam & hic modus confitendi, ut apparet, est publicus, ad quem nemo obligatur, imò, ut Coninch. *D. 6. d. 2. n. 5.* tradit, cum id nimis durum esset, nec lege humana obligari potest: quod addo, quia hæc lex naturalis dictare potest, ut quis sua peccata, saltem quæ minùs probrosa sunt, teneatur palàm aliis audientibus manifestare in ordine ad absolutionem Sacramentalem obrinendam: v. g. in communi periculo naufragii, pestilentiae, prælii jamjam inchoandi &c. si nimirum & hic advertat quis, se non esse

esse contritum, idèoque tantummodo ope Sacramenti se ipsa suscepti posse divinæ gratiæ testitui. Coninch n. 5. Reginald. n. 78. ubi refert Canum in *Relect. de pœnit. part. 6.*

79. III. Illicitum esse peccata sua, aliis audientibus, confiteri, si nulla causa justa subsit, Bonac. n. 23. Reginald. n. 84. Navar. in *Cap. fratres. Dist. 5. de pœnit. n. 90.* *Et alii:* quia nemo sine justa causa potest suam famam prodigere, uti prodigeret, qui aliis audientibus confiteretur. Sed hoc peccatum non est majus, quàm veniale. Dixi autem: *si nulla justa causa subsit;* hac enim existente, posse aliquem sua peccata publicè confiteri, tradit Reginald. n. 79. Navar. c. 2. n. 5. Unde obiter

80. Patet, quàm malè & inconsultò agant, imò etiam graviter peccent Sacerdotes, qui multos pueros, etiam dolijam capaces, simul in unum congregatos audiunt; injuriam enim faciunt huic Sacramento, eo ad jocum & risum abutentes: aguntque contra clarum textum dicti *Cap. Omnis utriusque.* ubi expressè statuitur, ut, qui ad annos discretionis pervenerit, solus omnia sua peccata proprio Sacerdoti confiteatur. Reginald. n. 85. Bonac. l. c. *Et alii.*

81. IV. Confessionem non esse necessariò faciendam per scripturam. Reginald. n. 80. Navar. c. 21. n. 36. *Et alii:* cum enim scriptura sit signum permanens, & facilè amitti possit, nata est ad peccatum etiam alteri, quàm Sacerdoti, cui fit Confessio, manifestandum. Proinde si quis loquelâ destitutus non possit voce aut alio signo confiteri, non tenetur peccata sua scripto consignare, ut ea postea tradat Confessario legenda. Nihilominus tamen & hinc

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

evenire potest, ut quis ad huac modum confitendi sit obligatus, si nimirum sibi videatur non perfectè contritus esse, & simul sit in proximo mortis periculo constitutus; tunc enim, si aliter non potest, tenetur, sicut per interpretem, ita & per scripturam confiteri.

82. Quin & extra casum necessitatis fieri potest Confessio per scripturam, si nimirum quis ob magnas angustias vix aut ægrè loqui possit, vel magnum pudorem & verecundiam sentiat. (quod adolescentibus & puellis in grave & turpe crimen lapsis evenire potest) consuetudo enim proprio ore confitendi, de qua paulò pòst, non videtur tam graviter in hoc vel simili casu obligare. Et hinc si quis fortè ad exonerandam & semel penitus expurgandam conscientiam velit generalem Confessionem à prima pueritia instituere, & verecundetur ac difficultatem non modicam sentiat in peccatis coram Confessario oretenus recensendis, poterit is peccata diligenter secundum speciem, numerum, & circumstantias necessarias expressa, & in scripta charta offerre Confessario, dummodo ad absolutionem accipiendam se postea præsentem sistat, dicatque ore hæc verba: *Accuso me de his peccatis, quæ ego scripsi, Et R. V. legit.* Neque hic confitendi modus est contra decretum Clementis VIII. eo enim prohibetur, ne absenti fiat Confessio per scripturam, & ab absente quoque absolutio obtineatur: neutrum horum fit in nostro proposito, ubi & Confessio & absolutio fit per præsentem, ut patet: sed penes Confessarium est judicare, an hoc in particulari casu fieri expediat: & si hoc modo Confessionem admittere nollet, non posset ulle

Q

jure

jure ad id cogi, nisi fortè proprius & ordinarius pœnitentis pastor foret: prout ergo ille mite hac in re tulerit iudicium, ita res procedet.

83. V. Confessio debet propriis ipsius pœnitentis verbis fieri, si quidem possit. Reginald. n. 81. Bonac. n. 25. Coninch. d. 1. n. 3. & alii communiter. Etsi enim ad Sacramenti essentiam nihil interfit, voce, an alio quocunque signo externo & sensibili peccata pandantur, (nam Christus nihil certi præscripsit, neque natura Judicii certum modum accusationis postulat, modò crimina Judici sufficienter innotescant) nihilominus tamen, cum DEUS peccata mortalia non aliter velit ordinariè dimittere, nisi interveniente Sacerdotis absolutione (si haberi possit) necessarium omnino est, ut, quoniam Sacerdos prudenter & discretè non potest nisi cognita dimittere, aliter verò cognoscere non potest, nisi à peccatore manifestata, signis exterioribus declarentur. Et licèt Confessio Sacramentalis possit, ut vidimus, ex sua institutione & naturâ quocunque signo externo propriæ accusationis de peccatis fieri, Ecclesiæ tamen traditio, & universalis consuetudo, fideliumque praxis declarat, eam debere fieri propriæ vocis sermone, si pœnitens loqui possit; hic enim modus est omnium optimus, cum verbis optimè exprimamus animi nostri sensa; & quia communi Ecclesiæ usu, ut dixi, receptus est, omnino est observandus. Sed hic modus propriis verbis aut voce confitendi, cum juxta paulò antè dicta non sit tam necessarius, ut Confessio aliter facta reddatur invalida, idcirco si causa aliqua subsit, potest in casu necessitatis etiam nutibus aut scripturâ

fieri: nam & nutus (idem est de scriptura) sunt loco vocum, nec minùs apti sunt, ut faciant publicum sive notum Sacerdoti illud, quod exprimunt, quàm voces ipsæ. Et ex his patet, quo modo mutus, surdus, aut ignarus cujuscunque linguæ, quam Sacerdos calleat, juvare se possint, cum vel liberè & ex præcepto confiteri volunt. Reginald. n. 81.

84. Conditio XII. *Lacrimabilis*: non quòd facienda sit cum externis lacrimis, suspiriis, lamentis, ejulationibus, &c. sed cum vero peccatorum dolore & detestatione, ac propòsito deinceps non peccandi; hi enim actus sunt in nostra potestate: at verò lacrimæ non sunt in nostra potestate, & tam hæ, quàm etiam gemitus & lamenta sunt nonnunquam affectata, & causa, ut verborum vis & distinctio profusus non percipiatur: ex quo non potest non creati magna molestia tam pœnitenti, quàm ipsi Confessario: illi quidem, quia sic malè percepta debet repetere; isti verò, quia repetita debet denuo audire. Præterquam, quod ea commotio, si nimium increseat, plurimum ingenio incommodet, atque ipsos etiam sensus perturbet. Quamobrem hæc tanta profusio lacrimarum, & plusquam muliebris vociferatio, etsi laudanda non est, tamen si & lacrimæ & gemitus moderatè fiant, neque impedimentum ponant confessioni, magnopere sunt commendandi.

85. Conditio XIII. *accelerata*: Sicut promissio sine die & conditione statim obligat, non quidem ira, ut statim etiam solutio sit urgenda, *allato*, quod ajunt, *Sacco* ad id, quod promissum est, excipiendum; hoc enim inurbanum esset: sed ut Navar. in cap. cir. Fratres. n. 17, notat, exspectant

spectandum est ad minus decendum : ita etiam præceptum Confessionis statim à peccato perpetrato obligat , non tamen ita , ut etiam statim absque ulla interposita mora paulò longiori ad Confessarium sit volandum : hoc enim esset intolerabile , cum sæpe intempesta nocte ad Confessionem properandum esset ; sed ne diu post lapsum differatur , si confitendi commoditas adsit. Id tamen tantum est de consilio , non præcepto , Reginald. n. 88. Bonac. n. 27. *Et alii* : cum peccator possit se per contritionem in pristinum gratiæ statum restituere : quod equidem , ut quamprimum à perpetrato scelere faciat , expedit , idque ob rationes *suprà* n. 37. allatas.

86. *Conditio XIV. Fortis* , id est , facta cum tanta animi constantia , ut pœnitens non sinat se ulla tentatione , aut humano respectu superari ad negligendam vel omittendam Confessionem , vel ad aliud , præ pudore & timore amittendæ fortassis bonæ existimationis , quam de ipso Confessarius habet , quidquam prætermittendum , quod alioqui necessariò dicendum esset : neque enim iactura præcisè illa bonæ apud Confessarium famæ tantum malum est , ut ob id quidquam possit in Confessione reticere. Coninch. *D. 7. d. 9. n. 76.* Unde pœnitens verecundiam ex manifestatione suorum occultissimorum peccatorum suboriri solitam debet vincere , amat enim diabolus in hac tam salutaris manifestatione , non in ipsa sceleris narratione , imò & quandoque in narratione coram quolibet alio (modò Confessarius non sit) pudorem ponere , ut sic faciliùs homines improvidos in tartarum impellat. Ad hanc tamen conditionem

sufficit ea fortitudo , quâ quis sive per se dicendo , sive ad interrogata à Confessario respondendo cupit omnia , quæ necessariò confitenda sunt , confiteri , ita ut timor non dominetur in animo ad mutilandam Confessionem : timore enim ita prævalente , ut pœnitens eo percussus statuat , peccatum aliquod aliàs necessariò confitendum omittere , sacrilegium committit , & ex sua timiditate in æternæ mortis damnationem incurrit. Et de sua pusillanimitate , quâ deterrebat à necessarijs confitendis , & de peccato ipso , quod occultare voluit , tenentur postea dolere , & se accusare. Reginald. n. 89.

87. *Conditio XV. Accusans* : id est I. Sibimetipsi imputans peccata , & non alijs causis v. g. dæmoni impugnanti , vel homini incitanti , vel carni blandienti , vel complexionem naturali ad tale vitium propensæ , vel celo & astris ad simile crimen inclinantibus , vel quod omnium pessimum foret & blasphemum , DEO ipsum non juvanti ; non item socijs , quorum consilio vel auctoritate dicat se eò deductum esse. Reginald. n. 3. *Et 90. Et alii.* Tales sunt adolescentes , & aulici , qui dum furtivos suos amores confitentur , dicunt , homines istius conditionis vix posse absque istis vivere ; tales sunt etiam mercatores , qui dum fraudes & furta confitentur , dicunt , ita moris esse in eorum tabernis &c. II. *Accusans* , non *excusans* sua delicta , hoc est , ut nemo prætexat causas , ob quas ea , quæ certò novit esse mortalia , appareant dubia , vel venialia : nisi fortè ea causa revera ejusmodi sit , ut illà supposità id , quod alioqui peccatum mortale esset , transeat in veniale , vel etiam omnino nullum sit peccatum ; ut con-

tingere potest, si quis ex inculcata oblivione aut inadvertentia comedat die vitato carnes, aut die festo omittat Sacrum, aut ex defectu plenæ deliberationis graviter alienæ famæ detrahat, grave malum v. g. mortem alteri imprecetur, aut aliud quid v. g. contra castitatem committat, quod tunc, dum commisit, ignoravit esse grave peccatum: ejusmodi enim vel oblivio vel ignorantia facit, ut, qui ex ea operatur, vel omnino non peccet, vel non gravius, quàm ipsi reprecensetur; & idcirco, ne Confessarium in re gravi decipiat, seque de peccato, quale non commisit, falsò accuset, necesse est, eam exculationem adferre. Denique III. *accusans* se, & non alios. Reperiuntur enim per sepe, qui non sua ipsorum, sed aliorum scelera recenseant longo ordine & serie: sic viri uxorum, uxores virorum, domini servorum, servi & ancillæ dominorum & dominarum, alii aliorum recensent peccata: sed hi utique malè agunt; id enim non est Confessio ad absolutionem obtinendam idonea, sed mera calumnia, detractio, vanitas, & peccatum grave, procul à reverentia utilissimi Sacramenti removendum. Quid de complice manifestando tenendum sit, jam supra n. 44. explicatum est.

88. *Conditio XVI. Parere parata:* id est, pœnitens ita sit animo dispositus, ut paratus sit obedire in his, quæ ei Confessarius injunxerit, videlicet ut remedia peccatorum, quæ ille suggererit, acceptet; consilia & monita, quæ dederit, sequatur; occasiones, quæ ab eodem prohibita fuerint, fugiat; pœnitentiam, quæ in satisfactionem, vel medicinam fuerit injuncta, æquo animo suscipiat &c. Bonac, n. 30.

Reginald, n. 91. Henricus l. 5. c. 4. n. 11. Hæc conditio partim est in consilio, partim in præcepto. Et quoniam occasione hujus conditionis opportunum est aliquid dicere de pœnitentiæ impositæ acceptance, sit porro

ARTICULUS VI.

An pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam sibi à Confessario impositam.

89. Cajetanus *T. 1. opusc. tr. 6. q. 2. a. 2.* apud Coninch *D. 10. d. 9. n. 77.* putat, non esse obligatum, sed posse pœnam peccatis debitam differre in purgatorium. Scotus apud eundem Coninch putat, eum quidem non esse obligatum ad acceptandam pœnitentiam, sed tamen, si acceptaverit, adimplendam. Hanc sententiam varii variè notant: alii vocant erroneam, alii temerariam, alii improbabilem. Quibus tamen censuris non obstantibus adhuc pro Scoto stat. Reginald. l. 7. c. 2. n. 14. & Diana 3. p. tr. 4. R. 51. & p. 2. tr. 15. *Miscell. R. 52.* ubi quatuordecim Auctores pro eadem refert, duplici potissimum fundamento nixos. Quorum primum est, quòd alioqui, si omnia in hac vita expianda sint, frustra futurum sit purgatorium. Alterum verò est, quia quando sunt plures modi solvendi idem debitum, penes debitorem est electio modi, quo debitum solvatur, juxta *Reg. Jur. in 6.* In alternativis debitoris est electio: sed pro pœna, peccatis remissis remanente & adhuc debita, varii sunt solvendi modi, vel per spontanea opera, vel à Sacerdote injuncta, vel per indulgentias, vel per pœnas in purgatorio sustinendas, vel

vel à DEO aliàs immittas: ergo peccatoris est eligere hunc vel illum modum satisfaciendi, nec potest ad certa opera obligari. Concilium Trident. *sess. 14. cap. 8. & can. 15.* quod Auctoribus hujus sententiæ obicitur, ita iidem explicant, ut dicant, tacitam conditionem subintelligendam esse, scilicet posse Confessarium ligare penitentes, si velint acceptare, & frui effectu Sacramenti, quod operibus à Sacerdote impositis majorem vim satisfaciendi impertit, quàm alioqui habeant: tunc enim esse satisfactoria ex opere operato, cum, si sponte suscipiantur, ex opere tantum operantis eam satisfaciendi vim habeant. Neque id repugnare auctoritati Iudicis; cum Confessarius sit instar Iudicis arbitrarij sponte electi, qui in invitum non potest majorem jurisdictionem exercere, quàm elector velit.

90. Hæc sententia etsi propter insignem, quam habet, auctoritatem liberanda omnino videatur à gravi illa, qua notata est, censurâ, suamque adeo mereatur probabilitatem; habet tamen nonnulla, quæ displicent. Et in primis quidem quòd duplicem distinguat rationem penitentia, satisfactoriam unam, alteram medicinale, & illam esse liberam, non verò hanc alteram: sed quis discernet, sitne penitentia satisfactoria, an verò medicinalis, cum utramque rationem conjungendam esse doceat Trident. *loc. cit.* Imò plerasque hodie solum medicinales esse, docet Laym. *l. 5. tr. 7. c. 3. n. 2.* & id ex eo colligit, quòd plerumque soleant esse leves: quasi verò non etiam levis satisfactio esse queat? Cui ergo usus erit, conscientiam ad medicinam sumendam constringere, si incertum sit, habeatne penitentia in-

juncta rationem medicina, vel vindictæ. Ad hæc non apparet, cur spontaneus consensus acceptantis inducat moralem seu gravem obligationem, cum quisque possit sibi tantum imponere, quantum vult: non est autem credibile, quòd quisque velit gravem in se suscipere obligationem, quando potest levem, cum in obligationibus potius id, quod minimum est, sit præsumendum juxta *Reg. 29. in 6. & 24. ff. eod.* Neque refert, quòd Confessarius me non possit judicare, nisi me sponte velim ipsi subicere: quia etiam Ludi Magister non habet in pueros potestatem, nisi velint ab ipso doceri: hac autem spontanea subjectione posita, non amplius est in eorum potestate, quidvis pro arbitrato agere, sed debent in ijs, quæ justa sunt, imperanti obsecundare: aliàs superioritatis & inferioritatis ordo perturbaretur. Ad id, quod de purgatorio adferebatur, dico, illud non esse pro ijs, qui nullam prorsus in hac vita penitentiam in vindictam suorum peccatorum suscipere, sed pro ijs, qui, dum adhuc in vivis essent, pro suis delictis integrè non satisfecerunt. Reliquias ergo sui debiti isti in flammis illis particularibus exsolvant, dum ultimum quadrantem pependerit. Quæ cum ita se habeant,

91. Judico, penitentem obligatum esse acceptare penitentiam, si sit rationalis, & velit absolvi. Suar. *D. 38. s. 7. n. 1.* Bonac. *D. 5. q. 5. s. 3. p. 4. n. 1.* Coninch *D. 10. d. 9. n. 79.* Valent. *D. 7. q. 14. p. 4.* Vasque *2. q. 84. a. 2. d. 1. n. 5.* & alii ferè plerique. Ratio est: tum quia sententia hæc est communi fidelium sensui congruentior: tum quia eidem plus favet Concilium Trident. cum cit. loco obligat Sacerdotes ad penitentiam injungendam: quæ obligatio

obligatio frustranea esset, si in pœnitente non responderet reciproca obligatio pœnitentiam injunctam acceptandi; tum quia Confessarius est verus & legitimus pœnitentis iudex, ergo potest pœnitentem in suo foro ad parendum æquæ sententiæ constringere.

92. Dixi autem I. *Si sit rationalis*, & peccatorum gravitati, & peccatoris ipsius viribus, ac temporum consuetudini accommodata; qualis semper præsumitur, nisi contrarium constet, vel saltem probabili iudicio alicujus viri docti censeatur. Irrationabilem verò, & nimis difficilem, nec acceptare tenetur pœnitens; nec, si acceptavit, implere, nec ejus commutationem petere, quia acceptatio non inducit obligationem. Laym. l. 5. rr. 6. c. 15. n. 6. Coninch. n. 80. Idem est, si pœnitentia initio rationalis, successu temporis nimis difficilis evadat ob mutatas circumstantias, quamdiu quidem ea difficultas perseverat. Si verò excessus non sit in specie aut qualitate operis, sed in numero & quantitate divisibili, ut precum, jejuniorum &c. ea pars erit implenda, quæ intra mensuram constiterit.

93. Dixi II. *Si velit absolvi*: quia pœnitentia sub conditione securæ absolutionis imponitur. Si ergo malit pœnitens sine absolutione recedere, quam pœnitentiam acceptare, non obligabitur: peccabit tamen venialiter, Sacramentum jam inchoatum temerè abrumpendo. Coninch. n. 80. Suar. D. 38. f. 7. n. 4. Fagund. l. 9. c. 3. n. 18. qui tamen cap. 4. n. 4. addit, si, quacunque ex causa, invalida fuerit absolutio, nullam inde oriri impostæ pœnitentiæ obligationem. Monet tamen Suar. l. c. Sacerdotem rectè facturum, si

pœnitentis fragilitati non nihil indulgeat, & leviozem imponat pœnitentiam, si graviozem acceptare detrectet.

94. Ceterum procedit hæc sententia etiam tunc, quando pœnitens confitetur peccata merè venialia; aut mortalia quidem, à quibus tamen jam antè directè fuit absolutus: quia etiam in hoc casu Sacerdos habet vetam potestatem jungendi pœnitentiam Sacramentalem, & consequenter etiam obligandi pœnitentem ad eam acceptandam. Coninch. n. 81. Henriq. l. 5. c. 20. n. 3. & aliqui alii. Reliqua, quæ de pœnitentia Sacramentali dicenda supersunt, comòdiùs infra dicentur p. 4. Interim subjungamus praxin ipsam Confessionis rectè breviterque instituendæ.

ARTICULUS VII.

Praxis Confessionis rectè & breviter instituendæ.

95. Conscientiâ diligenter discussâ, peccatisque in ordinem, prout Sacerdoti exponere volueris, redactis, ad Confessionalem sedem te conferes; in eam tamen non statim, tanquam ex itinere in hospitium irrumpes: ad modestiam te potiùs compones, animum colliges, & quid acturus sis, considerabis, expectabisque modestè, dum commoda ingrediendi occasio sit; nimis enim inurbanum, rusticum & indecens est, importunè cum magna circumstantium molestia, & fortè etiam scandalo ingressum urgere, tanquam de palmâ, aut bravo res agatur.

96. Cùm verò pœnitens locum Confessionis jam fuerit ingressus, supplex ad pedes

pedes Sacerdotis accidat, & utroque genu flexo, capite nudo, junctis manibus, & facie ad latus Confessarii versâ sponte suâ citra ullam aliam admonitionem negotium ipsum, quod molitur, aggrediatur, & signo crucis se muniat dicens: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*: sic munus bene sibi precari poscat his verbis: *Benedic Reverende Pater*. Mox subjungat generalem Confessionem: *Confiteor DEO omnipotenti, B. MARIÆ semper Virgini, omnibus sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere*. Quo facto Confessionis opus prosequatur, & porro dicat: *ab ultima mea Confessione abierunt octo, decem, aut quatuordecim dies: pœnitentiam injunctam implevi*: vel, si non implevit, dicat: *Pœnitentiam mihi injunctam, quæ parva erat (vel magna) omisi*: vel si tardus fuit in ea implenda, dicat: *Pœnitentiam injunctam tardius, quam oportebat, implevi: & ex eo tempore iterum peccavi*. His dictis subjungat peccata eo fere modo, quo sequenti syllabo describuntur: prius tamen quam ad eum progrediar, breviter notandum censui,

97. I. Eum, qui pœnitentiæ sibi injunctæ oblitus est, non teneri eadem peccata secundo confiteri, ut novam accipiat pœnitentiam, modò de peccato hoc, quod sanè committit, si ea oblivio suâ culpâ ob nimiam in peragenda ea pœnitentia negligentiam contingat, accuset, ad quod etiam obligatur, si culpa sit gravis. Coninch. *D. 10. d. 9. n. 86. & alii*.

98. II. Si Confessarius nullum tempus præscribat, peragenda esse pœnitentiam prima commoditate, nec differendam diu; alioqui peccatum erit majus vel minus, prout major vel minor fuerit mora;

quanta autem sufficiat ad constituendum peccatum mortale, non est facile definire. Diana 2. p. tr. 15. R. 53. & p. 9. tr. 6. R. 57. in fine, & p. 10. tr. 12. R. 42. putat sufficere, si intra annum impleatur: sed hoc videtur nimis laxum. Existimem, de cœdium sufficere, præsertim si pœnitentia sit gravis, & injuncta ad pœnitentem ad officium boni Christiani reducendum.

99. III. Pœnitentiam, si certum pro ejus impletione tempus statuatur, adhuc implendam esse, etsi intra terminum illum præfixum non sit impleta: quia mens Confessariorum non est, terminum illum præscribere ad obligationem illam finiendam, sed solum ulterius non differendam. Coninch. n. 83. ubi addit (id quod etiam Suar. *D. 38. s. 7. n. 6*. Joannes Sancius in select. *D. 13. n. 9*. probat) tempus nempe præscriptum mutare, differendo non nihil impletionem pœnitentiæ, non esse peccatum grave; modò ea dilatio non sit nimia, ut paulò antè dixi. Quod si tamen Confessarius tempus, ut ex justa causa potest, & ex circumstantiis est colligere, omnino determinet ad finiendam pœnitentiæ implendæ obligationem, eo præterlapso etiam ipsa obligatio cessabit: quod fieri credendum est, cum Confessarius injungit pœnitenti, ut quovis die dominico duo audiat Sacra, singulis festis Christi aut B. Virginis confiteatur, aut in eorum vigiliis, aut singulis diebus sabbati per annum jejunet &c. ex hoc enim modo imponendi pœnitentiam satis colligitur, Confessarium non voluisse adstringere pœnitentem ad supplendum defectum, si fortè tali die neglexisset pœnitentiam; id enim nimis grave futurum esset: nam si nullo

nullo unquam per annum sabbato jejunâset, deberet elapso anno quinquaginta dies continuos, vel paulisper interpolatos jejunare &c. Coninch. n. 85. Sed ob hunc defectum utriusque à peccato gravi non est excusandus, de quo proinde se accusare debet.

QUÆSTIO III.

Syllabus peccatorum.

100. Quoniam peccata omnia committuntur vel I. corde, vel II. ore, vel III. opere, visum est, idque non sine exemplo aliorum, fore non incongruum, hoc ipso ordine describere ea peccata, quæ magis sunt obvia, & simul etiam (quod hactenus neminem, qui simile argumentum pertractavit, fecisse arbitror) breviter eorundem naturam & gravitatem declarare, ut, quo modo in Confessione sint exponenda, innotescat.

ARTICULUS I.

Peccata cordis.

101. Hoc nomine intelliguntur peccata merè interna, & cordis appellantur, quia in corde, seu intellectu & voluntate perficiuntur & consummantur, suntque omnia contra DEUM, vel proximum, vel contra ipsummet peccantem.

§. I.

Peccata cordis contra DEUM.

102. *Sub Missa sacrificio* (Communionis, Rosario, & consuetis aliis precibus) *sui voluntariè distractus, quater:* vel breviter: *Sub rebus divinis voluntariè distractus,*

fui, quater. Quod si autem sacrum die festo fuerit audiendum, & per notabilem ejus partem evagationis mentis ad aliena voluntariè sint admittenda, sic dicat: *Per notabilem sacri partem die festo voluntariè sui distractus.* Quæ sit notabilis pars sacri, constabit ex dicendis *infra* n. 247. Voluntariè autem distractus est, qui advertens se distrahi, tamen vel omnino non, vel negligenter curat attentionem præstare. Adhuc tamen satisfacit Ecclesiastico præcepto de Missa audienda, si de distractionibus merè internis sit sermo; nam si de externis loquamur, peccat graviter, & præceptum non implet.

103. *Sub horis canonicis persolvendis longas & voluntarias distractiones admittit.* Sunt autem distractiones aliæ merè interne, dum nimirum sola mente longè ad alia, quàm ad DEUM, aut res divinas inter orandum attendimus, sed per varia objecta, v. g. quæstiones Theologicas vel Philosophicas discutiendas, varia negotia aut rem domesticam tractandam, & ordinandam, statum politicum &c. pervagatur; aliæ verò externe, sitæ in actionibus externis, quæ ex se ad mentem ita ad se rapiendam natæ sunt, ut internam attentionem omnino impediunt & excludunt, quales sunt confabulationes, risus, lectio rerum, seu profanarum seu sacrarum; item si quis pingat, scribat &c. Ceterum sunt, qui dicunt, illum, qui etiam cum merè internis mentis ad aliena evagationibus horas canonicas absolvit, præcepto non satisfacere. Ita sentiunt Palasus D. 2. p. 3. n. 11. Laym. l. 4. tr. 1. c. 5. n. 10. Less. de just. l. 2. c. 37. d. 10. n. 64. Fill. tr. 23. c. 8. n. 255. Bonac. de horis canon. D. 1. q. 3. p. 2. §. 2.

2, §. 2. n. 4. & alii, quos magno numero refert Diana 2. p. 17. 12. R. 2. & p. 7. 17. 11. R. 30. Estque sententia valde probabilis, & habet locum etiam in aliis precibus, ex voto, aut pœnitentiæ Sacramentali persolvendis. Bonac. l. c. & alii. Ex hac sententia obiter

104. Patet, eos, qui horas canonicas absque interna attentione persolvunt, vel toras, vel notabilem earum partem, peccare mortaliter; & si beneficiati sint, fructus iis horis respondentes non facere suos, & teneri repetere, quod ita distractè recitârunt. Bonac. n. 8. Reginald. l. 18. n. 155. & alii. quod multò magis locum habet, si distractiones voluntariè admittantur sint externæ, ut jam dicemus cum altera sententia. Notent autem hoc Canonici, & quicumque alii beneficiati, quibus præter pensum horarum canonicarum nullum aliud onus incumbit, & videant, an & quàm liberi sint à restitutione fructuum tam malè perceptorum, dum Breviarium non tam orant, quàm deproperant mente ad alia distracti.

105. Altera sententia est, satisfieri præcepto Ecclesiastico de horis canonicis, quamcunque multæ & longæ, sed *merè internæ* evagationes etiam voluntariè admittantur; modò caveantur eæ, quas *externas* diximus, id est, modò recitans officium Divinum non occupetur externa aliqua actione ex se impossibili cum interiori attentione, v. g. scribendo, confabulando, pingendo &c. Ita docent Coninch. de Sacram. 9. 83. a. 6. d. un. n. 292. Lugo. de Euchar. D. 22. s. 2. n. 27. & alii graves auctores non pauci.

R. P. Stor. Trib. Pœnit.

106. Estque sententia hæc benignior, & humanæ fragilitati conformior, tuta in praxi, & tenenda; juxta quam proinde Clerici beneficiati excusari possunt à restitutione fructuum, & onere repetendi ea, quæ cum istis internis distractionibus sunt recitata: ut adeo frustra se fatigent, & quia locum faciunt scrupulis, malè agant, qui id, quòd distractè recitârunt, non desinunt repetere. Dixi autem: *Modò non occupetur actione externa*, quæ internam attentionem secum non patitur, quia talis utique præcepto Ecclesiæ non satisfacit ob defectum præcipuè externæ attentionis. Hinc à peccato gravi etiam in hac sententia non excusatur, qui horas canonicas vel toras, vel notabilem earum partem recitat confabulando, vel dormiendo &c. Bonac. n. 9. Excusatur tamen, & satisfacit præcepto, qui inter orandum exercet quidem actiones impertinentes, quæ tamen suapte natura cum oratione compatibles sunt, quales juxta dicta sunt, induere vestes, exuere &c.

107. Nihilominus tamen irreverentiæ quoddam genus est, ad DEUM preces seu liberas, seu obligatorias fundere, & interim etiam animo alienas ab oratione cogitationes volvere: etsi enim quis non teneatur orare, tamen si vult orare, debet omnem irreverentiam vitare; peccati tamen venialis limites non excedit. Laym. n. 9. Bonac. n. 7. & alii. Quod si tamen aliquis psalmos legat animo tempus fallendi, eos memoriæ mandandi, se pia aliqua lectione occupandi; alium docendi modum, quo officium Divinum sit recitandum &c. distractiones quamcunque nullum continent peccatum. Bonac.

R

nac.

nac. n. 7. & alii: quia talis non vult orare; non enim orare velle censendus est, qui non habet animum saltem implicitum orandi. Bonac. n. 2. & 3. Palaus tr. 7. D. 1. p. 7. n. 1. Suar. de Relig. T. 2. tr. 4. l. 3. c. 3. n. 3. & alii.

108. *Inter celebrandum distractus fuerit.* Contingunt istæ distractiones vel intra vel extra Canonem; qui propriè loquendo incipit ab illis verbis: *Te igitur clementissime*; & definit ad Orationem Dominicam exclusivè. Si ergo distractiones admittantur voluntariè extra Canonem, culpam venialem non excedunt: quæ omnia præter Epistolam & utrumque Evangelium sunt orationes; ac proinde ut, quemadmodum cum aliæ preces cum distractionibus voluntariis internis dicuntur, solum veniale peccatum committitur, ita etiam non majus committatur, dicendo preces in Missa extra Canonem. Tamb. in *Method. Sacrificii* l. 3. c. 3. n. 3. non enim ullum est fundamentum aliter de his, quàm aliis precibus, quæ extra Missam etiam ex obligatione dicuntur, sentiendi. Itaque sicut internæ distractiones in officio Canonico à peccato mortali excusantur; ita etiam à simili peccato immunes erunt distractiones in orationibus Missæ extra Canonem admissæ.

109. De orationibus intra Canonem paulò major est difficultas. Tamb. n. 6. quem P. Georgius Gobat in perdocto suo *Alphabero sacrificantium casu* 23. n. 826. refert & sequitur, solito scrupulosior est & severior, cum longiores distractiones intra Canonem admissas damnat peccati mortalis; eo quòd tunc vel maximè Majestatem Divinam reverenter agnoscere & venerari debeamus, no-

stramque erga Eam subjectionem, quantum possumus, humilitate protestemur; cum Sacrificium, quod ex communi Theologorum intra Canonem præcipuè perficitur, sit signum Divinæ Excellentiæ & Majestatis, & nostræ erga illam subjectionis protestativum. Verùm ut hunc nodum explicemus, inspiciamus singula, quæ in Canone geruntur. Recitantur ergo sex intra illum orationes, sed hæ præcisè ex eo, quòd sint Canonis, non magis sunt signa protestativa Divinæ Majestatis & nostræ subjectionis, quàm quæcumque aliæ orationes; consequenter etiam ex eodem præcisè capite, quòd intra Canonem recitentur, non extrahuntur ex communi sortè & conditione quarumcumque aliarum precum; adeoque sicut hæ, ita & illæ possunt cum internis distractionibus recitari citra culpam gravem. Alterum, quod Canon Missæ comprehendit, est historica narratio de institutione utriusque Speciei Eucharistiæ sub speciebus panis & vini. Hanc autem narrationem majoris tunc, quàm esset, si extra Canonem exhiberetur, Sanctitatis esse, & quidem tantæ, ut ad eam observandam sub peccato mortali teneamur, cavere sub ea occurrentes distractiones, nondum idoneum ac firmum apparet fundamentum. Ad quid ergo grave minus jugum Sacerdotum? Superest igitur genuina forma consecratoria; de qua sola jam est dubitatio: an si distractè pronuncietur, peccatum grave committatur? Equidem eadem istius formæ quoad hoc videtur esse ratio cum formis reliquorum Sacramentorum; has autem ut sine voluntariis distractionibus proferramus, nondum ullus, ut existimo, nos obligavit,

obligavit, si contemptus absit, & periculum, ut aliquid ipsis substantialiter aduersum committatur, ut videre est apud P. Georg. Gobat in Alphaber. Baptiz. Casu 6. n. 202. & in Alphab. Confessar. Casu 4. n. 177. ubi ait, etiam Tamb. l. c. de Sacram. c. 2. §. 1. n. 5. tradere hanc sententiam, vel saltem inclinare. Quod autem forma Eucharistica vel specialis actio Christi specialem etiam & maiorem reverentiam mereatur, non refert: nam intra terminos peccati venialis datur majus & minus, pro majori & minori dignitate v. g. Sacramenti. Certè olim etiam antiqui Patres, Moses, Abraham, Jacob, Noe, Job &c. sua habebant signa externa Majestatis Divinæ & suæ erga illam subjectionis protestativa; & tamen nemo dixerit eos peccasse graviter, quando ea signa ediderunt, immolando v. g. boves & oves &c. ad aliena distracti. Bene enim ejusmodi protestatio subsistere potest cum internis distractionibus, modò externæ absint.

no. Quoniam ergo de tam gravi, merè internas intra Canonem Missæ distractiones vitandi, præcepto non factis constat, meminisse debebat Tamburinus effecti sui, quod l. i. c. 6. §. 2. n. 4. sapienter protulit, sub culpa lethali, inquiens, neminem obligandum esse, nisi manifestè constet de præcepto obligante; conformiter illi monito, quod Gabriel in 4. d. 15. a. 2. in fine dedit; & sapius, & singulariter in cit. Alphab. sacrificant. Casu 10. n. 325. & in Clypeo Clementium Judicum f. 8. & seqq. inculcat P. Gobat; nimirum Theologos non debere esse faciles ad asserendum aliquas actiones vel omissiones esse peccata mortalia:

cui simillimum est, & in præsentibus ob oculos æquè versari debuit, quod S. Thomas quodlib. 9. q. 7. a. 15. monuit: periculosè, inquiens, determinatur, aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur.

iii. DEUM odio habui semel. Odium generatim est actus voluntatis, quo alteri malum volumus, vel de alterius bono, quia bonum illius est, tristamur. Duplex est, Inimicitia seu malevolentia unum, alterum Abominationis. Istud consistit in aversione animi à re vel persona, quam ut nobis molestam & ingrattam apprehendimus, & aversamur: quo modo etiam DEUM odisse possumus, dum eum ut molesta nobis præcipientem vel punientem apprehendimus. Illud verò, scilicet odium Inimicitia est, cum alicui personæ, quam detestamur, malum aliquod volumus, præcisè quia malum illius est, sistendo in hoc, & nullum adeo aliud commodum inde nobis expectando. Et hoc etiam in homine respectu DEI datur, non quòd possit quis absolute velle aliquid, quod DEO intrinsicè malum sit, sed quòd possit id, quantum est in se; ita ut si DEO aliquod malum inferri posset, veller ipsi inferre præcisè, quia malum ipsius futurum esset. Unum ab altero non differt specie, & idcirco non specialiter in Confessione est explicandum: sicut nec mala, quæ DEO optantur. Est peccatum omnium gravissimum, ut probat S. Tom. 1. 2. q. 73. a. 4. ad 3. & 2. 2. q. 34. a. 2. & q. 39. a. 2. ad 3. apud Navar. c. 11. n. 14. nec potest fieri veniale, nisi ex defectu solius plenæ advertentiæ. Est & aliud odium DEI, quod generale vocatur, &

reperitur in quolibet peccato mortali: hoc ipso enim quod quis DEUM peccato gravilædat, dicitur eum odio habere, seu non diligere. Sed hoc non est speciatim exponendum, cum velut generalis circumstantia omnis peccati satis intelligatur, si ipsum duntaxat peccatum exprimitur, juxta dicta *suprà* n. 79.

112. *DEUM non amavi, cum debui.* Dari verum præceptum de DEO diligendo, docent Coninch. de char. D. 24. d. 2. n. 28. Sanch. l. 2. mor. c. 35. n. 2. Palaustr. 6. D. 1. p. 2. n. 1. & alii. Et est hoc præceptum speciale, & à ceteris distinctum. Palaus. n. 3. ex communi: quod etiam in hac vita impleri potest, Coninch. n. 34. & alii conformiter Trident. Concil. sess. 6. Can. 18. damnanti eos, qui dicunt, præcepta DEI servare non posse: & ad hoc etiam obligat, etsi, cum sit affirmativum, non pro quocunque tempore. Sunt autem tria tempora, de quibus quaestio esse potest. I. cum quis ad usum rationis pervenerit. II. articulus mortis. III. quod inter hos duos terminos est medium. Et in articulo mortis, quemlibet obligatum esse ad actum amoris DEI, docent Suar. de char. D. 5. f. 3. n. 3. Coninch. d. 3. n. 48. & alii. non enim tempus est, quo magis & certius obliget, quam sit istud. Et hinc si eo tempore non eliciatur actus charitatis, novum ac speciale peccatum committitur: quod intellige, nisi eliciatur contritio perfecta. Ad hanc enim cum concurrat amor DEI super omnia, satis tunc impletur præceptum, DEUM in illo mortis & vitæ confinio amandi. De obligatione DEUM actu amandi, cum primum quis ad usum rationis pervenerit,

acris est concertatio inter Auctores. Thomista totis viribus contendunt, dari talem obligationem. Alii verò negant: tum quia nullum solidum est fundamentum asserendi tam gravem obligationem: tum quia nemo est, qui cognoscat primum instans, quo ratione uti incipit. Hæc ratio, si instans accipiatur physicè, convincit: si moraliter pro aliquot horis vel diebus, videtur esse satis efficax: quia brevi illo tempore non possunt doceri, quæ ad ejus præcepti executionem sunt necessaria. Taceo, parentes etiam pios & timoratos non esse sollicitos de hac obligatione suos liberos docendâ; nec ullum à quoquam illis de hac omissione moveri scrupulum. Et quando docerent suos liberos eam obligationem? an antequam pervenirent ad usum rationis? tunc autem nondum sunt capaces ullius instructionis. An verò postquam usum rationis jam sunt affecti? sed jam tum statim erant obligati ad amandum DEUM, ut contendunt Thomista. At quomodo? nisi dicere velint, eos obligatos fuisse jam tunc, cum de ea obligatione nihil dum sciverunt, nec scire poterant; quod dicinequit. De tempore intermedio sunt, qui putant, eum amoris actum ex præcepto eliciendum esse: sed quando? nullum determinant, imò nec determinare possunt. Vasta ergo & indeterminata hæc obligatio executioni aliquando danda est: nullam enim omnino dari de actu amoris DEI per totam vitam eliciendo, damnatum est ab Alexandro VII. Verùm hæc ad actum amoris DEI obligatio à fidelibus, nisi sint morum valde depravorum, raro violabitur, cum vix ullus sit, qui non sæpe DEI beneficium

neficia, & infinitam ipsius bonitatem consideret, quibus ad eum amandum exciteretur. Ex quibus apparet, quam raro, vel nunquam debeat quis se accusare de omissione actus amoris Divini; vel, si se acculent, id potius ex scrupulositate & angustijs conscientiae, omnia metuentis, agere, quam ex verâ obligatione,

113. *Nonnulla opera mea non direxi ad majorem DEI gloriam: vel quod alii alij verbis, sed eodem sensu exprimunt: non semper operatus sum ex amore DEI super omnia: vel: nullam habui intentionem, DEI in meis operibus beneplacitum quarendi.* Reperiuntur, qui omnino existimant, hominem, si velit operari ut homo, debere operari liberè, id est, ex cognitione boni & mali, & omnia, quae agit, referre ad DEUM tanquam suum finem ultimum: ad quod probandum (præter multa alia, quae referre & impugnare hoc loco, non est nostri, sed Theologici fori) assumunt illud, 1. *Corinth. 10. v. 31.* ubi Apostolus monet: sive manducatis, inquit, sive bibitis, omnia in gloriam DEI facite: & rursus *Coloss. 3. v. 17.* Omne, quodcunque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini JESU Christi. Ita multi sentiunt, quibus ego, si de stricta obligatione loquantur, non assentior. Equidem fateor, hominem, ut liberè operetur, debere operari ex cognitione honesti & inhonesti, seu boni & mali: sed *honestum* non est hic ita strictè sumendum, & *positivè* pro eo, quod fit ex cognitione finis nostri ultimi supernaturalis, DEI; & unâ ex amore ejusdem consequendi (aliàs grave præjudicium inferetur vulgatissimæ illi

quæstioni de actibus individuo indifferentibus, ne videlicet inutilis & profus frustranea sit & otiosa) sed paulò laxiùs, & *negativè* pro eo, quod non est illicitum seu non prohibitum; quo sensu non est idem licitum & honestum positivè. Unde natum est illud, quod habetur textu *L. 144. ff. de R. I.* Non omne quod licet, est honestum. Nec quando operari volumus, necesse est, ut in actu quasi signato operemur ex hoc motivo, quia est licitum: satis est, si fiat in actu exercito, faciendo nimirum id, quod novimus, non esse prohibitum. Ut autem honestè positivè operemur, necesse quidem est, ut formaliter ex proprio motivo ipsius honestatis in objecto repertæ operemur: at ut unâ etiam ex motivo reflexo placendi DEO, & ejus gloriam quarendi operemur, non requiritur, nec est ullo modo ex præcepto debitum: alioquin etiâ præstantissimos virtutum actus damnare oportebit, cum vix unquam ullus exerceatur in actu signato ex reflexo motivo placendi DEO &c. sed solum ex suo proprio motivo; quod sanè sufficit, quæ est sententia communis. Ea, quæ ex S. Paulo allata sunt, possunt intelligi vel negativè, ut nihil fiat contra DEUM; vel affirmativè, ut omnia ad ejus gloriam referantur. Priori modo habent vim præcepti; quia nunquam licet quidquam agere contra honorem aut voluntatem DEI. Posteriori verò modo habent vim exhortationis solum & consilii: esse enim etiam præcepti, ut dicamus, non est fundamentum. Ad quid ergo humanam voluntatem tam graviter oneremus, ut dicamus, eam, temper, ut honestè seu non malè operetur, obligatam

esse, reflexè operari animo DEO placendi &c. Certè quando dubia est interpretatio libertatis, secundùm libertatem respondendum est: textu *L. quoties dubia, 20. ff. de regulis juris.* Et ex his rursus apparet, non esse necessarium, se accusare de dicta omissione referendi omnia ad DEI gloriam; cum nulla in ea appareat malitia.

114. *DEUM non satis amavi ter.* DEI amor alius est intensivus, alius appreciativus: ille consistit in ipsa actûs intentione: & de hac si sit sermo, DEUM utique nunquam satis amabimus, cum nunquam simus elicituri actum tam intensum, ut intensiorem non possimus. Sed in hac minori intentione nihil continetur malitiæ, cum ad majorem nulla detur obligatio. Appreciativus DEI amor est, cum ipsummet & ejus Divinam bonitatem tanti æstimamus, ut censeamus eam omnibus præferendam esse, simusque adeo ejus intuitu parati potiùs quidvis pati, aut deserere, quàm aliquid agere, quod ipsi displiceat. Et qui DEUM directè sic non amat, utique gravissimè peccat contra præceptum de diligendo DEO: sed hoc peccatum, ut arbitror, rarum est. Dico *directè*: nam qui peccat mortaliter, indirectè plus diligit aliud, quàm DEUM: præfert enim DEO aliquid absolutè, & sine comparatione ad DEUM, hoc ipso quòd faciat aliquid contra DEI voluntatem, Navar. c. 11. n. 15. sed hoc non est speciale peccatum contra præceptum diligendi DEUM: sed circumstantia quædam generalis in peccato mortali inclusa, nec proinde specialiter explicanda juxta dicta, p. 1. n. 79.

115. *Contra DEUM in corde mur-*

muravi bis. Murmur est querela cum impatientia in iis, quæ homo debet patienter ferre, Contra DEUM committitur, cum displicet, quòd prosperitatem vel aduersitatem non tribuat in hoc sæculo juxta merita hominum; quòd non regat mundum nostro arbitrio; quòd non dederit ingenium, quod optamus, acutum, divitias, honores &c. Quod equidem si contingat, murmur est peccatum tantùm veniale. Fit verò mortale, quando conjunctam habet DEI notabilem irreverentiam, ut, si murmures credendo, DEUM esse injustum, non gerere debitam curam hominum, aut in ea cura temerè procedere, vel quid simile: habet enim adjunctam circumstantiam blasphemix, & quidem hæreticalis, specialiter explicandam in hunc ferè modum; *Contra DEUM cum blasphemia, eaque hæreticali murmuravi, ter.*

116. *De aliquo articulo fidei dubitavi semel.* De fide dubitari potest dupliciter, positivè & negativè. Positivè dubitat, qui judicat, articulum v. g. de vita æterna, de reali existentia Corporis aut Sanguinis Christi in Eucharistia &c. sufficienter propositum, non esse dignum, cui certò assentiatur, sed incertum. Negativè verò dubitat, qui circa eundem Articulum cohibet assensum ex imperio voluntatis, ita ut neque judicet dignum esse, cui præbeat assensum; interim tamen positivè etiam non dissentiat: hoc verò, qui facit, saltem virtualiter jam judicat, articulum illum indignum esse certo & infallibili assensu. Utraque hæc dubitatio repugnat Fidei, docenti, articulum sufficienter propositum non solum esse verum, sed & certissimum; &, si delibe-

ratè

ratè fiat, & cum pertinacia, semper est peccatum mortale, & quidem hæresis. Lugo *de fide*. D. 20. f. 1. n. 17. Coninch. *de fide*. D. 18. d. 7. p. 102. Suar. *de fide*. D. 19. f. 4. n. 10. Palaus *tr.* 4. D. 3. p. 2. n. 9. & alii. Si verò oriatur ex scrupulo conscientia, vel alio motu, cui dubitans non consentit, sed resistit averfando, quidquid contrarium est Fidei, cui se optat in omnibus accommodare, non est peccatum, sed materia meriti. Signum autem, quòd dubitatio posteriori modo accidat, est, si quis in ipso conflictu magnà molestia afficiatur, tanquam odio habens errorem, & diligens veritatem. Laym. *l. 2. sr. 1. c. 13. n. 4.* Porro non est necessarium explicare, qualis fuerit articulus, de quo quis dubitavit contra fidem: sunt enim in hoc omnes ejusdem speciei, cum omnes nitantur eodem motivo infallibili, nempe testimonio DEI revelantis &c.

117. *De aliquo articulo fidei elicui assensum opinativum semel.* Talis assensus est, qui ita fertur in articulum fidei, ut simul conjunctam habeat formidinem oppositi, hoc est, ne contrarium sit verum. Est enim formido, quæ in omni assensu opinativo reperitur, nihil aliud, quàm judicium affirmans motivorum debilitatem, quòd scilicet ea tanti non sint, ut non possit subesse periculum deceptionis, adeoque ea motiva non dare securitatem contra deceptionem, ut explicat Lugo *de fide*. D. 6. f. 1. n. 25. Et explicari solet ejusmodi actus per particulam fortè dicendo: *fortè Christus non est natus ex Virgine; fortè non est in Eucharistia &c.* Hoc judicium cum sit error in fide, non potest esse cum objecto Fidei sufficienter proposito. Semper est

peccatum mortale, quando sit cum plena advertentia; & quidem si cum pertinacia jungatur, hæresis. Coninch. n. 105. Palaus. n. 12. Azor. *l. 8. c. 9. q. 6. & alii.* Neque tamen necessarium est explicare articulum, de quo contra fidem sic sentitur.

118. *Articulum fidei negavi semel.* Id est, judicavi, talem articulum non esse verum, v. g. Christum realiter non esse in Eucharistia. Judicium hoc est peccatum mortale; & si exterius exprimatur aliquo signo vel verbo, quantumcunque occultissimè fiat, nullo, nisi, qui exprimit præsentem, excommunicationi obnoxium. Tolet. *l. 1. c. 19. & alii.* Neque tamen hic necessarium est exprimere, qualis sit ille articulus, qui negatus est.

119. *Pluribus annis v. g. quinque voluntariè vixi in hæresi.* Non est autem necesse, expressè dicere, qualis fuerit ea hæresis: Lutherana; an Calvinistica, Zwingliana, an Hussitica &c. sunt enim ejusdem speciei. Reginald. *l. 6. c. 4. n. 144.* Dian. *p. 1. tr. 7. R. 46.* Quoniam autem hæcenus sæpius est mentio facta *Pertinacis*, omnino ad hæresin requisita, breviter adverte, eam in proposito non esse idem ac mordicus & acriter suum errorem tenere, ac tueri (hoc enim etiam inculpatè fieri potest, si nimirum fiat ex ignorantia invincibili) sed esse, eum errorem retinere, etiam postquam contrarium est sufficienter propositum, Sanch. *l. 2. Mor. c. 7. n. 2. & alii communiter.* Hinc rustici, alique simpliciòres homines in Germania, qui passim hæretici vocantur, non sunt hæretici formales, quia non sunt pertinaces. Et ideo si à sua secta v. g. Lutherana, Calvi-

Calviniana &c. recedere velint, possunt post sufficientem instructionem, & si fieri possit, editam coram testibus professionem fidei, à locorum Parochis absolvi, Laym. l. 2. tr. 1. c. 13. n. 4. Nisi quarundam Ecclesiarum consuetudo exigat, ut tales, etiam materiales hæretici, mittantur ad eos, qui potestatem habent absolventi ab hæresi, vel Episcopi aut ejus Vicarii examini & judicio relinquuntur.

120. *Culpabiliter ignoravi articulum fidei semel.* Culpabiliter ignorat mysteria fidei, qui advertens obligationem ea sciendi, negligentiam committit in iis ad discendis. Et quidem hæc negligentia, si fuerit gravis, etiam quoad numerum exprimenda est in hunc modum: *Gravem negligentiam in rebus fidei ad discendis commisi ter.* Pro meliori autem intelligentia sciendum est, ignorantiam aliam esse invincibilem, aliam vincibilem. Illa est, cum nulla de ea deponenda, aut obligatione deponendi occurrit cogitatio. Hæc excusat à peccato: & ideo si quis cum ea in sua infidelitate v.g. hæresi decedat, non condemnabitur ratione infidelitatis (hæc enim culpa tunc vacat) sed ratione aliorum peccatorum mortalium. Sanch. l. 1. mor. c. 16. n. 32. & alii. Ista verò est, quæ ab ignorante vinci potest ac debet, si nimirum habeat aliquam etiam tenuem notitiam de obligatione eam deponendi: hæc enim notitiâ habitâ jam habet sufficiens principium ulteriùs indagandi; & si non indaget, jam incipit laborare ignorantia vincibili. Quæ rursus duplex est, affectata, & non affectata: illa est, cum quis deditâ operâ & directè vult ignorare, id-

que vel ex tædio discendi, vel ut lege ignorata liberiùs peccare possit: Et talis ignorantia æquiparatur scientiæ, ut ex Cap. *Quæsitum de penit. & remiss.* docet Palaus l. c. Porro ab hæresi incurrenda excusat quævis ignorantia, etiam affectata. Ad hæresin enim requiritur pertinacia, quæ non potest esse, nisi cum articulus est sufficienter propositus: qui autem ignorantia, etiam affectatâ, laborat, caret scientiâ, consequenter nec pertinax esse potest. Nec refert, quòd ignorantia culpabilis non excuset à peccato (furtum enim adhuc peccatum est, etsi culpabiliter ignoretur esse) nam ad peccatum plus non requiritur, quàm ut quis advertat, se agere contra legem: ad hæresin autem requiritur pertinacia, quæ non datur, nisi, cum quis advertit, se articulo sufficienter proposito adversari: id quod cum ignorantia etiam affectata stare non potest. Intellige autem hæc de illa ignorantia, quæ solùm ex tædio discendi affectatur: non de illa, quæ nascitur, vel ex contemptu Ecclesiæ, vel falsâ opinione, quâ quis judicat parvi momenti esse, & indigna creditu, quæ in Ecclesia creduntur, & proponuntur. Palaus n. 4. Sanch. l. 2. mor. c. 7. n. 23. & alii.

121. *Præsumpsi de Misericordia DEI semel.* Id est, speravi me aliter quàm per media ordinaria consecuturum bona supernaturalia, v.g. gloriæ sine propriis meritis; vel gratiæ, vel remissionis peccatorum sine propria cooperatione, aut penitentia. In hoc enim consistit peccatum Præsumptionis de misericordia DEI, & ex eo quandoque peccator progreditur ad alia peccata perpetranda, v.g. furtum, forni-

fornicationem &c. quæ si quidem sint peccata mortalia, oportet specialiter explicare in hæc serè modum: *Ex presumptione misericordia divina fursum grave commisi semel: fornicarius sum bis &c.* hinc aliis quoque peccatorum mortalium generibus. Ex dictis vero breviter

Parèt, errat eos, qui, dum ex fiducia veniæ per Confessionem obtinendæ peccant, aut ex eadem fiducia penitentiam ad longum tempus, sæpe etiam ad usque ultimam senectutem differunt, & dicunt, se peccasse presumendo de misericordia DEI. Non ita se habet. Neque necesse est, talem spem, seu animum specialiter confiteri, cum non constituat peccatum specialiter diversum ab eo, quod sine tali animo fit.

122. Ceterum Præsumptio est peccatum mortale, nec fieri potest veniale ex levitate materiæ. Sanch. l. 2. mor. c. 33. n. 13. Palaus tr. 5. D. un. p. 1. n. 2. & alii. Et habet quandoque conjunctum iudicium erroneum, quo quis se ipsa iudicat & credit, se beatitudinem sine penitentia & propriis meritis (quales modò sunt Lutherani) vel ex solis propriis operibus absque gratia DEI (quod Pelagianorum est) acquisiturum. Quod si fiat, duplex in eo est malitia, una propria; altera ad hæresin spectans, & spem destruit, estque specialiter in Confessione explicanda. Ad Præsumptionem non requiritur, ut tale iudicium re ipsa ad eam præsupponatur: quo casu quis præsumptuosus est, non hæreticus; nec amittit spem. Sanch. n. 8. Cornich. de spe. D. 20. d. 15. n. 149. Suar. de spe. D. 1. s. 1. n. 4. & alii.

123. *Terræna magis amavi, quam cælestiæ.* Contingit hoc, cum quis plaris

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

æstimat, terræna, quàm cælestia; & illis iram inmensam est, ut quis desideret perpetuò degere in terra; & DEO velit relinquere cælum, si sibi terram relinquat. Unde etiam peccant boni socii, aut conjuges, qui seriò desiderant, ut perpetuò sibi convivere detur in terra: nisi hoc loquendi modo, solum amoris vehementiam indicare velint. Et hoc peccatum si plenè deliberatè fiat, semper est mortale: cum nunquam fiat sine gravi injuria DEI, utpote quem ita sperare debemus, ut eum præ omnibus concupiscibilibus debeamus nobis concupiscere. Navar. in Man. c. 11. n. 17. & alii. Quamvis, ut idem rectè notat, peccatum non sit longam vitam exoptare, etiam advertendo, se ob id tardiùs ad æternam beatitudinem perventurum.

§. II.

Peccata cordis contra proximum.

124. *Temerè de altero suspicatus sum in re levi: quater: vel in re gravi: bis.* Suspicio est actus intellectûs, quo iudicamus rem aliquam posse probabiliter judicari, licet defacto eam determinatè non iudicemus: estque adeo reflexa quædam cognitio, nihil determinatè iudicans de ipsa re, sed solum posse iudicium ferri de probabilitate rei. Temeraria autem est, quando sufficientibus indiciis non innititur, hoc est, quando indicia non sunt talia, ut prudenter judicari possit, ex illis iudicium firmum formari posse. Est ex suo genere peccatum mortale: regulariter tamen est solum veniale; ob debilitatem enim iudicii, in quo consistit, communiter non censetur graviter lædi bona proximi æstimatio. Bonac. de Restitut. D. 2. q. 7. p. 1. n. 4.

S

125. Te-

125. *Temerè alium judicavi in re gravi semel: vel; in re levi sexies.* Judicium est actus intellectûs, quo fertur sententia de aliquo objecto, idque vel negando, vel affirmando. Subinde & firmum sine ulla formidine oppositi, ita ut ab eo non facile quis se sinat dimoveri? subinde est conjunctum cum formidine; quod contingit, cum quis ita constitutus est, ut, si interrogaretur, an firmiter judicet & certus sit, responderet, se non esse certum, sed falli posse. Et hoc judicium sæpe vocatur *sufficio*; sed non rectè. Temerarium verò est, cum aliorum dicta vel facta sine ullis, vel non nisi ex levibus indiciis & conjecturis in malam partem accipimus, determinatè apud nos statuendo, ac definiendo, illos peccasse. Est peccatum mortale ex suo genere. Laym. l.3. tr.3. p.2. c.2. n.5. Lugo D.14. de just. s.2. n.11. etiam cum est debile seu conjunctum cum formidine oppositi. Lugo n.14. Potest tamen esse veniale vel ex levitate, vel circumstantiis personæ parvi æstimantis sinistrum de se judicium, vel ob imperfectionem actûs, quando scilicet temeritas est exigua, nempe tantis indiciis extantibus, ut licet sufficientia non sint, parum tamen absit, ut prudentis viri sententiam definitivam mereantur. Lugo n.25. Similiter est peccatum mortale, si judicium temerarium formeretur tantum de aliquo indeterminatè; vel de aliquo determinatè in particulari, qui tamen nec cognoscitur, nec cognoscetur unquam. Lugo n.26. Bonac. n.7. sed & judicium temerariû debile plerumque potest à mortali excusari, cum per illud existimatio alteri⁹ notabiliter nõ videatur lædi.

126. *Alios, vel, alium in animo contempsi graviter semel: leviter bis.* Est au-

tem contemptus generatim loquendo actus intellectûs, quo res aliqua minoris, quam par est, æstimatur: quod judicium si voluntas probet liberè ei consentiendo, erit contemptus internus & peccaminosus: externus autem, si externum aliquod opus interioris illius vilipensionis manifestativum accedat. Quod si una res sit verè vilior alterâ, eam præ alia excellentiori minoris æstimare, non est vitiosum; neque talis actus est contemptus moraliter loquendo; non enim res aliqua dicitur moraliter contemni, si, prout meretur, æstimetur.

127. Est autem contemptus duplex, materialis unus, alter formalis. Materialis est, cum res aliqua aliis ex vilipensione postponitur, etsi directè hoc non intendatur: quo pacto contemptus est quandoque circumstantia universalis, & in quolibet peccato, præsertim mortali, includitur: ipsam enim peccare nihil aliud est, quam DEUM & ejus Majestatem vilipendere. Unde & in scriptura sacra peccatores dicuntur contemptores DEI. Formalis contemptus est, cum ex formali & directâ intentione res una postponitur aliis, seu, cum ex directâ intentione aliquid fit, ut res aliqua parvi pendatur, vel parvi pendi credatur.

128. Versatur contemptus non tantum circa præcepta, sed etiam circa consilia, & adhuc est duplex: unus legislatoris seu præipientis, & consulentis; alter rei præceptæ, aut in consilio positæ: quibus addunt aliqui contemptum legis seu præcepti. Sed Suar. l.3. de Leg. c.28. n.11. hoc tertium membrum rectè rejicit: vel enim contembitur lex per ordinem ad legislatorem, vel per ordinem ad rem præceptam: priori

priori modo est contemptus legislatoris seu superioris: posteriori rei præceptæ.

129. Formalis contemptus legislatoris divini, hoc est, DEI semper est peccatum mortale. Bonac. de præcept. D. 2. q. 3. p. 5. n. 10. Palaus tr. 2. D. 2. p. 9. §. 2. n. 6. & alii. Est enim gravis irreverentia, indigna de DEO existimationem habere, etsi res, ratione cujus DEUS contemnitur, in se parva sit.

130. Quin & formalis contemptus legislatoris humani, ut talis, semper est lethalis. Bonac. Palaus. ll. cc. Suar. n. 23. & 25. Graviter enim observantiæ superioribus debita repugnat, legitimam imperandi potestatem vilipendere etiam in re alioqui modicâ: & qui superiorem contemnit ut talem, seu ut DEI vicarium, DEUM ipsum contemnere censetur juxta illud Luc. 10. qui vos spernit, me spernit. Quod si superior non ut talis contemnatur, sed ob defectum prudentiæ, eruditionis, nobilitatis &c. potest contemptus iste esse venialis, sicut detractio, murmuratio &c. Suar. n. 24. & alii.

131. Ceterum formalis contemptus præcepti tum humani, tum divini etiam in levi materia semper est mortalis. Laym. l. 1. rr. 8. c. 7. n. 4. Bonac. Palaus ll. cc. De contemptu legis divinæ in rebus etiam minimis res est certa, & concedit etiam Less. l. 2. c. 46. d. 6. n. 46. non potest enim non esse grave, despiciere quamlibet divinam legem, ceu vanam & inutilem, aut saltem minus convenientem, quam de facto sit: continet enim talis contemptus tacitam blasphemiam. Idem est de consiliis divinis. Palaus l. c. Sancius D. 7. n. 12. & alii. De contemptu legis humanæ in re levi etiam probatur: quia res levis ab eadem

potestate imperatur, à qua gravis; ergo contemnitur eadem potestas; ergo æquè graviter quis peccat, sive occasione rei magnæ, sive parvæ illa contemnatur. Accedit, quod potestas imperandi rem etiam levem æquè sit à DEO, atque potestas imperandi rem gravem juxta illud ad Rom. 13. Non est potestas, nisi à DEO: ergo cum illam contemnis, contemnis bonum ipsius DEI: ergo DEO irrogas injuriam; tacitè enim DEUM spernis spernendo ejus potestatem, juxta illud Luc. 10. jam paulò antè allegatum: qui vos spernit, me spernit.

132. Jam verò etiam aliarum personarum, quæ non sunt superiores, contemptus est ex suo genere mortalis: est enim contra justitiam; potest tamen fieri levis, ex parvitate materiæ. Palaus l. c. in fine.

133. Ad hæc formalis contemptus legis continet specialem malitiam distinctam ab illa, quam habet transgressio legis. Palaus. n. 2. Suar. n. 25. Bonac. n. 16. & alii. & adversatur modò Religioni, si sit contra DEUM, modò Pietati & observantiæ, si sit contra parentes, aut superiores; modò Justitiæ, si sit contra alias personas. Et est circumstantia contemptus formalis in Confessione necessariò explicanda. Laym. n. 2. Bonac. l. c. ipsa tamen transgressio legis taceri poterit, si sit in re levi, secus autem, si sit in re gravi. Ex his pro praxi

134. Deduces I. Eum peccare mortaliter, qui ex formali contemptu non vult sequi consilium v. g. amplecti statum religiosum; suscipere Sacramentum extremæ unctionis; aquâ benedictâ se aspergere; legem aliquam Sodalitatis, seminarii, aut Gymnasii servare &c. etsi enim consilio sine culpa non pareatur, non tamen con-

temnitur sine culpâ. Laym. n. 5. censetur autem consilium contemnere, qui id despicit ut vanum, inutile, aut saltem minùs utile, aut conveniens, quàm sit de facto. Laym. Sancius ll. cc. & alii.

135. II. Eum non peccare mortaliter, qui leve præceptum transgreditur, aut consilium negligit, quia vult ostendere, præcepta illa esse levia, & ad salutem non esse necessaria, & multò minùs consilia: hoc enim est verissimum, & in hac ostensione non potest esse contemptus; contemptus enim non est, si res juxta suam meritam aestimetur.

III. Non esse peccatum mortale, si quis nolit superiori obedire in re levi ex contemptu ejusdem, ut est quidam homo infimæ fortis, imprudens, indoctus &c. tunc enim non contemnitur ejus potestas, sed persona ob defectus, quos habet.

136. IV. Eum peccare solùm venialiter, qui in re levi transgreditur legem seu præceptum humanum ex indignatione levi, amaritudine aut affectu pravo erga superiorem; quia videlicet ipsum non vult afficere solatio, quod caperet, si ejus præcepta fervarentur. Talis enim affectus charitatem non lædit graviter. Less. n. 45. Bonac. n. 12. Sanch. l. 1. mor. c. 5. n. 12. Palaus l. c. Quòd si tamen ex tali indignatione aut animo, ne scilicet DEUM solatio afficias, aut ejus beneplacitum facias, præceptum divinum transgrediaris, aut consilium, vitam v. g. religiosam sequendi, negligas, graviter peccas: Suar. n. 23. Sancius, Palaus ll. cc. Continet enim talis actus Odium DEI, quod non potest esse leve ob parvitatem materiæ, ut omnes fatentur, & dictum sup. n. III.

137. V. Pucros, qui nolunt obedire

suis pædagogis ex quodam eorum contemptu, non peccare mortaliter; quia pædagogi non habent verâ præcipiendi potestatem, cum non sint veri superiores; contemuntur potius ut homines ob quosdam suos defectus. Eadem est ratio Praefectorum in seminarijs, & inferiorum ministrorum in Republica, seu communitate, enim religiosâ: nam & his non inest vera auctoritas præceptiva, sed tantùm executiva. Bonac. n. 11. Palaus l. c. dummodo tamen absit notabilis irrisio, & injuria personæ.

138. Odium leve erga proximum habet novies; vel: grave semel. Odium est actus voluntatis, quo alteri volumus malum, sub ratione mali: vel tristamur de bono alterius, quia bonum illius est. Est peccatum mortale ex suo genere, fit veniale ex parvitate materiæ, vel defectu advertentiæ. Bonac. de Præcept. D. 3. q. 4. p. ult. S. 1. n. 6. & alii. Leve malum est, cum quis optat alteri, ut malè agat in comœdia, aut declamatione; malè à superiore, Præceptore, hero, proximo &c. verbis aut verberibus non gravibus excipiatur: inter concionandum hæreat aqua &c. specie differt ab odio DEI: & ideo specialiter est explicandum in Confessione. Bonac. n. 10. Palaus tr. 6. D. 4. n. 5. Coninch. de char. D. 29. d. 3. n. 6. at verò mala ipsa, quæ proximo saltem sine animo inferendi tale malum, cupimus, non sunt distinctè aperienda. Bonac. l. c. Dian. p. 1. tr. 7. R. 30. & p. 3. tr. 4. R. 67. §. in Resol. 30. Tamb. in Meth. Confess. l. 2. c. 6. §. 3. n. 10. & alii: nisi fortè per accidens alia peccata Injustitiæ, Contumeliæ &c. ab odio distincta involvantur.

139. Gavisus sum de malo proximi gravi se.

vi semel: vel: *non gravi bis*. v. g. gravi detractioe famæ alienæ, morbo periculoso, morte &c. vel, quod leve est, si malè stetit in declamatione, aut concione, verbis aut verberibus à præceptore; superiore, hero, parente sicut castigatus, offensam eorum incurrit, unum ex vilissimis in schola locum occupavit, in terram viâ lubricâ prolapsus est &c. sed nec hîc opus est, ipsa mala, de quibus quis gaudet, exprimere. Tambur. n. 11. Subinde autem contingit, ut non tam de malo proximi, quàm de lepro aut mirabili modo, quo id accidit, gaudeamus: v. g. videmus proximum ex equo decidere, & graviter lædi; & ridemus, gaudemusque non tam de casu & vulnere, quàm de ridiculo cadendi modo. Et hoc si contingat, vel omnino nullum est peccatum, vel ad summum veniale, quantumvis aliqui malum sit grave. Idem evenire potest, cum ex malo proximo nobis aliquod commodum accedit, v. g. ex morte amici hæreditas, dignitas ex alterius amotione ab officio. Similiter matres excusantur, si filiarum mortem optant, quia eas ob deformitatem, aut inopiam commodè nupti non possunt tradere. Bonac. n. 7. Azor. p. 1. l. 3. c. 12. q. 2. Item excusantur, qui desiderant vel gaudent de morte peccatoris scandalosi, aut publicæ pacis perturbatoris, ob bonum commune, juxta illud, *Galat. 5.* Utinam abscindantur. Item qui desiderant punitionem malorum, à publica potestate infligendam; aut de inflicta gaudent. Palau. 11. 6. D. 4. n. 9. Less. de just. l. 2. c. 47. d. 4. n. 21. sic & judex gaudere potest de pœna delinquenti inferenda, vel illata. Bonac. n. 7. §. secundo:

& quisque actionem injuriarum prosequi potest ex amore Justitiæ. Bonac. *ibid.* cavendum tamen omnino est, ne tale quid fiat ex odio vel vindicta: ex qua, si psalmum 108. super inimicum tuum legas, peccas mortaliter.

140. *Dissipientiam & aversionem animi contra alium* (vel alios) aliquamdiu *feri bis*: quam nempe debebas, non tamen conatus es deponere. Est peccatum tantum veniale. Regulariter vel intervenit defectus advertentiæ, vel ipsa aversio tantum est modica. Bonac. n. 6.

141. *Iracundia motus non statim suppressi quinque*. Ejusmodi motus contingunt sine appetitu vindictæ, sed cum nimia animi exandescencia, & haberi possunt non tantum erga alios homines, sed etiam erga bruta, ut canem, muscam, pulicem &c. imò etiam erga res inanimatas, v. g. lignum, lapidem &c. si nobis incommodate videntur. Hi motus cum inordinatè perturbant mentem & adesse advertuntur, supprimendi sunt: sed si non supprimantur, limites peccati venialis non excedunt, nisi per externa signa, quibus præsentem graviter scandalizentur, patefiant, vel ad grave malum patrandum accendant animum. Reginald. l. 21. c. 9. n. 122.

142. *Iram contra alium* (vel alios) *gessi semel*: seu, (quod alijs verbis exprimi solet) *vindictam de proximo sumere statim semel*. Est enim ira nihil aliud, quàm appetitus vindictæ, seu actus voluntatis, quo alteri volumus malum inferre, in vindictam illatæ injuriæ vel læsionis. Potest autem vindicta esse justa, vel injusta. Justa est, cum procedit ab habente legitimam, eam inferendi, potestatem;

nec est delicto, ob quod infligitur, major aut gravior: quo sensu ira est etiam bona; juxta illud *Psalmi 4*. Irascimini & nolite peccare: & vocari solet etiam *Zelus*, cum nimirum, ut honor DEI seruetur, in delinquentes insurgimus, eisque malum inferimus: quo modo Christus flagello usus è templo ejecit ementes & vendentes. *Matth. 21*. Ceterum injusta vindicta est, cum vel innocenti desideratur malum: vel nocenti quidem, sed qui non meritis sit tantum, quantum ipsi desideratur: vel demum cum inferitur contra ordinem Justitiæ, ab eo, qui nullam inferendi habet auctoritatem. Et si hoc contingat, ira est peccatum ex suo genere mortale. Potest fieri veniale vel ex defectu plenæ advertentiæ, vel ex levitate materiæ seu mali, quod inferitur, ut cum quis ex appetitu vindictæ modicum malum alteri infert, ut qui puero aliquantum vellit capillos, quod est exemplum S. Thomæ 2. 2. q. 15. a. 3. item cum quis secum statuit adolescenti dare alapam: apud præceptorem, parentes, herum &c. accusare; officium aut obsequium leve negare, ut librum non commodare, cum illo non ambulare, abstinere ab ingressu ejus ædium &c. ob aliquam scilicet læsionem præcedentem, & in vindictam. *Reginald. n. 122. & 123.*

143. *Indignationis motum non suppressi bis.* Indignatio est actus voluntatis, quo nialè ferimus, indignis confetti bona; vel cum alterum, à quo aliquid passi sumus, vilipendimus, & indignum reputamus, à quo tale quid patiamur: & idcirco etiam non dignamur eum alloqui, proprio nomine compellare, aut aliquod benevolentia signum exhibere.

Hi motus culpæ venialis limites non excedunt, *Bonac. n. 8. Reginald. n. 126.* Nisi vel habeant conjunctum gravem ipsius personæ contemptum, vel ad grave damnum proximo inferendum concitent, vel notabile ex illa conversationis familiaris, & amicitia subtractione scandalum nascatur: tunc enim sunt peccata mortalia. *Bonac. Reginald. ll. cc.*

144. *Rancorem contra alium habiter.* Rancor est, quo quis homines, qui ad spiritualia inducunt, ut sunt Concionatores, Confessarii, & alii hujusmodi, fastidit & averfatur. Est peccatum veniale, nisi jungatur cum gravi displicentia ipsius personæ, aut odio, quo quis grave aut notabile malum deliberatè & ex animo illis desiderat. *Tolet. de 7. peccatis mortalibus cap. 70. Bonac. n. 6.*

145. *Discordiam levem (vel gravem) cum altero gessi semel.* Discordia est defensio voluntatis à voluntate alterius, *Toletus c. 11. ex S. Thoma 2. 2. q. 37.* cum enim circa unum & idem objectum unus vult, alter non vult, dicuntur discordes, id est, diversi cordis. Discordia aliquando est peccatum mortale, aliquando veniale, aliquando omnino nullum. Nullum peccatum est, cum quis alterius suadentis, consulentis &c. voluntati suam non conformat. Peccatum verò mortale est, cum est circa res, quæ vel ad honorem DEI (quales sunt res fidei) vel ad notabilem proximi utilitatem procurandam, vel grave ejus damnum impediendum spectant. Veniale denique erit, cum res non cedit contra honorem DEI, aut in grave detrimentum. Varijs virtutibus opponi potest juxta obligationem, quæ ab alterius voluntate tenemur

non

non dissentire. Et ideo si quis bonum, quod contra alterius voluntatem respuit, teneatur procurare ex charitate, etiam charitati repugnat, & est peccatum ex suo genere mortale. Bonac. §. 4. n. 2. Reginald. n. 132. Quod si verò subditus ex lege obedientiæ teneatur suam voluntatem conformare cum voluntate superioris, & non conformet, peccat immediatè contra obedientiam. Sic debitor cum ex Justitia tenetur consentire cum creditore, & dissentit, peccat contra Justitiam & sic de aliis. Reginald. n. 131. Bonac. n. 3. Quod si denique aliquis bonum, quod alter vult, omnino non teneatur amplecti, dissensio hæc voluntatum omnino non est Discordia. Ad Discordiam enim & quidem peccaminosam requiritur, ut sit circa bonum ex obligatione procurandum, & ut procedat ex animo & intentione contradicendi seu discordandi ab altero. Hic ergo animus si desit, non est Discordia; quia ratio probabilis utriusque dicat, ita volendum esse: & ideo etiam tunc nullum est peccatum. Tolet. l.c. Porro Discordia dicitur quandoque aversio animorum; sed hæc ad odium vel inimicitiam spectat.

146. *Contra parentes* (præceptorem, superiorem, proximum &c.) *in corde murmuravi semel.* Murmurat in corde contra hos, qui justam eorum reprehensionem impatienter fert, & secum ipse queritur: item qui alias eorundem actiones sine justa causa apud se reprehendit, v. g. quod huic vel illi nimium indulgeant; quod aliis nimis duri sint, & non omnibus iidem; quod nimis onerent lectionibus; pensum litterarium, laborem diurnum, tributa, debita &c. nimis se-

verè exigant, quod morosi sint & terribili &c.

147. *Invidiam erga proximum gessi sexies.* Invidia est tristitia de bono alieno. I. non quia bonum proximo est; hoc enim est Odium; grave quidem, si sit de magno alterius bono: leve verò, si sit de levi. Neque II. quia alter illo bono indignus est; hæc enim est Indignatio: bona quidem, si sit moderata, & doleas, planè indignis conferri beneficia, aut officia publica: mala verò, si bonus finis desit, & concipiatur de bono alterius præcisè, quia ipse eo indignus judicatur, ut si quis tristetur de malorum prosperitate temporali, quia indigni sunt. Non tamen hæc indignatio majus est peccatum quàm veniale: nisi eò prorumpat, ut DEUS arguatur Injustitiæ, tanquam male distribuens bona: hæc enim est Blasphemia gravissima. Neque III. ideo, quia hoc bonum in ipso est; sed quia in nobis non est, optando illud nobis. Hæc enim non est Invidia, sed Æmulatio; in studio quidem pietatis, & litterarum, aliisque rebus honestis laudanda: v. g. si quis videt socium devotum, doctum, magna virtute præditum; præmia doctrinæ & virtutis referentem; præceptori aliisque charum; negocia bene tractare; gratiâ valere apud Principem, Magistratum, æquales; frequentari alterius confessionale à pœnitentibus, iisque honorationibus; fructuosè concionari; cum plausu docere; feliciter in judiciis agere causas clientum &c. tristatur de illo bono, non quia in altero est, sed quia ipse eo caret, Æmulatio non est mala, sed tantò melior, quantò de bonis præstantioribus est. Æmulator enim non tam de bono alterius,

alterius, quàm de suo defectu, v.g. quòd ipse non sit devotus &c. tristatur: quia Tristitia in genere virtutum sancta est, & solum excitatur ob talis boni defectum, quo ipse laborat. Sic cum pueri aliorum laudibus mordentur, vel victi in lacrimas erumpunt, non quia alii excedunt, sed quia ipsi non proficiunt, æmulatio bona est: mala verò erit, si sit circa res illicitas, & quidem pro qualitate malitiæ, mortaliter vel venialiter. Hactenus dictum est, quid invidia non sit: videamus nunc quid sit. Igitur

148. IV. Invidia ab auctoribus communiter sic definitur: *Est tristitia de bono alterius, ex eo concepta motivo, non quòd illud bonum sit illius, qui id habet; sed quia per illud propria excellentia bonum minui videtur: ut si doleas & tristeris de alterius ingenio, doctrina, virtute, divitiis, honoribus &c. quia alter ea de causa tibi præfertur; neque tu amplius tanti sis, quanti antea; quòd est diminui tuam excellentiam & inde ortam tui estimationem.* In hac descriptione difficultatem reperio. Tristitia enim hæc potius est effectus Invidiæ, quàm ipsa Invidia: & ideo etiam definitio non tam formalis est, quàm causalis, utpote per effectum tradita. Sed neque tam malignæ naturæ est ea tristitia, ut nunquam possit esse honesta & licita. Sicut enim honestum est & laudabile, propriam excellentiam moderatè & debitò sine appetere (id enim charitas erga seipsum suadet, & dicitur) ita etiam honestum est, ejus excellentiæ diminutionem, tanquam aliquod nostrum malum, cum debita moderatione fugere & odisse: ad eandem quippe virtutem spectat rema-

mare, & ejus oppositum fugere & odisse. Non igitur continuo peccati reus est, quide bono alieno, ut est proprii sui boni diminutivum, dolet ac tristatur: non enim tunc dolet de bono alterius, quia bonum illius est, (hoc enim ad Odium spectat) sed ut est immediatè seu proximè causativum proprii mali: quæ est propriæ excellentiæ imminutio: sicut cum quis gaudet de alterius malo, non quia ipsius malum est, (nam & hoc ad Odium spectat & illicitum est,) sed ut immediatè & proximè causat suum bonum, v.g. hereditatem optimam ex morte patris obvenientem, non gaudet de alieno malo, sed suo bono. Sicut autem, ut omnes concedunt, citra culpam concipitur gaudium de alterius malo, non quia illius malum (hoc enim, ut modò diximus, utique est illicitum,) sed ut est immediata causa boni proprii, ita etiam absque ulla noxa tritari possum de alterius bono, non quidem, ut illius bonum est, sed sub ea ratione, quòd immediatè secum ferat meum aliquod malum: quòd equidem dum facio, non doleo de alterius bono, sed meo malo. Quòd sanè, ut dixi, est actus ad sui charitatem spectans; neque de se malus est. Quemadmodum nec ille dolor seu tristitia ex se mala est, quam quis videns divitiis in proximo concipit, non quòd proximus eas possideat, sed quòd ipse eas non habeat: qui enim sic dolet, non dolet de bono alterius, sed de sua carentia, quæ sibi mala est. Potest tamen nihilominus ea tristitia de bono alieno, ut meæ excellentiæ diminutivum est, fieri mala, si nempe sit inordinata, aut causa alicujus mali: sic nimirum & appetitus cibi,

cibi, divitiarum &c. etsi ex se malus non sit, sic tamen malus, si modum excedat.

149. V. Igitur ut, quid invidia propriè & formaliter sit, exactè explicetur, scire oportet, invidium ex quadam animi pusillanimitate bonum alterius, ut bonum illius est, falsò apprehendere, ut proximè causativum proprii mali: v.g. quòd honor socii sit meum dedecus. Dico autem: *Falsò*; si enim verè ita esset, & ego id ita, ut esset, apprehenderem, non spectaret ad invidiam: v.g. si videam meum socium promoveri ad aliquam dignitatem, quà verè & apertè indignus est; & ego apprehendam, eam promotionem cedere in meum ipsius, eum honorem verè promeriti, ignominiam, seu in excellentiæ meæ diminutionem, non ero invidiæ reus, si de eo bono trister, ut est causa meæ ignominiae: at si simile quid falsò apprehendam: v.g. si proximi mei sanctitatem, divitias, honorem, scientiam, ingenium, dexteritatem agendi in comœdiis, favorem apud præceptorem, Prælatum, parentes, herum &c. si, inquam, hæc & similia falsò & sine fundamento deliberatè apprehendam, cedere in meum dedecus, & idcirco de his bonis trister, meritò invidiæ condemnabor. Ex his ergo definiri poterit, in quonam consistat invidia. Dicit ergo invidia apprehensionem pusillam & falsam de alterius bono: non quòd invidia in eo actu solo, cùm sit intellectus, consistat (perinde ac peccatū hæresis non consistit in solo pertinaci errore intellectus) sed simul etiam in actu voluntatis, liberè eam apprehensionem admittentis: quemadmodum & hæresis, ut peccatum sit, necessariò requiritur, ut error ille intellectus à voluntate admittatur, & appro-

R. P. Stoz, Trib. Pœnit.

betur. Consistit igitur invidia in voluntaria pusillæ apprehensionis de alterius bono admissione, causativâ prædictæ tristitiæ, videlicet inordinatæ, plenæ anxietatis, & modum excedentis; verbo, inordinatæ. Ita Invidiam explicat Tambur. l. 5. in Decal. c. 1. §. 3. à n. 36.

150. Porro invidia communiter ab omnibus numeratur inter peccata, quæ sunt ex suo genere mortalia. Sed Lorca, quem refert & sequitur Tambur. n. 42. ait, eam ex suo genere esse tantum peccatum veniale; quibus ego libenter assentior: si enim invidia sita formaliter sit in voluntaria illa pusillarum apprehensionum admissione, si in deordinatione tristitiæ, nunquam, si præcisè intra hos terminos sistamus, pervenimus ad eam materiam, quæ notabiliter seu graviter lædat bonum proximi vel sui ipsius; & consequenter quæ in illo genere sufficiat ad peccatum mortale; ut contingit in furto, in quo à modica quantitate intra idem genus possumus demum venire ad eam quantitatem, quæ ad constituendum peccatum mortale sufficiat: & ideo furtum meritò inter peccata ex suo genere mortalia recensemus. Potest tamen nihilominus fieri mortale per accidens, si ex ea graves insidiæ, aut damna contra proximum, odia, detractiones &c. enascantur, ut quandoque contingit; sic nimirum & alia peccata, quæ ex suo genere venialia duntaxat sunt, possunt ob supervenientem circumstantiam graviter malam, fieri peccata mortalia, ut notum est.

§. III.

Peccata cordis contra meipsum.

151. *Acediosas cogitationes habui septies.*

T

Acc-

Acedia est fastidium rerum spiritualium, seu ad animæ salutem spectantium; seu Tristitia, quæ homini displicet bonum spirituale, ut tale, & ad hominem ipsum pertinet. Hoc verò bonum est tum ipsa beatitudo æterna, tum bona ad eam obtinendam ordinata; ut sunt gratia, præcepta divina, Sacramenta, opera virtutum, & similia, adeo ut homo ipse nolit, & fastidiat, se talis boni capax esse, & ad id ordinatum, atque ideo rerum spiritualium nauseam patiatur. Et hæc tristitia est peccatum mortale. Bonac. *de peccat.* D. 3. q. 4. p. ult. §. 3. n. 2. Tolet. *de 7. peccatis.* c. 68. Reginald. l. 17. n. 108. & alii. Unde graviter delinquit, qui vitæ ærumnis fractus deliberat & serio optat, se non fuisse natum, aut potius bestiis adnumerari, quàm hominibus. Potest fieri veniale, vel ex defectu pleni assensus, ut solet, cum suboriuntur repentinæ tristitiæ internæ, quibus plenus assensus non adhibetur: vel ex parvitate materiæ. Bonac. n. 3. Toler. Reginald. *ll. cc.* qui à peccato mortali excusant illum, qui tristatur de bono spirituali non absolutè & secundum se, sed potius ob aliquam circumstantiam temporis aut loci, ob quam opus redditur difficile, molestum & laboriosum, v. g. de Missa, vel concione audienda, adeundo Sodalitatis conventu propter frigus instans; de recitando rosario, frequentanda Confessione, comunione &c. ob recreationem, lusum, computationem &c. ea de causa omittendam; hic enim talis non committit speciale peccatum Acediæ, nec mortale, nec specialiter in Confessione exprimendum est, circa quæ bona in particulari hoc tædium sit conceptum; potest tamen quandoque esse utile; propterea potes hoc mo-

do dicere. *Acediosas cogitationes habui de missa audienda, de sacra Confessione, comunione &c. semel: & quidem cum voluntate omittendi.* Sed hæc particula tunc tantum addenda est, cum hæc opera sunt in præcepto. Quod si tædium hoc concipias de rebus spiritualibus non secundum se, tanquam nolens eas esse, v. g. concionem, missam &c. sed ut hoc loco, hoc tempore perfrigido, cum difficultate & molestia exercendis, hoc ipsum exprime dicendo: *Tædium erga missam &c. tempore (vel loco) mihi molesto audiendam habui semel.*

152. *Pusillanimes cogitationes habui sepe.* Pusillanimitas est, cum quis ea, quæ perfectionis seu virtutis sunt, non audeat exequi, timore deficiendi. Reginald. n. 109. Tolet. c. 70. Supponit apprehensionem, quæ quis omnia, tanquam magna, valde difficilia, & suam facultatem vel dignitatem excedentia concipit. Posset aliquis distinctius se explicare hoc terè modo: *Habui pusillanimes cogitationes circa statum religiosum capeendum semel: circa servandam castitatem ter: circa jejunia bis &c.* Est autem pusillanimitas ob humanam, quam fovetur, fragilitatem, ex suo genere peccatum tantum veniale. Reginald. Tolet. *ll. cc.* Potest fieri peccatum mortale, si negligantur ea, ad quæ alioqui gravi præcepto tenemur. Et tunc ipsa materia præcepta vel prohibita est explicanda.

153. *Motus impatientiæ non suppressi sexies.* Impatientia est vitium, quo quis in rebus adversis perfeendis animo deficit, & tristitiâ ex injuria, aut malo, quod sibi accidit, obortâ frangitur, & à recto deficit. Impatientiæ ergo motus sentit, qui ob aliquam adversitatem, molestiam, aut

in-

incommodum, quod sibi accidit, sentit tristitiam, quâ movetur, ut mala præsentia animo minus æquo ferat, & à decore honestatis recedat. Peccat autem, si hos motus deliberatè admittat, aut si iisdem incitatus decernat aliquid facere aut omittere, quod recta ratio dicat non faciendum esse, vel omittendum, v. g. si quis propter reprehensionem aliquam in tristitiam lapsus velit statim studia, suos labores, negotia, aut functiones etiam deserre, nolit suas lectiones dicere, suo tempore ambulare, comedere &c. Multò magis impatiens est, si etiam clanculo in ejulatus, aut suspiria nimium erumpat, aut aliàs hunc animi sui motum foris ostendat. Est autem hoc vitium peccatum tantum veniale: potest tamen fieri mortale, vel ratione scandali, vel mali, quod impatientiã victus admittit, vel admittere proponit. Less. l. 3. c. 2. d. 5. n. 41. Laym. l. 3. f. 3. n. 15. Quod si verò moderatè quis tristetur, aut etiam fleat propter aliquod malum, quod occurrit, contra patientiam non peccat, sed licitè & quandoque meritò & rectè id facit: nullo enim malo seu proprio seu alieno moveri durities cordis est, & bestialis quædam stoliditas, non tamen majus, quam veniale peccatum. Less. Laym. ll. cc.

154. *Superbis cogitationes alui quinques.* Superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. Nascitur ex consideratione & æstimatione suarum perfectionum, intelligendo hoc nomine, quidquid ullo modo ad excellentiam facit: dum enim homo suas perfectiones considerat dissimulatis imperfectionibus, videretur sibi multò excellentior, quàm sit in se, absolutè vel comparativè ad alios: sicut

merces videntur emptori esse præstantiores, si vitia non considerentur. Hinc verò nascitur amor istius excellentiæ apprehensæ, quo illa homini placet, & homo propter illâ sibi tribuit plus quàm oportet. Et hic est primus actus superbiæ in animo completus: sicut enim primus actus humilitatis est sui ipsius vilipensio, ita primus superbiæ actus est sui magnipensio, cum scilicet quis se æstimat supra id, quod est. Sed hic actus, non consistit in solo iudicio & apprehensione, sed in affectu, quo erga se tanquam magnum afficitur, & talem se quodammodo facit, qualem apprehendit. Unde superbus dicitur se ipsum inflare, tumefacere, exaltare &c. quia quartum est in se, apprehensione & affectu majorem se facit, quàm re ipsa sit. Less. l. 4. de Inst. c. 4. d. 8. n. 62. Est autem superbia ex suo genere peccatum mortale, si sit completa; qualis est, quæ excludit omnem humilitatem & subjectionem, ita ut quantum est ex se, etiam DEO præferri velit, nec ejus legi subjici. Et est peccatum gravissimum, demonibus proprium, inter homines rarum & infrequens. Less. d. 9. n. 68. Laym. l. 3. f. 4. n. 23. Veniale verò, si sit incompleta, quæ consistit præcisè in nimia sui æstimatione & amore propriæ excellentiæ: potest tamen fieri mortale ratione injuriæ erga DEUM, vel proximum, ut si sit causa violandi grave aliquod præceptum DEI, aut proximum graviter contemnendi. Less. Laym. ll. cc. Tolet. de 7. peccatis, c. 4. Navar. in Man. c. 23. n. 6.

155. *Arrogantes habui cogitationes bis.* Est autem arrogantia, cum quis plus sibi tribuit, quàm habet; & ea de causa se alijs præstantiorem æstimat scientiâ, virtute, dexte-

dexteritate concionandi, dicendi, saltandi, nobilitate, agilitate agendi in comædijs, declamationibus &c. elegantia, aliave re, quæ inter homines est in pretio. Hinc quidquid laudandum in se cognoscit quis, non laudantis seu benevolentia seu ignorantia adscribit, sed suis meritis tribuit. Est autem arrogantia peccatum tantum veniale: nec est necesse exprimere, scientiane an nobilitate &c. te alijs excellere judicaveris.

156. *Præsumptuosus habui cogitationes ter.* Præsumptio, prout hoc loco sumitur, est nimia suarum virium confidentia, qua fit, ut homo aggrediatur, vel paratus sit aggredi opus arduum, facultatem suam seu vires excedens: ut si imperitus artis medicae, corporibus; imperitus rerum ad conscientiam spectantium animis mederi audeat: si Sacerdos carens jurisdictione absolvat; Iudex laicus causas Ecclesiasticas ad forum suum trahat, examinet, & definat &c. Cum ergo vult homo dicere aut facere supra id, quod verè potest, ac si talia agendi haberet potestatem, præsumptuosus dicitur. Less. l. 3. c. 2. d. 3. n. 19. Laym. l. 3. f. 3. n. 10. *alii.* Est peccatum tantum veniale. Less. Laym. ll. cc. Fit mortale ratione irreverentia DEO inferenda, vel ratione damni, quo proximus afficitur, vel ratione periculi; ut si exponas te periculo peccandi mortaliter: v. g. si expertus sis, te sepe in peccatum mortale lapsum esse, si feminas solus fueris allocutus, adhuc velis, tuis viribus confidens, alloqui. Less. Laym. ll. cc. Est & alia præsumptio contra spem, unam ex virtutibus Theologicis, de qua supra n. 111. & seq.

157. *Ambitiosus cogitationes habui ter.*

Ambitio est inordinatus appetitus honoris. Honor autem est reverentia alicui exhibita in testimonium excellentia ipsius, maximè virtutum; quod varijs modis fieri potest, v. g. detectione capitis, genuflexione, inclinatione corporis, concessione loci honoratioris, delatione officij, v. g. consultoris, præfecti in sodalitate, urbis &c. ambitiosus ergo est, qui similia appetit vel ex re, quam non habet, v. g. ex virtute, scientia &c. quæ caret, & tamen adspirat ad officium, quo indignus est ob eum defectum; vel ex re, quam habet quidem, sed quæ mala est & illicita, v. g. ex rebellione, quod audeas resistere præceptoribus, parentibus, alijs superioribus. Est peccatum veniale: potest tamen sæpe mortale fieri, vel ratione materiae, mortaliter illicita, ex qua honore desideratur; vel ratione medij, per quod honor quaeritur; vel denique ratione nocimenti, quod quis alteri infert, ut ad desideratum honoris gradum pertingere queat. Tolet. c. 25. Laym. l. 3. f. 3. n. 11. Less. l. 3. c. 2. d. 3. n. 22. Si autem honor appetatur moderatè ex re bona seu licita, id est, non prohibita, sed permissa, nullum erit peccatum, etsi nullus alius finis, v. g. honor DEI aut proximi salus spectetur; quia per se est objectum indifferens, & tale etiam, cum actus in individuo fit, manet: nec ulla cernitur obligatio, alium finem sublimiorem extrinsecum apponendi. Less. l. c. Joan. Sancius in select. D. 4. n. 5. & multi alii, qui id colligunt ex S. Thoma. 1. 2. q. 131. a. 1. ad 3.

158. *Cogitationes vane gloria appetentes habui ter.* Vana gloria est inordinatus appetitus gloriae. Quod, ut intelligas, Nota discrimen inter famam, honorem, laudem,

laudem, & gloriam. Fama est opinio, quæ de altero, ejusque seu vitiis, seu virtutibus habetur. Ille enim dicitur habere bonam famam, qui apud alios bonam habet existimationem: unde è contrario patet, quis sit malæ famæ. Quid honor sit, paulò antè dixi. Laus est termo manifestans alicujus excellentiam; laudamus enim, cum alicujus excellentiam manifestamus, & extollimus. Gloria est clara cum laude notitia, seu, est fama cum laude conjuncta. Less. n. 23. Porro appetere gloriam, non est ex se malum, ut de honore dixi, sed indifferens, sicut appetere pecunias, quod malè vel bene, id est, non illicitè fieri potest. Cum igitur appetitus gloriæ est inordinatus, vitium est, & est vana gloria. Inordinatus autem erit, cum gloria queritur ex re illicita, v.g. ex homicidio, stupro &c. vel ex falsa & ficta, ut si queratur ex doctrina, quæ tamen non habetur; ex virtute, quam quis non habet, simulat tamen eam se habere; vel ex re, quæ non est digna gloriâ, vel non tantâ, v.g. ex opibus, nugis, jocis, nobilitate; vel demum apud eos, qui non bene de re judicant, aut judicare possunt, ut si coram plebe imperita disputes de altissimo SS. Trinitatis mysterio, & difficultates circa id occurrentes enodare velis. Est peccatum ex se veniale. Et tale est, etiam, cum res quamcunque sacræ sunt principaliter ob vanam gloriam, v. g. cum Sacramenta administrantur vel recipiuntur, Sacrum celebratur, &c. Sanch. l. 1. Mor. c. 3. n. 1. & alii: Potest fieri mortale, ut de ambitione dictum, sup. n. 157. Laym. n. 12. Less. n. 24. Navar.

c. 23. n. 12. Tolet. c. 7. Ex dictis autem breviter

159. Patet, ex quo differant superbia, præsumptio, ambitio & vana gloria, quia etsi hæc omnia excellentiam intendant, superbia tamen ipsius personæ, præsumptio functionis, ambitio dignitatis, vana gloria famæ excellentiam spectat. Less. l. 4. c. 4. d. 8. n. 60.

160. Nota, Cogitationes arrogantes, ambitiosas, vanæ gloriæ cupidas & superbas quandoque nomine *vanarum cogitationum* exprimi. Dicuntur enim vanæ cogitationes, quæ ubique propriam, sed inanem excellentiam spectant; ut quæ versantur circa inanem mundi gloriam, vel circa honorem, futuras spes &c. v.g. si tibi in mente representes divitias, honores, splendidas vestes, lauta convivia, à te ad splendorem & pompam exhibita, vel exhibenda &c. aut si tibi imagineris, te esse insignem in aliqua scientia, v.g. Theologica, vel arte v.g. sculptoria, musica &c. excellere alios formâ, nobilitate, elegantia agendi in declamationibus, saltandi &c. hæc, inquam & talia, si tibi cogitatione representes, & iis delecteris (sive quasi in præsentibus, sive aliquando futuris) quatenus aliquam excellentiam videntur tribuere honoris vel gloriæ &c. diceris habere cogitationes vanas, quæ possunt esse illicitæ, si modus, quo eas foves, sit inordinatus. Non est tamen necesse hæc in particulari explicare, sed sive habueris cogitationes superbas, sive ambitiosas &c. satisfacis, si te (modò nulla alia nova malitia gravis accedat,) in Confessione in hunc ferè modum accules,

cufes, dicendo : *Vanas habui cogitationes sexies.*

161. *Pertinax fui ter.* Pertinacia est vitium, quod ad intellectum spectat, & est firmior, quàm res ipsæ vel argumenta mereantur, animi adhæsio in propria sententia, & agendi proposito. Est peccatum ex se veniale: fit verò mortale, si sit in rebus graviter perniciosis proximo, v. g. in rebus ad conscientiam, medicinam, aut iustitiam pertinentibus: vel in rebus contra honorem DEI, quales sunt, quæ ad fidem spectant: Less. l. 3. c. 2. d. 6. n. 4. Tolet. l. c. Laym. n. 16. & alii.

162. *Avaras cogitationes habui bis.* Avaritia est inordinatus appetitus divitiarum. Nascitur ex æstimatione pecuniarum. Nascitur enim quis æstimat divitias (quo nomine intelliguntur bona temporalia, seu res quælibet prærio æstimabiles) oritur in voluntate eas vel retinendi, vel acquirendi amor, qui si sit nimius & immoderatus, constituit peccatum avaritiæ; quod ex se est tantum veniale; fieri tamen potest mortale, vel ratione iniusti damni, quod proximo infertur; vel ratione intentionis, ut si adeo ames pecunias, ut earum causam paratus sis transgredi legem DEI aut Ecclesiæ graviter obligantem. Less. l. 2. c. 47. d. 8. n. 59. Laym. n. 14. Tolet. c. 25. Navar. c. 23. n. 70. & alii.

163. Explicandum hinc quoque diligenter est secundum speciem & numerum, si quid cogitatione contra castitatem peccatum sit. Si dubium aliquod occurrat, sincerè & sine verecundia de eo Confessarius est interrogandus. Quoniam autem circa cogitationes de rebus turpibus

frequentior oriri solet difficultas, ideo circa eas breviter ex Tambur. l. 10. in Decal. c. 3. §. 8. à. n. 6. hæc accipe. Itaque an voluntaria admissio turpium cogitationum omni culpa vacet, ex fine, ob quem eæ cogitationes concipiuntur & admittuntur, dignoscendum est. Si enim finis, ob quem voluntariè foventur cogitationes turpes, seu circa objecta turpia & castitati opposita, honestus sit, etiam cogitare turpia, & delectari de ejusmodi cogitatione, non est illicitum. Sic enim Theologus, dum circa hanc materiam lectionem parat, innoxie cogitat & speculatur turpia & de ipsa hac scientia delectatur. Idem est de concionatore: nam & hic est expertus culpæ, dum futuram concioni intentus cogitat turpia, & de hac ipsa cognitione delectatur. Alioquin tandem nec DEUS, nec Angeli ab omni culpa excusari possent: nam & hi turpia cognoscunt cum delectatione & gaudio circa ipsam cognitionem in se: iis enim objecta utique semper displicent. Itaque cogitare de re turpi ob finem bonum, v. g. parandam concionem, lectionem &c. non est illicitum. At si quis velit cogitare de re ipsa turpi ob finem malum, propter ipsam nimirum delectationem, quæ est in ipsa re turpi, v. g. in copula, vel cogitatione relata ad copulam, tunc enim verò alere & fovere ejusmodi cogitationes, illicitum est.

164. Jam verò an quis de ipso objecto malo delectetur, v. g. de copula, an verò de cogitatione relata ad copulam, vel de mera ipsa cogitatione, quæ, ut dixi paulò antè, est in ipso etiam DEO & Angelis, arduum est definire: traduntur

duntur tamen hæ regulæ. Quarum I. est, attendendum esse finem, ob quem admittuntur hæ cogitationes: si enim is honestus sit, v.g. ut concionem futuram adornes, discas modum medendi morbis in partibus inhonestis &c. præsumeris velle solam delectationem meræ cogitationis, & ab omni culpa excusaberis. II. videndum, an te reflectas super ipsam cogitationem, ipsam volendo: si enim ad illam implicite & quasi in actu exercitio reflectas, signum est, te potius objectum velle, quam meram cogitationem de objecto. III. videndum, an si aliarum rerum non malarum eventus, causas, artificia &c. consideres, æquè de iis delecteris, atque si cogites de rebus obscenis: si enim hæ plus te delectent, signum est affectus pravi; si æquè de utrisque cogitationibus delecteris, signum est affectus non mali. Vide, quæ dicemus infra, de turpi termine, scilicet in descriptione & lectione.

165. Ex his jam apparet, quàm parùm rectè se accusent de turpibus cogitationibus, qui dicunt præcisè, *se habuisse turpes cogitationes*. Vel enim ob finem bonum admittuntur, vel ob malum. Si prius; omni omnino culpâ vacare jam omnibus est exploratum: si posterius; rursus habentur vel inadvertenter, aut voluntate profusus retinente; vel semiplenè advertenter; vel denique plenè advertenter, & voluntate approbante. Si I. nullum est peccatum, ut rursus omnes nôrunt. Si II. veniale est. Si III. mortale: quod ut rectè explicetur, attendendum est, an voluntas in ea cogitatione sit morata, ita ut non habuerit adjunctum efficax desiderium perpétran-

di opus cogitatum: an verò simul etiam conceperit tale desiderium. Si enim prius acciderit, vocatur *simplex complacentia*, seu *delectatio morosa*; non quòd ad eam requiratur aliqua mora temporis, sed quòd post plenam malitiæ advertentiam voluntas eam non repellat, sed in ea persistat, eam approbando, seu consentiendo; quod in momento fieri potest.

166. Ceterum *Delectatio morosa* circa objectum turpe seu venereum est peccatum mortale, nec potest fieri veniale ob parvitatem materiæ. Dian. 3. p. tr. 5. R. 2. prout refertur in Summa V. *Delectatio. n. 5*. Nulla differt specie ab altera: voluntas enim per eam delectationem non semper tendit in objectum, ut est à parte rei, sed ut proponitur ab intellectu; ergo si proponatur præcendendo à personæ, in quam tendit, statu v.g. conjugali, libero à vinculo voti, circumstantiâ consanguinitatis &c. diversam ex diversitate istorum statuum malitiam non contrahet. Vasq. 1. 2. T. 2. D. III. & 112. Ariaga. 1. 2. tr. de peccat. D. 47. s. 4. subs. 3. n. 28. Tamb. l. 2. c. 7. §. 1. n. 2. Dian. p. 1. tr. 7. R. 48, & p. 2. tr. 3. Miscell. R. 34. & p. 3. tr. 4. R. 67. §. in Resol. 48. & alii non pauci, quorum sententiam Bonac. de Matrim. q. 4. p. 8. n. 19. reputat probabilem; juxta quam proinde satisfacit, qui de hac delectatione se in hunc modum accusaverit: *Turpi cogitatione morosè delectatus sum bis*. Quamquam consultum est, ut objectum ipsum, seu qualitas personæ, circa quam fuit delectatio, sic explicetur: *Turpi cogitatione delectatus sum bis circa feminam solutam: vel circa conjugatam semel: vel circa adolescentem alium ter &c.*

167. Imò si cogitatio feratur in personam non in abstracto, sed quali in concreto, ut persona est conjugata, vel consanguinea, vel voto castitatis obstricta &c. necessarium omnino est, ut status iste dicto modo explicetur. Sed & si personæ, quæ morosè delectantur de re venerea, aliæ sunt omnino solutæ, aliæ conjugatæ, aliæ voto castitatis obstrictæ, specie inter se different istæ ab ejusmodi personis haustæ delectationes; & specialiter idcirco sunt in Confessione exprimendæ juxta dicta suprâ p. 1. n. 50. Nam prima delectatio repugnat soli castitati, secunda etiam Justitiæ, tertia Religioni. Diana cit. R. 34. ex communi. Nec excipiendi hinc sunt conjuges, si morosè delectentur circa personam non suam seu alienam, matrimonio sibi non junctam. Bonac. n. 19. & alii ex communi fidelium sensu & praxi. Quanquam Dian. p. 9. tr. 6. R. 4. oppositum vocat probabile.

168. Jam verò si delectatio morosa ita contingat posteriori modo, de quo sup. n. 166. id est, si cum cogitatione conjunctus sit animus efficax seu serius de ipso opere patrando, necessarium omnino est, ut etiam qualitas & conditio objecti seu personæ, erga quam conceptum est turpe illud desiderium, exprimat in hunc ferè modum: *Bis habui voluntatem efficacem peccandi* (exprimat species peccati) *cum tali persona*. Conditio personæ hic est explicanda, sicut suprâ p. 1. n. 56. circa circumstantiam *Quid* notatum est.

169. Monendus est hic pœnitens, circumstantiam, quæ juxta dicta subinde peccata, ex se alioqui venialia tantùm, transfert ad genus peccatorum mortalium,

vel e contra, specialiter esse explicandam in Confessione, adjecta hac vel simili particula pro ratione peccati: *Graviter, vel leviter: plenè vel semiplenè deliberatè: quod nos facere omisimus, ne nimis frequens istarum particularum repetitio, molesta esset.*

ARTICULUS II.

Peccata oris.

Hæc sunt, quæ ore ac verbo perficiuntur, & complentur: & ipsa quoque rursus sunt contra DEUM, vel proximum, vel ipsum peccantem.

§. I.

Peccata oris contra DEUM.

170. *Blasphemavi quinquies; & quidem cum plena advertentia: vel sine plena advertentia.* Blasphemia directè opponitur laudi DEI, & est convitium seu verbum contumeliosum contra DEUM, vel Sanctos. Less. l. 2. c. 45. d. 5. n. 24. Potest autem istud verbum, seu, quod idem est, locutio esse vel interior, & sic erit blasphemia cordis, vel exterior, & est blasphemia oris: & potest etiam fieri scripturâ vel instrumento musico: omnibus enim his modis usitatum est hominibus loqui. Si fiat aliis signis, qualia fuerunt, cum Judæi sputo fœdabant Christi faciem, vel abant, alapis cædebant, inter latrones crucifixerunt, non erant propriæ blasphemie, Sanch. l. 2. c. 32. n. 5. quia non erant injuriæ verborum, sed factorum, neque consistebant in injuriôsè loquendo, sed ipsius personam malè tractando: quanquam etiam tunc multæ veræ

veræ blasphemiæ intercurrerint. Porro blasphemia alia est *hæreticalis*, quæ nimirum falsitatem contra fidem continet; dum aliquid tribuitur DEO, quod ipsi non convenit; ut, DEUS est injustus: vel aliquid negatur, quod ipsi convenit; ut, DEUS non habet curam pauperis; humana non videt, vel non curat &c. Bonac. *de peccat. D. 3. q. 8. p. 1. n. 2.* id quod si etiam mente pertinaciter teneas & affirmes, erit non solum hæreticalis, sed etiam hæretica. Alia *simplex*: & quidem rursus vel I. enuntiativa, ut: ad injuriam, ad despectum DEI hoc faciam; vel II. detestativa seu imprecativa, ut: pereat DEUS; maledictus sit DEUS; tædeat DEUM; displiceat DEO &c. vel III. irrisoria, ut: vah! qui destruis templum DEI. Vah! quàm adest DEUS ipsum invocantibus, colentibus &c. vel IV. Juratoria, ut: pereat DEUS, si non ita est, vel erit.

171. Rursus blasphemiâ committitur vel I. dum aliquid tribuitur DEO Sancti sive, quod ipsis non convenit; ut: DEUS est crudelis; Sancti DEI sunt impudici, superbi &c. vel II. dum aliquid iisdem negatur, quod ipsis convenit, ut: DEUS non est justus; misericors &c. nescit, quid in terris agatur; Mater DEI non est Virgo; S. Petrus non fuit Vicarius Christi &c. vel III. dum aliquid tribuitur creaturis, quod DEO debetur: ut Dæmon est DEO fidelior, potentior &c. vel IV. dum vera quidem dicuntur, sed quæ tendunt ad DEI Sacramento-rumve dehonorationem seu vilipensionem, ut, si per modum contemnentis, indignantis &c. usurpentur injuriosè membra Christi & Sanctorum, vel alia,

R. P. Stor. Trib. Penit.

quæ ad ipsos singulariter pertinent, dicendo: *perdat te DEI Sanguis, Vulnera, Mors, Passio &c. dehonestet te DEUS, daß dich Gott schände / perdant, dehonestent te Sacramenta DEI, Chrisma &c. daß dich die Sacrament schänden &c.* Talis blasphemia fuit, cum Judæi dixerunt: *Ave Rex Judæorum*, vel Julianus apostata: *Vicisti Galilæe &c.* irrisoriè enim & contemptim hæc dixerunt. Possunt autem prædictæ blasphemiæ proferri vel per exclamationem, v. g. *ô injustum! ô mendacem & infidelem DEUM!* &c. idque iterum vel cum interno assensu animi, vel sine illo: si nimirum & tibi contumeliam inferre possum, vel exclamando: *ô te furem, ô nequam &c.* vel enuntiando, *tu es fur, nequam, satro*: sive jam verè in animo ita de te judicem & sentiam, sive non. Videri potest Bonac. *D. 3. de peccat. q. 8. p. 3. à n. 1.* Tamb. in *De cal. l. 2. c. 6. §. 4. n. 2. & 3.* Sanch. *l. 2. c. 32. à n. 10.*

172. Ceterum quocunque modo offeratur blasphemia, alia est formalis, & directâ, alia materialis, indirectâ & interpretativa. Formalis est, quæ fit expressâ intentione & animo DEUM in se, vel in Sanctis suis inhonorandi, contemnendi, vilipendendi &c. hæc rarè datur in hominibus, nisi sint extremæ malitiæ. Materialis est, cum verba blasphemia proferuntur sine dictâ intentione, cum advertentiâ tamen, ea esse contumeliosa DEO, seu talia, quæ cedant in contemptum & vilipensionem DEI. Alii blasphemiam materialem vocant, quæ profertur in amentia, ebrietate, somno, aut aliâ omnimodâ inadvertentiâ, ortâ v. g. ex inveterata consuetudine blasphemandi.

U

di.

di. Sed non rectè, quia in tali statu, non habet ullam noticiam aut advertentiam, quòd verba, quæ profert, sint DEO contumeliosa: quòd tamen requiritur ad malitiam blasphemiam; sicut & perjurii & hæresis; neque enim rationabiliter quis censet se contumeliâ affici ex convitio dicto à psitraco. Et ideo, talis contumelia, nimirum in ebrietate, somno &c. prolata, non est peccatum, nec in se, ut constat, nec in sua causa; quia talis causa, id est, ebrietas, somnus &c. causabit verba nõ utentis ratione, nec advertentis aut advertente potentis, talia verba esse DEI inhonorativa: Tamb. l. 2. c. 3. §. 3. n. 25. Lugo de pœnit. D. 16. f. 4. §. 7. n. 207. & 212. Nihilominus tamen isti omnes gravi reprehensione digni sunt propter ejusmodi verba prolata, non quòd illa verè & formaliter peccata sint, sed quòd sæpe sint mali effectus peccatorum, v. g. ebrietatis, inveteratæ quidem sed voluntariæ consuetudinis, quam idcirco etiam tenetur homo auferre, si videat eam esse causam consequentium verborum, quæ in se sunt verè contumeliosa. Laym. l. 4. c. 6. n. 3. & Lessius mox citandus n. 31. Lugo in simili n. 203. ab eodem relatus.

173. Est autem blasphemia tam formalis, quàm materialis peccatum mortale: neque unquam potest fieri veniale, nisi ob solius advertentiam plenæ defectum in subita animi commotione, aut inveterata consuetudine. Sanch. l. 2. Mor. c. 32. n. 40. Et hic defectus cum frequentissimus sit, inde fit, ut ejusmodi verba rarò contineant malitiam gravem, cum vix unquam ex plena advertentia ad DEI contemptum aut rationem contumeliæ in DEUM

proferantur. Dian. in sum. V. blasphemiam. n. 5. & 6. Less. l. 2. c. 45. d. 5. n. 32.

174. Sed enim occasione istorum occurrit Quæstio jam diu dubia, semel tamen decidenda tandem; an videlicet fati sit in Confessione se accusare solum de ipsis blasphemis, nihil dicendo de consuetudine, ex qua ea tanquam ex causa promanant: an verò necessarium sit, etiam ipsam consuetudinem exprimere, dicendo, *blasphemavi ex consuetudine*. Equidem totum hoc pendet ex alia Quæstione: an videlicet, qui ejusmodi prava consuetudine laborat, ejusque recordatur, teneatur eam sub novo còque diverso ab eo, quo v. g. blasphemat, peccato extirpare: sive, quod eodem recidit: an consuetudo peccandi ipsa sit peccatum, & ut tale devitandum.

175. Affirmant Bonac. de Juram. q. 1. p. 13. n. 5. Sanch. l. 3. Mor. c. 5. n. 11. Suar. de Juram. l. 3. c. 6. n. 6. Palaus tr. 14. de Juram. D. 1. p. 9. n. 4. & alii: talis enim consuetudo sæpe est occasio verè ac formaliter blasphemandi: ergo qui illam, cum potest, non conatur evellere, censetur velle blasphemiam tanquam effectum in sua causa.

176. Sed contrarium tenent Joan. Sanchius in select. D. 9. n. 5. & 6. Tamb. in Meth. Confess. l. 2. c. 1. §. 5. à n. 2. secuti Valquez. T. 4. in 3. p. 991. a. 1. d. 3. n. 3. & eos, qui absolute docent, consuetudinem, ex qua quis peccavit, non esse necessariò specialiter explicandam in Confessione. Hi verò sunt Suar. de pœnit. D. 21. f. 4. n. 15. Reginald. l. 6. n. 38. & alii, quos refert & sequitur Bonac. de Sacram. D. 5. q. 5. f. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 22. quibus

bus adde Dianā, p. 17. 7. de circumstant. R. 15. & 55. At si esset ipsa peccatum, confitenda utique foret. Ratio verò pro hac benigniori, & amplectenda sententia est: quòd non idem sit occasio peccandi, & consuetudo: quòd bene notat Sancius n. 5. referens. Suar. T. 2. de Relig. tr. 4. de Juram. l. 3. c. 8. n. 9. Sanch. c. 5. n. 16. & l. 2. c. 32. n. 45. & alios. Et licet sit occasio peccandi, non tamen est extrinseca, ut retentio v. g. concubina, sed intrinseca; nec voluntariè assumpta aut retenta, quæ sola, etiam cum intrinseca est, vitanda est & extirpanda: nemo autem, qui frequenter in eandem culpam labitur, advertit, & consequenter nec vult habitum seu consuetudinem ex frequentatis actibus consurgentem; ergo talem habitum nec directè, nec indirectè voluntariè recipit, aut retinet: nullum enim voluntarium est sine cognitione. Aliud est, si quis habitum illum v. g. blasphemandi expressè vellet retinere, ut majorem haberet peccandi facilitatem: tunc enim utique perversa illa voluntas novum esset peccatum. Sed nemo, nisi exquisitè malus, tam perversam habet voluntatem: nec de hac disputatio est; sed an, si quis non curet, seu negativè se habeat ad extirpandum, committat novum peccatum à blasphemia v. g. distinctum: quòd nos negamus: quòd nulla sit obligatio extirpandi talem habitum, maximè cum ex se non tam peccatum, quàm effectus peccati præteriti sit. Sed licet sit obligatio extirpandi talem habitum, ea tamen est inclusa in ipsa obligatione non peccandi, & cum illa moraliter confunditur, non enim in moralibus tam subtiliter, aut etiam

amare agendum est, ut una ex his obligationibus censeatur esse diversa ab altera; sicut econtra judicatur illa externa & voluntariè assumpta ac retenta occasio v. g. de concubina.

177. Maneat ergo, puram illam negligentiam extirpandi dictam consuetudinem non esse novum, saltem numero peccatum, nisi cum expresso actu haberi, aut retineri (quòd tamen est rarissimū) intenditur: id quòd bene notandū est. Inde enim deducitur, inveteratam consuetudinem, seu advertenter, seu inadvertenter blasphemandi (idem est propter paritatem rationis de inveterata consuetudine pejerandi, fornicandi aut quacunque alia simili contracta) non esse in Confessione necessariò explicandam, sed factis esse, si dicatur: *blasphemavi quinquies* &c. ut Tamb. n. 21. tradit. Interim tamen utique Pœnitentes à Confessarijs graviter sunt monendi, & seriò urgendi, ne dicam, cogendi, ad ejusmodi pravas consuetudines positivè evellendas. Ex quibus obiter

178. Patet, Joannem Sancium non esse gravi reprehensione dignum, cum in se lect. D. 9. n. 6. dixit, pœnitentem non esse obligatum ad exponendam in Confessione consuetudinem, ne alioqui bis teneatur idem peccatum confiteri. Hinc quidem ille etiam voluit, nec Confessarium habere jus interrogandi de consuetudine peccandi: quòd ante ipsum jam olim docuit Fagundez. suprā p. 1. n. 91. relatus, qui licet istuc loquatur de peccatis ritè jam semel expiatis, id ipsum tamen, ut doctrinæ consequentiam teneat, dicere debet de voluntaria peccandi consuetudine. Sed hæc illatio & doctrina

jam non ampliùs subsistit, cum inter 65. propositiones à S. D. N. Innoc. XI. 4. Mart. An. 1679. damnatas sit hæc 38. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

179. Jam verò sunt, qui suas blasphemias aliter conentur excusare à peccato mortali. Ajunt enim, illis verbis uti se vel adjocem, vel aliud non intendere, quàm usurpare tanquam interjectiones, significativas iræ suæ. Verùm hi non sunt ulla ratione excusandi: tum quia alicui Regi aut alteri magno ac honorato viro contumeliam dicere, etiam ex solo joco, gravis est inurbanitatis & irreverentiæ: Navar. *Man. c. 12. n. 84.* nisi fortè jocus tollat omnino & animum inhonorandi DEUM, & ipsam illius inhonationem, Sanch. *l. 2. Mor. c. 32. n. 41.* quod tamen rarò admodum contingit: tum quia æquè possunt se alluere ad alia verba, iræ & seriæ voluntatis significativa: tum quia etsi id non possint, non videtur tamen licere, usurpare ea verba, quæ communi aliorum apprehensione sunt inhonorativa DEI. Etsi enim tunc non essent propriè blasphemias, spectarent tamen ad genus Irreligiositatis, *c. 5. Deuter. prohibita: non usurpabis nomen Domini DEI tui frustra*; sed esse peccatum tantùm veniale, ajunt Sanch. *l. 2. c. 32. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 6. n. 8.* ratione tamen scandalii fieri potest, & frequenter fit peccatum mortale: & ideo ab ejusmodi Irreligiositate meritò homines absterrentur. Quòd si verò quis in ira contra hominem, jumenta &c. non indignando DEO, sed homini tantùm aut jumento, nudè nominet Vulnere, mortem DEI, septem Sa-

cramenta, v. g. *ò mors DEI! ò Vulnere! Chrisma &c.* sine ijs circumstantijs, quibus vilipensio importatur, non sunt blasphemias, sed ut paulò antè dixi, vana usurpatio Divini Nominis, & peccatum inter venialia grave, Laym. *n. 12.*

180. Sicut autem omnes simplices blasphemias, sive in DEUM, sive in Sanctos cum respectu ad DEUM, hoc aut illo modo, irrisorio, detestativo, imprecativo proferantur, ejusdem speciei. Laym. *l. 4. tr. 10. c. 6. n. 10.* Tamb. *l. 2. c. 3. §. 2. n. 19.* Sanch. *n. 38.* & alij plures ab hoc relati. Et ideo nec Confessarius tenetur diversitatem blasphemiarum inquirere, nec pœnitens explicare; quantumvis una sit alterà longè gravior, & detestabilior, juxta dicta de necessitate confitendi circumstantias merè aggravantes *p. 1. n. 86.* Dixi autem *Simplices*: possunt enim blasphemias aliunde differre specie, v. g. si vel proferantur ex formali odio DEI, vel contineant hæresim; in utroque enim casu contrahunt novam malitiam, in Confessione specialiter explicandam: in priori quidem malitiam Odij; in posteriori verò hæresis & infidelitatis, siquidem accedat internus assensus hæreticus: imò etsi internus hic assensus & error non adsit, adhuc blasphemias hæc speciei differet ab alia, non quidem in ratione blasphemias, sed ratione adjunctæ hæresis externæ, quæ in ea continetur, & directè opponitur præcepto de externa fidei professione. Sunt ergo duo præcepta speciei distincta, diversis virtutibus opposita, unum quidem fidei, alterum verò Religionis. Sanch. *n. 38.* Suar. *T. 1. de Relig. tr. 3. l. 1. §. 6. n. 8 & 18.* Igitur ut blasphemias rectè explices, sic

reaccusa : Prorupi in blasphemiam simplicibus : vel in hereticalem semel : vel ex formali odio DEI semel.

181. Quodsi verò contumeliæ in Sanctos directè jaciuntur (quod tamen rarò fit : ordinariè enim Sancti non inhonorantur propter propriam ipsorum excellentiam, sed quia ad DEUM, velut amici, specialiter referuntur) sine omni respectu ad DEUM, ut nimirum ipsi in se sunt personæ excellentes, proprio honore dignæ ; non sunt propriè dictæ blasphemias, & idcirco distinguuntur quidem specie è blasphemia, non tamen inter se, in quoscunque Sanctos, exceptâ solâ sanctissimâ Virgine MARIA, conferantur, ut adeo in Confessione neque Sancti, nec contumeliæ in ipsos jactatæ exprimi debeant specialiter, cum omnes sint contra unam, & eandem virtutem Dulciæ, specie à Latria soli DEO debita distinctæ. Laym. l. c. & alii. Dixi : Exceptâ solâ : &c. quia huic debetur Hyperdulia, quæ si specie differat à Dulia (ut differre docet Arriaga de incarnat. D. 54. f. 3. n. 30. siquidem sumatur, ut fundata est in titulo Maternitatis DEI) etiam contumeliæ in eam Sanctissimam Virginem sparsæ differunt specie. Si autem Hyperdulia sumatur, ut præcisè fundamentum habet in gratia, aliisque donis supernaturalibus, specie non differt à Dulia, sed solum secundum magis & minus, adeò, ut sicut B. Virgo ceteros Sanctos sanctitate antecellit, ita etiam altiori cultu in hoc gradu digna est : ut adeo quò sanctior est ipsa reliquis Sanctis, & Sancti inter se comparati alius alio sanctior, ita etiam contumelia contra eos una est altera gravior :

cumque excessus iste sit tantum circumstantia aggravans, nec ipsa contumeliæ, nec ipsi Sancti in hac consideratione specialiter explicari debent juxta ea, quæ diximus supra cit. n. 86. ideo satis est in Confessione dicere : *Contumeliam in Sanctum vel Sanctos sparsi semel.* Quodsi autem in B. virginem prout est Mater DEI jaciatur, dicendum erit : *B. Virginem, ut Mater DEI est, contumeliâ affeci semel.* Sunt nihilominus istæ contumeliæ in sanctos sub hac ratione spectatos graviter malæ, maximè si contemptim, vel ex odio, vel indignatione contra ipsos proferantur. A mortali tamen excusari possunt, si, secluso contemptu, ex toto joco procedant : ut, si jocosè sine contemptu in Sanctos, præcisè ut homines fuerunt, jaciuntur : v. g. si dicas, S. Petrum fuisse Piscatorem ex infima sorte hominum ; S. Mariam Magdalenam fuisse publicam peccatricem ; SS. Crispinum, & Crispinianum exercuisse artem tutoriam. Bonac. de peccat. D. 3. q. 8. p. 3. n. 6. Sanch. n. 47. Reginald. l. 18. n. 198. & alii. Hæ ergo contumeliæ, si in Sanctos directè præcisè, ut homines fuerunt in terris, conjiciantur, sic in Confessione sunt exprimendæ : *Contumeliam in Sanctum, (vel Sanctos) sparsi semel, idque ex odio (vel, contemptu) erga ipsum (vel : ipsos) vel : non tamen serio, sed ex joco tantum : vel sine plena advertentia.* Quodsi autem in B. Virginem, prout est Mater DEI, sic erit dicendum. *B. Virginem, ut est Mater DEI, contumeliâ affeci semel.* Nisi fortè cum B. Virgo in hac consideratione singularem habeat ad DEUM respectum, expeditius placeat dicere :

cere : *Blasphemavi semel* : Nam contumelia hæc verè est blasphemia in DEUM, & à ceteris specie non distincta.

182. *Juravi sine necessitate semel* : ex mera consuetudine, decies : ex subito motu ira ter : ex animi levitate ac precipitantia quadam bis. *Falsum juravi semelcum plena advertentia* : id est, sciens & bene animadvertens esse falsum. Est peccatum mortale ; sine plena advertentia v. g. in subito iræ motu, timore, animi perturbatione, precipitantia &c. est veniale. *Juravi bis, me rem venialiter* (vel mortaliter malam), *facturum, Juravi execratorie semel*. Juramentum est Divini Nominis invocatio in testimonium alicujus dicti. Consistit hæc invocatio, non in eo, ut DEUS statim & re ipsa tuo dicto fidem præbeat, & auctoritatem præstet (hæc enim esset tentatio DEI, utpote petitio rei insolitæ sine sufficienti causa) neque etiam, ut post hanc vitam dictorum sit testis : (hæc enim petitio esset vana & inutilis ad faciendam fidem, cum notum sit, DEUM tunc illuminaturum abscondita tenebrarum, & manifestaturum consilia cordium juxta S. Paulum 1. *Corinth.* 4.) sed vocare DEUM, ut dictis tuis testimonium præbeat, quando id sibi placuerit, sive in hac, sive in altera vita ; sive jam statim, sive post longum tempus. Less. l. 2. c. 42. d. 1. n. 2. Palauz 11. 14. de *Juram.* D. 1. p. 1. n. 10. & *reliqui communiter*. Et potest hæc invocatio fieri dupliciter. I. expresse, cum DEUS in seipso invocatur, ut si dicas : *juro per DEUM ; testor DEUM ; DEUS sit meus Testis &c.* II. implicite, quando videlicet non invocatur in se ut

testis, sed in aliqua creatura, insignem aliquam dignitatem habente à DEO, ita ut ratione illius peculiari quodam modo memoria DEI, vel ejus perfectionum v. g. bonitatis, misericordiæ, potentia &c. in nobis excitetur : ut si dicas : *juro per Sacramenta, per Crucem, per Sanctos, per B. Virginem, per animam meam, per Evangelium, per Cælum, per Elementa &c.* Hoc jurandi modo nius est Moyles Deuter. c. 3. & 4. cum dixit : *Testes invocacalum & terram*. Et Christus *Matth.* 5. facit mentionem juramenti per cælum, quia thronus DEI est ; per terram, quia est scabellum pedum ejus &c. dum verò hoc modo juramus non volumus, creaturas ipsas in se absolute spectatas esse nobis testes infallibiles (hoc enim ad blasphemiam spectaret, imò & ad idolatriam) sed DEUM, qui in ipsis singulari modo residet, ut Christus ipse explicavit, *Matth.* 23. quicumque, inquit, juraverit in Cælo, jurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso &c. Et ideo, quò id, in quo DEUS relucet, præstantius est, eò etiam juramentum majus est. Majus ergo juramentum est, jurare per B. Virginem, quàm per alios Sanctos ; aut per Sanctos, quàm per elementa &c.

183. Præter multas & varias juramenti divisiones, una est celebrior, quæ ad propositum nostrum facit : nempe in juramentum assertorium, & promissorium. Assertorium est, quo confirmamus id, quod asserimus vel negamus ; & respicit præsens & præteritum : ut si jures aliquid esse, vel non esse, quod asseris, v. g. te non habere librum, pecuniam, quæ petitur ; Petrum esse hominem doctum, ebri-

ebriosum, detractorem, mendacem; commississe homicidium, blasphemiam protulisse, audivisse sacrum, confessum esse &c. Tale juramentum est illud Pauli ad *Galat.* 1. Ecce! coram DEO, quia non mentior. Promissorium est, quo confirmamus id, quod promittimus; & respicit futurum: ut si jures, te aliquid facturum, vel non facturum v.g. te daturum eleemosynam, auditurum sacrum, commissurum furtum, homicidium &c. non oraturum, non dicurum mendacium, non ambulaturum cum tali socio, ei librum non cominodaturum &c. Tale juramentum fuit illud Davidis, 3. *Reg.* 1. cum juravit, quod Salomon esset ipsi successurus in Regno. Reginald. l. 18. n. 19. Ceterum promissio, quae in hoc juramento includitur, non est necessario intelligenda de promissione DEO facta (quo modo voto equiparatur) sed potest accipi pro simplici proposito aliquid faciendi: nam & hoc juramento firmari potest. Huc revocatur juramentum, quod vocari solet Comminatorium; & est, cum alteri nos malum aliquod, v.g. mortem, vulnera, verbera &c. juramus illaturos.

184. Præter has juramenti species datur quædam alia, quæ vocatur Juramentum execratorium seu Imprecatorium; & est, cum DEUS invocatur non solum ut testis illius, quod asseritur, negatur aut promittitur, sed etiam ut Jdex & Vindex: habetque hunc sensum: testem invoco DEUM in confirmationem mei dicti, aut promissi, & si verum non sit, cupio, ut in vindictam salutaris me, vel alium mihi dilectum v.g. patrem, vel aliquid meum aut meorum Divi-

næ suæ vindictæ, ut justus Jdex subiciat. Tale juramentum est, si dicas: si non ita sit, ut dico, vel promitto, DEUS me puniat; faciat, ut nunquam hinc vivus abeam; aut liberos hodie domi vivos non intuear; tollat me subitanea morte; æternum damnet; sub periculo æternæ salutis, animæ; sic me DEUS amet; sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia &c. Et hic ultimus modus usitatissimus est in utroque Jure seu foro, Ecclesiastico & seculari.

185. Omnia juramenta sunt ejusdem speciei; quia omnia in hoc conveniunt, quod consistant in invocatione Divini testimonii, hæc autem est ejusdem rationis, quocumque modo fiat juramentum, sive de in sit assertorium, sive promissorium, sive per DEUM, sive per Sanctos &c. unde in Confessione non est necessarium, per se loquendo, hæc exprimere, cum nec speciem mutant, nec habeant aliam specie diversam malitiam adjunctam per se loquendo. Suar. *de juram.* l. 1. c. 5. n. 13, & c. 9. n. 6. Less. l. 2. c. 42. d. 2. n. 9. Sanch. l. 3. *Mor.* c. 1. n. 9. Bonac. *de juram.* D. 4. q. 1. p. 2. n. 2. & alii apud ipsum. Dico autem: *Per se loquendo.* Potest enim nova circumstantia supervenire, ut ratione illius nova etiam malitia transfundatur in actum: ut si proprium tuum parentem per execratorium juramentum subicias Divinæ vindictæ; tibi ipsi, vel proximo tuo malum grave impreceris; illud enim pietati parentibus debet; istud verò charitati sui vel proximi adversatur. Item si jures, te admissurum peccatum; tum enim juxta hujus malitiam gravem aut levem, hujus vel illius speciei, etiam juramento

ramento huic promissorio gravis vel levis, hujus vel illius speciei malitia accedet: item si juramento jungatur blasphemia. In his enim casibus præter malitiam juramenti est etiam exprimenda malitia blasphemiae, impietatis erga parentes &c. ratione enim istarum circumstantiarum etiam ipsa juramenta specie distinguuntur, non ratione juramenti, sed ratione novæ circumstantiæ: quæ proinde etiam specialiter erit exponenda in hunc ferè modum: *Juravi, me commissurum fornicationem semel: juravi falsum semel imprecando mihi* (vel parenti meo, vel proximo) *deliberatè & ex animo grave malum &c.* Non est enim necesse, ipsum malum optatum explicatè exprimere: quamvis possit, dicendo v. g. *pejeravi semel optando mihi mortem, bis aeternam damnationem, bis diabolum, ter grandinam &c.* sed Bonac. n. 1. Sanch. n. 7. & alii notant, nunquam, aut rarissimè contingere, ut quis tam gravia mala sibi imprecetur ex animo; & ideo pejerantem execratoriè non esse interrogandum in Confessione. Quin & Suar. l. c. de Juram. c. 12. addit, novam quidem malitiam juramento execratorio addi ex circumstantia pietatis erga parentes, aut observantiã erga superiores &c. eam tamen non esse gravem; quod intellige, si animus serius, ut eveniat optatum malum, desit.

186. Jam verò ut juramentum fiat licitè, tres habere debet comites. I. Veritatem. II. Justitiam. III. Judicium. Veritas autem ad juramentum requisita in hoc consistit, ut nullum in eo mendacium aut falsitas contineatur, & scienter confirmetur; hoc enim si fiat, est

proprie perjurium, & quantumvis videatur esse in re levi, vel propter rem levem, semper est peccatum mortale, nisi excuset defectus plenæ advertentiæ. Bonac. p. 3. n. 6. Sanch. c. 4. n. 6. Suar. l. 3. de Jur. c. 4. n. 6. & alii.

187. *Justitia* seu æquitas juramenti consistit in eo, ut Divina Auctoritas in testimonium rei illicitæ, aut dicti iniqui seu peccato obnoxii non adducatur, animo & intentione majorem illi fidem faciendi. Hæc enim si desit, proprie non perjurium, sed juramentum temerarium vocatur; & si sit assertorium tantum, vel est peccatum mortale, vel veniale duntaxat, prout nimirum graviter vel leviter mala fuerit tua illa assertio, in cujus majorem & firmiorem fidem faciendam juramentum velut medium & instrumentum adhibetur. Et ideo si gravem alienæ famæ detractionem juramento confirmes, peccas mortaliter; si levem, venialiter: quin & si juramentum sit promissorium, vel execratorium, graviter vel leviter malum erit, prout nimirum malum desideratum seu volitum (liceat sic loqui juxta morem in scholis receptum) grave vel leve fuerit. Less. d. 4. n. 18. Et duas tunc continebit, malitias specie diversas, quarum una est perjurii, seu potius juramenti temerarii; altera ejus peccati v. g. homicidii, furti, mendacii &c. quod te juras patraturum. Et ideo si res jurata sit mortaliter mala, etiam ipsa explicari debet dicendo: *Juravi me homicidium patraturum.* At si res tantum venialiter sit mala, non est quidem ipsa necessariò exprimenda, sed satis est dicere: *Juravi, me veniale peccatum commissurum:* nisi fortè DEUM velis non præcisè

præcisè ut testem tui propositi & futuri operis adducere, sed ut sponforem & approbatorem illius; tunc enim utique grave malum erit, etsi peccatum ipsum, cuius DEUM vis esse approbatorem, sit tantum veniale: continet enim hæc divini numinis invocatio gravem irreverentiam, cum eò tendat, ut DEUS tuum peccatum probeat: quod est blasphemia gravissima, cum infinitæ DEI sanctitati repugnet, vel levissimum duntaxat peccatum probare. Less. l.c. Sanch. n. 29. Sed hoc, nimirum ut DEUS in juramento adducatur, ut sponsor aut approbator, rarissimè continget; si tamen contingat, blasphemia hæc specialiter est explicanda. Illud frequentius est, ut juramento promissorio desit animus exequendi opus promissum: hic autem si desit, erit perjurium propriè dictum, ex defectu veritatis primariò requisitæ. Less. l.c. & peccatum mortale: quantumvis alioqui res jurata sit parva, ut *priori numero* dictum est.

188. Porro promissio jurata de re mala v.g. de vindicta sumenda, seu de re vana, aut indifferenti, aut minùs honesta & bona, seu tali, quam melius est non præstare, quam præstare, non est implenda; & si impleatur ex animo seu intentione, quasi DEO placeat opus peccati mortalis vel venialis, blasphemia in DEUM committitur: at si impletur, quasi ex obligatione juramenti, pertinet ad superstitionem, & Zelum non secundùm scientiam: estque utraque circumstantia specialiter in Confessione explicanda. Quod si jures, te non facturum ea, quæ sunt consilii, animo ea non faciendi v.g. religionem non ingressurum, peccas venialiter: est enim irreverentia aliqua, adducere DEUM in testem

R. P. Stoz Trib, Pœnit.

contra ipsius consilia. Bonac. n. 9. Sanch. n. 30. & alii. Ex quibus breviter

Pater, minus malum esse, jurare quempiam, se facturum opus venialiter malum, vel indifferens, vel contra consilia, animo exequendi, quàm absque eo animo: in priori enim casu committitur peccatum tantum veniale: in posteriori autem perjurium mortale. Sanch. n. 32. Bonac. n. 6. At si res graviter mala juretur, animo eam non exequendi, minus est, quàm si juretur animo exequendi, in posteriori enim eventu est unica lethalis culpa; in priori verò duplex.

189. *Judicium*, tertius juramenti comes, ut fiat cum debita reverentia, consideratione, necessitate, aut magna utilitate; ut si multum referat, publicè vel privatim dicti alicujus veritatem, aliis nondum manifestam, sed dubiam, reddi exploratam. Quapropter si fiat sine necessitate aut magna utilitate, de re levi, quam vel non sit necesse, vel parum referat, juramento confirmare, est peccatum ex defectu iudicii; non tamen majus, quàm veniale, vocaturque propriè juramentum incautum, id est prolatum sine debita intellectus consideratione, verumne sit, quod juratur, vel non. Less. d. 13, n. 17. Bonac. n. 8. & alii.

190. Hic facile impingunt, qui habent inveteratam consuetudinem jurandi: his enim valde pronum est omittere debitam diligentiam in inquirenda veritate, & justitia juramenti: peccant verò pro ratione negligentia: hæc enim si gravis sit, peccant mortaliter, non tam ob defectum iudicii, quàm ob periculum falsò, aut injustè jurandi, cui se exponunt: si verò negligentia sit levis, & imperfecta, peccant

X

tan-

tantum venialiter. Sed quæ de consuetudine jurandi hic porro adferri possunt, petenda sunt ex dictis de blasphemia. Ex quibus hic obiter est adnotandum, quod cum neque consuetudo ipsa, neque mera negligentia extirpandi illam, necessario sit in Confessione explicanda, satis tandem sit, si dicatur: *Pejeravi toties &c.* nihil dicendo de consuetudine, aut negligentia illam deponendi.

191. Sed nunc breviter aliquid addamus de quibusdam jurandi formulis. Itaque juramentum non est I. si dicas: *certè, certissime, in veritate, fide viri boni, fide boni Christiani, Principis, vel Sacerdotis; per fidem meam, per conscientiam meam.* Less. l. 2. c. 42, & alii. Neque II. si dicas: *DEUS scit, DEUS erit mihi testis, DEUS videt meam conscientiam, DEUS novit, me verum dicere, &c.* hæ enim formulæ sunt tantum enuntiativæ, narrando nempe & purè asserendo, DEUM id scire & videre, non verò invocativæ divini testimonii. Bonac. n. 2. Sanch. l. 9. c. 2. n. 20. & alii. Neque III. si dicas: *per meam animam, per elementa &c.* communiter enim, qui ejusmodi verbis utuntur, non intendunt, invocare divinum testimonium, imò de hoc ne cogitant quidem: volunt ergo similibus phrasibus solum judicare, tam vera esse sua dicta, quam verum est, animam esse in corpore, elementa in mundo &c. Neque IV. si dicas: *moriar; DEUS me puniat; demon me hinc vivum rapiat; grando me feriat &c.* sunt enim potius maledictiones seu imprecationes, nisi hunc habeant sensum: *DEUS Me testor, & si falsum sit, quod dico, permittat, ut moriar, rapiar à diabolo, puniar &c.* sed in hoc sensu nemo facile ita

loquitur; ut supra de juramento execratorio dixi. Neque V. si dicas: *per Sacramenta, per Christum, per sanguinem Christi &c.* hæc enim potius rationem blasphemiam continent. Neque VI. si dicas: *per meum jusjurandum*: nemo enim, si interrogaretur, facile diceret, se per ea verba velle vocare DEUM in testem sui dicti; sed solum, sua dicta tam vera esse ac certa, ut, si necesse foret, juramento confirmare posset, & vellet. Neque VII. si dicas: *per has meas vestes, per hos meos capillos &c.* et si enim alioqui juramentum fieri possit per creaturas, ut dictum est supra n. 82, si tamen eæ non habeant aliquid, ratione cujus specialiter reluceat bonitas ac Majestas DEI, non censentur adduci cum respectu ad DEUM. Bonac. n. 4. & alii. Neque VIII. si dicas: *Hoc tam verum est, quam sol lucet, quam hic sedeo, nunc ambulo &c.* quia neque hæc verba sunt invocativa testimonii divini: quod ipsum etiam dicendum est de his, & aliis similibus comparationibus: *Hoc tam verum est, quam DEUS est; quam verè DEUS vivit, quam verè Christus in Eucharistia est; quam verum est Evangelium;* Item: *sum tam innocens, quam sit Beata Virgo, &c.* Et si hæc enim formulæ communiter videantur, & verò etiam judicentur, continere rationem juramenti cum blasphemia; neutra tamen in iis apparet; quia iis nemo in testem vocatur: sed nec blasphemia est, si sit verum, quod dicis, & tuus proferentis animus sit (ut plerumque est) significare tantum similitudinem, ut sensus sit, hoc esse verum suo modo, sicut alterum est verum suo modo. Si verò usurpans eam phrasin velit significare, suo dicto tantam ineffe certitudinem, quanta est in ea fidei veritate,

tate, blasphemia est. Bonac. n. 13. & alii. Neque IX. si dicas: *jurō me facturum hoc &c.* nam proferens ea verba, non intendit DEUM in testem vocare; est enim illud verbum jurō indifferens ad verum, vel fictum juramentum. Et licet aliquid addatur, quod videatur illud verbum restringere ad rationem juramenti, ut, si dicas: *jurō per meam barbā, per hunc meum digitum &c.* quia neque tunc adducitur DEUS in testem; cūm creatura, quæ adducitur, neque peculiari modo DEI bonitatem &c. manifestet, neque adducatur per ordinem ad DEUM, Bonac. n. 7. Sanch. n. 3. Suar. l. 1. de juram. c. 13. n. 3. Esset tamen X. juramentum, dicere: *per fidem Catholicam: per sanctum Evangelium*: tunc enim censetur in testem vocari DEUS, illius fidei, & Evangelii auctor. Less. n. 4. Item jurare censetur, qui jurat *per reliquias, per templa sanctorum &c.* quia in his peculiariter honoratur DEUS, & ita velut in ijs specialiter relucens in testem vocatur, Sanch. n. 25. Idem est de ea loquendi forma: *per habitum S. Benedicti, per vestes sacras &c.* quia sunt res sacræ, in quibus DEUS specialiter honoratur. Sanch. eodem. num. 25. Suar. n. 23. Bonac. p. 1. n. 5. & alii.

192. Verūm ut habeas generalem aliquam regulam dignoscendi, quæ verba verè sint juratoria, hanc accipe ex Tamb. l. 3. in Decal. c. 1. §. 3. n. 6. ubi ante omnia monet, & rectè, attendendum esse ad intentionem proferentis ea verba: hæc unicè hîc est spectanda; ab ea enim tota hæc res pendet, quæcunque tandem verba sint, quæ adhibentur. Itaque per illa verba, quæ aliquis profert, (suppono autem illum nosse, quid sit jurare) intendit

I. positivè invocare DEI testimonium; vel II. positivè non invocare, vel III. præscindit ab ejusmodi invocatione, id est, nec intendit invocare, nec non intendit, idque sive advertenter, sive ignoranter. Si I. certò erit juramentum, Si II. & III. certò non erit; quia neuter hoc modo invocat DEUM in testem. In II. enim casu expressè excludit invocationem divini testimonii. In III. hoc ipso, quia ab ea abstrahit, eam non adhibet. Hæc autem sunt pro foro tantum conscientia; nam in foro externo, si verba juramentum verè continentia protulisti, iudex te reum juramenti dicet; liberabit verò ab obligatione, si verba tua juramentum certò non contineant.

193. *Maledixi DEO semel.* quod quia continet malitiam blasphemiae, semper est peccatum mortale; nisi defectus plenæ advertentia excuset. Quid sit maledicere, infra dicitur. Blasphemus ergo est, qui DEO aliquod malum imprecatur, tribuendo illi, quod illi convenire non potest. v. g. si dicas: *Pereat DEUS*; sensus enim est; amittat DEUS vitam, si res ita se non habet; & tamen constat, in DEUM cadere non posse privationem vitæ, aut aliud quodcunque malum. Bonac. de blasphem. D. 3. q. 8. p. 2. n. 1. Suar. de Relig. T. 1. tr. 3. l. 1. c. 5. n. 8. Sanch. l. 2. Mor. c. 32. n. 25. & alii.

194. *Die festo per notabilem missam partem confabulatus sum semel.* quæ autem pars missæ dicenda sit notabilis, quæ modica, constabit ex dicendis infra n. 247. Porro qui partem notabilem missæ confabulationi impendit, præcepto non satisfacit. *Die operario* (id est, non festo) *sub missa confabulatus sum decies*; & quidem satis diu;

diu: vel: non tamen diu. Continent ejusmodi confabulationes aliquam irreverentiam, non tamen gravem.

195. *De rebus sacris joculariter locutus sum ter.* Jocus propriè consistit in verbis, & est sermo ad animi relaxationem, seu recreationem compositus; qui si moderatus sit, ad virtutem, quæ communi nomine *Modestia* appellatur, spectat, vel ad *En-trapeliã*, quæ est species *Modestix*, & in ludicris modum servat. Ceterum si jocus sit de rebus sacris, est contra reverentiam ijs rebus debitam, estque peccatum veniale, ut, si joco dicas, S. Crispinum & Crispinianum fuisse sutores, S. Petrum fuisse piscatorem, S. Joannem & Paulum fratres eunuchos &c. Bonac. D. 3. de blasphem. q. 8. p. 3. n. 6. Sanch. l. 2. mor. c. 32. n. 42. vide etiam, quæ diximus *suprà* n. 181.

196. *Jocos, eosque frequentes sacra concioni miscui semel.* Reperiuntur nonnulli, qui putant, se suo concionatoris officio non undequaue satisfecisse, nisi suas conciones jocos, nugis, ac fabulis refarciant. Sed hi graviter errant; nam I. agunt contra reverentiam & attentionem divino verbo debitam, quam joci valde impediunt; & continent libertatem quandam, tanquam cum æquali in re minime seria agatur. II. Agunt contra ædificationem, & fructum, qui alioqui ex verbi divini prædicatione haberi potest, tollunt: vis enim, quæ verbo divino inest, rerunditur, & quæ animis auditorum ex concione, quâ parte sincera erat, & facetijs minime conspurcata, cum fructu impressa sunt, suffocantur & evanescent. III. Auctoritatem propriam prostituunt non tantum, sed omnino etiam perdunt, & vani-

tatis à populo damnantur; & pro verbi divini præconis titulo potius nugigerulorum, & jocularum merentur. Est hic abusus grave peccatum. Less. l. 4. c. 4. d. 13. n. 96. Potest tamen fieri veniale, si joci sint in eadem concione rati, vix ulli ac moderati.

197. *Verbis sacra scriptura usus sum ad jocum & facetias bis: vel: ad scurrilia, & fabulosa, semel: vel: ad hæresin stabilendam; bis: vel: ad superstitiones, bis: vel: ad amatoriam, sive amorem turpem, seu ore seu scripto tenus conciliandum semel: vel: ad libros famosos ter.* Est hic abusus facilligus juxta dicta p. 1. n. 54. & mortaliter malus; quod satis colligitur ex gravissimis verbis, quibus in eum invehitur Concilium Trident. sess. 4. in fine. Less. l. c. Reginald. l. 19. n. 57. Potest tamen fieri venialis vel ex defectu advertentiæ, vel, si, cum joco fit, contemptus absit, & materia sit levis. Less. l. 4. c. 4. d. 13. n. 99.

198. *Contra DEUM murmuravi semel.* Contra ipsius modum agendi & gubernandi res humanas conquerendo, v. g. quasi sit nimis severus & rigidus in permittendis quibusdam malis; nimis indulgens erga malos, aut immitis erga bonos; quod morbum non avertat; bonum ingenium, divitias &c. non concefferit. Potest hæc querimonia contra DEUM etiam rationem blasphemix continere; quo proinde casu erit peccatum mortale, & specialiter in Confessione exprimentum.

199. *Cantilenas profanas, & turpes miscui divino cultui semel.* Perinde autem hoc est, sive illæ voce humana, sive organo; aut alio quocunque instrumento musico proferantur, vel patitur quis, aut procurat, ut misceantur; quia & cultui divino,

&

& DEO ipsi irrogatur injuria, & quidem gravis, quòd mysterio, quo sanctius non est in Ecclesia DEI, tam profana & turpia miscere, non videatur esse leve: quod colligitur ex Concilio Trident. *sess. 22. in decreto de observan. & evitan. in celebrat. Missæ.* vide Navar. *in tr. de orat. & horis canon. c. 16. n. 46.* & in Man. *c. 12. n. 87.* ubi addit, posse illos excusari, qui præ rustica simplicitate putant ista licere, cum videant, consuetudinem ita ferre. Deberent tamen moniti ab his abstinere.

§. II.

Peccata oris contra proximum.

200. Alterius fama detraxi leviter osties; graviter semel. Detractio est alienæ famæ injusta violatio: & fit generatim dupliciter; directè & indirectè. Directè I. falsum crimen imponendo. II. Amplificandò verum crimen. III. Verum quidem, sed adhuc planè occultum referendo. IV. Perperam alterius bonum opus explicando, quasi videlicet malà intentione sit gestum: ut, si dicas adolescentem aut civem N. frequenter confiteri eo solùm sine, ut parentibus, præceptoribus, Præsidi Sodalitatis, Parocho, Confessario &c. placeat. Et hi modi comprehenduntur hoc versiculo. *Impo-nens, augens, manifestans, in mala ver-tens.*

201. Indirectè verò fit. I. Negando rectè facta & bona alterius. II. Minuendo rectè facta, vel laudes alterius. III. Reticendo bona alterius eo loco & tempore, quo ceteri reticentiam alterius pro tacita vituperatione vel opprobrio accipiunt, IV. Frigidè laudando, ut hoc

ipsum laudari cedat in vituperium & opprobrium. Et hi modi hoc carmine continentur. *Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisit.*

202. Est adhuc alia divisio detractio-nis, in materiale, & formalem: ista est, quæ fit animo seu directà & expressâ intentione lædendi famam alicujus: illa est, quæ fit absque tali expresso lædendi famam proposito, cum advertentia tamen, id, quod loquimur, esse famæ denigrativum.

203. Omnes detractioes, quodcun-que demum malum manifestetur, aut bonum minuatur, sunt ejusdem speciei: & ideo non est necesse in Confessione dicere; alterius famam læsi fornicationem, adulterium &c. manifestando: satis est, dicere; *Graviter alterius famam læsi.* Bonac. *de Restitut. D. 2. q. 4. p. 1. n. 8.* Tambur. *l. 2. c. 9. §. 1. n. 2.* nisi addatur nova circumstantia specifica, v. g. si ii, quorum fama læditur, sint parentes; quo nomine etiam avus & proavus venit. Tamb. *c. 5. §. 1. n. 1.* Bonac. *n. 9.* tunc enim etiam pietati repugnat. Et ideo si his graviter detrahas, id etiam in Confessione specialiter est exprimendum; quod tamen in furto eisdem facto non est necessarium: nisi fortè filius tantum auferat parentibus, ut idcirco in extremam vel gravem necessitatem incidant; quia omne quidem furtum est contra Justitiam; non tamen, nisi in dicto vel simili casu, contra pietatem: Quamvis Azor. *p. 3. l. 13. c. 5. q. 1.* velit, detractioem contra parentes non differre specie ab alijs detractioibus. Idem est de contumelia.

204. Est autem detractio etiam ex suo genere peccatum mortale. Laym. l. 3. s. 5. tr. 3. p. 2. c. 3. n. 2. & 4. & alii communiter: sive id, quod refertur, verum sit, sed occultum; sive falsum; habetque annexam obligationem restituendi, seu retractandi coram iis, quibus presentibus alterius fama laesa est. Quod tamen non est æquè facile & expeditum, cum crimen, quod manifestas, est verum; quàm est, si sit falsum; si enim falsum sit, debes coram iis, coram quibus detraxisti, apertè dicere, te falsum dixisse; licet id in æquale, vel paulò majus dedecus tibi vertatur: æquius enim est, ut damnum patiaris, qui injustè intulit, quàm ut innocens illud ferat. At si detractori ex ea restitutione notabiliter majus damnum immineat, non tenetur eam facere; alioquin enim aliquid ultra æqualitatem redderet, secus ac Justitia commutativa exigit, ad quod nemo rationabiliter obligari potest. Hinc si restituere famam non possis, nisi cum periculo propriæ vitæ, Bonac. p. ult. n. 11. Tamb. n. 22. aut multò majori jacturâ tuæ famæ, quàm alter patiaris in sua, ad id non teneris. Bonac. n. 12. Tamb. n. 21. Sic vir gravis v. g. Prælatus, non tenetur dicere, se mentitum esse; id enim maximo dedecori ipsi foret: satis ergo est, si restituat famam eò modo, quo tenetur is, qui crimen verum propalavit, de quo jam. Si ergo quis crimen verum vulgavit, idonei loquendi modi adhibendi sunt, qui sine mendacio possunt adhiberi; dicendo v. g. memini me de Petro hoc dicere; sed feci ipsi injuriam, erravi &c. imò cum debita æquivocatione poterit absolutè dicere, se verum non

dixisse, se nihil de tali defectu scire, Petrum illud crimen non perpetrâsse &c. Sufficit non rarò, infamarum laudare in eodem genere, in quo detraxisti, nullâ tamen criminis detecti mentione factâ; ut si dixisti, Petrum esse hominem avarum, dicas, eum multas facere & fecisse eleëmofynas. Et hic modus est maxime congruus & oportunus famæ restitutioni. Bonac. p. 15. n. 3. Reginald. l. 10. n. 34. Tamb. l. c.

205. Ceterùm etsi detractio onus restituendi famam sit annexum, variæ tamen causæ sunt, quæ ab eo possint liberare. I. si detectio criminis occulti non sit contra Justitiam; ut si illud deferas ad superiorem, cujus est illud emendare, corrigere, aut punire. II. Si quis omnino inculpate læsit famam, quia bonâ fide credidit, crimen jam esse publicum, cum tamen non esset. Bonac. p. 6. n. 20. III. Quando quis consentit in suam infamationem, seu cedit juri suo, quod habet ad famam; ut fit in quibusdam Religiosis ordinibus. IV. Quando infamatus remittit suæ famæ restitutionem: modò ea condonatio non cedat in detrimentum alterius. Tamb. §. 3. n. 10. Bonac. p. ult. n. 5. & alii. V. Si quis ita infamis est, ut prudenter judicetur, non passurus novam infamiam ex nova detractioe. Tamb. n. 12. VI. Si detractio sit inefficax: quia nempe audientes non credunt, vel quia detrahens exiguam vel nullam habet auctoritatem, eò quòd habeatur pro mendaci, vel quòd joco tantùm vel ex ira dixerit. Bonac. n. 10. Navar. c. 18. n. 44. & alii. VII. Quando infamatus aliunde suam jam recuperaverit famam. Bonac. n. 7. Tamb. n.

13. VIII. Quando infamia jam aliis in oblivionem transit, & ex audientium mente jam excidit. Bonac. n. 6. §. p. 13. n. 1. Reginald. l. 10. n. 340. Tamb. n. 14. ad quod aliqui putant sufficere annos 20. desumptâ fortassis hac temporis determinatione ex proportione ad tempus, quo in quibusdam casibus fit præscriptio. Sed de hoc prudentes judicent: forsitan adhuc brevius tempus sufficit ad infamiam oblitterandam. IX. Si quis prudenter judicet, suam retractationem nihil esse profecturam Tambur. n. 18. X. Qui famam injustè ablatam non potest restituere, non tenetur eam pecuniâ compensare, etsi infamatus petat sibi pecuniâ satisfieri. Bonac. n. 14. Tamb. n. 23. Nemo enim tenetur restituere, nisi quod ablatum est; & quidem in eodem genere, in quo alter damnum est passus; nisi fortè reddatur æquivalens: sed pecunia non æquivalet famæ. Ergo pro fama ablata non nisi famam reddere debes. XI. Si quis post famam sibi à te ablatam capit laborare infamiâ publicâ in eodem vel similicrimine, de quo illum notâsti. Tamb. n. 15. si enim crimen sit publicum sive justè v. g. per sententiam judicis, sive per injuriam, jam fas est de eo loqui citra læsionem Justitiæ; publicitas enim facti jam tribuit licentiam loquendi, ita ut non censeatur nova injuria per eum sermonem inferri. Less. l. 2. c. 11. n. 13. Tamb. §. 2. n. 9. Quando autem crimen censeatur publicum publicitate facti, Sanch. l. 2. Mor. c. 11. n. 19. & l. 8. de Matrim. D. 24. n. 55. & Molin. T. 4. D. 31. n. 3. variè explicant; quos tamen cum Tamb. §. 2. n. 10. non probâsser, dixit, illud videri publicum,

quod prudenter, & ex circumstantiis judicatur facillè esse communiter evulgandum. Ex his autem patet, eum, qui crimen, in uno loco publicum, aliis nescientibus narrat, aut in locis etiam remotioribus, ad quæ per litterarum commercium, vel aliter illius criminis notitia pervenire potest, evulgat, non peccare contra justitiam, adeoque ad famam restituendam non teneri. Less. n. 75. Tamb. n. 11. Bonac. p. 6. n. 2. & alii. An autem talis divulgator saltem contra charitatem peccet, dubium est. Less. n. 78. affirmat. Sed Lugo D. 14. de just. f. 5. n. 68. Tamb. n. 12. & alii ab ipso relati hoc ipsum negant: nisi torrè ex hac tua alieni & publici criminis vulgatione aliud præter infamiam damnum grave contingat infamato. Tamb. n. 15. XII. Excusatur is, qui crimen alterius verum, injustè propalatum, aliis manifestat: Bonac. p. 6. n. 3. dummodo ea evulgatio ortum non habeat ex Sacramentali Confessione; in hujus enim singularem favorem & reverentiam tam arcta secreti obligatio est imposita, ut à notitia criminis ad quemcunque demum ea pervenerit, nunquam separari queat. Lugo n. 67. Navar. in Cap. Sacerdos. Dist. 6. de Pœnit. n. 42. pro quo facit, quod res, ad quemcunque transeat, cum suo onere transeat. Cap. ex litteris. de pignor. & Cap. Pastoralis, de decimis. Hinc ne Judex quidem in crimen ita injustè ad se perlatum inquirere potest, aut procedere. XIII. Excusaris ab obligatione, saltem gravi, restituendi famam, si levis quoque fuerit ejus læsio, ut esse potest, ut jam dicemus.

206. Itaque detractio levis est, si id, quod

quod narratur, alterius famæ seu existimationi parum seu non notabiliter nocet apud audientes: quod contingere potest I. ex defectu plenæ advertentiæ. II. si defectus leves proximorum narrentur, vel generalibus solum peccatorum nominibus pronuntientur, de aliquo dicendo, illum esse superbum, avarum, iracundum, mendacem &c. nisi fortè conditio personæ talis sit, ut in ea ejusmodi defectus censeantur magni momenti. Tamb. n. 4. ut si de viro gravi aut Religioso dicas, eum assuetum esse mendaciis: tunc enim detractio esset gravis. III. si defectus naturales revelentur (nisi inde notabile damnum sequatur,) sive illi defectus sint animi, ut si dicas, quempiam esse ignarum, parvi judicii, parvi ingenii &c. sive corporis, ut esse cæcum, gibbosum, claudum, &c. IV. si ratione conditionis personæ peccata, alioqui etiam gravia, non censeantur notabiliter lædere famam: ut si persona, cui detrahitur, sit vilis, aut ita affecta, ut crimen vel impostum, vel commissum non magno sibi dedecori ducat: ideo si quis dicat, militem commisisse duellum, habere concubinam, vel de quibusdam juvenibus (v. g. de iis, qui venerea sibi non ducunt dedecori, seu potius de illis, aut alio peccato se jactant) referat rem veneream, vel aliud peccatum, de quo se jactant, non est peccatum, saltem mortale. Præ ceteris autem vitiiis peccata carnis maximæ infamiæ sunt personis honestis: sunt enim quædam personæ, quæ ex quibuslibet inhonestis redduntur infames, ut puellæ honestæ, Moniales, Religiosi, & hujusmodi sui nominis curam habentes. Et ideo si quid venereum, sive falsum, sive ve-

rum, occultum tamen, de iis referatur, facilius fit mortalis detractio, quam si aliud peccatum mortale referatur. V. Minuitur gravitas detractiois ex conditione personæ detrahentis, ut, si hæc vilis sit, vel talis, cui vel levis, vel etiam nulla fides habeatur: ex quo proinde capite excusari possunt mulierculæ viles, aut pueri, qui faciliè solent aliorum vitia detegere. Tambur. §. 2. n. 5. & alii. VI. si res non asseverando, sed dubitando, vel ex auditu aliorum, qui tamen sunt fide parum digni, referatur. Bonac. p. 5. n. 2. Si enim ex persona, quæ sit fide digna & magnæ auctoritatis tale quid referatur, à peccato gravi non excusabitur. Tamb. l. c. & alii. VII. Detractio non est, si quis peccatum alterius occultum, cum ad delinquentis emendationem aut correctionem est necessarium, revelet ei, qui potest mederi; aut qui grave damnum, quod imminet alicui personæ, aut ipsi etiam delinquenti, aut Reipub. avertere potest: aut consilium, aut auxilium, quo quis hic nunc opus habet, dare vel ferre &c. Tamb. §. 3. n. 21. Bonac. p. 3. n. 1. §. 4. VIII. Si ad leniendum dolorem, vel solatium capiendum narretur. Joan. de la Cruce apud Dian. p. 3. n. 5. R. 32.

207. Addunt aliqui IX. Non esse peccatum mortale, si quis sine ulla causa crimen alterius occultum manifestet uni vel duobus viris prudentibus & taciturnis. Tamb. §. 2. n. 7. Reginald. l. 24. n. 75. Bonac. n. 2. & alii. Et hæc de causa à mortali excusant illum, qui in Confessione complicem manifestat, eò quòd tunc complicis fama non videatur notabiliter lædi. Sed Lugo D. 14. f. 4. n. 51. Less. l. 2. c. 11. d.

II. d. II. n. 70. Laym. l. 3. tr. 3. p. 2. c. 3. n. 6. & alii id meritò negant: tum quia alioqui is, qui solus audit detrahentem, non peccaret graviter, etsi cùm facillè posset, eum non corrigeret; posset enim de se meritò credere, se secretum servaturum: tum quia aliàs illa non paucorum Theologorum doctrina non esset ferenda, cùm docent, in Confessione omitti posse peccatum, quod aliter exprimi non posset, nisi nominando complicem, Confessario notum; siquidem alius, cui complex sit ignotus, non sit ad manum: si enim talis adesset, ajunt, potiùs ad hunc accedendum esse; tum quia in morali æstimatione majoris momenti est jactura famæ seu bonæ existimationis apud unum vel alterum virum prudentem, & magnæ auctoritatis, præsertim apud Superiorem, à quo delinquens pendet, vel cum quo assiduè versatur, quàm apud plurimos infimæ sortis & conditionis homines; tum quia hic taciturnus vir, qui audit, poterit iterum unum prudentem reperire, cui, quod audit, aperiat: & hic rursus alium, & sic deinceps, usque dum tandem fama per totam urbem circumferat illud crimen, quod in principio erat occultissimum. Sed hoc non est tolerandum. Nos ex alio principio judicamus, complicem in Confessione nominari posse. Vide, quæ diximus *sup.* n. 44.

208. Ceterùm illud quoque hoc loco attendendum est, an vel illi, quorum fama læditur, plures sint; tunc enim sic oportet detractionem exprimere: *Aliorum fama coram aliis* (vel: coram alio) *graviter detraxi semel, leviter quinquies*: vel si is, cujus fama coram pluribus læta est, fuerit tantum unus; *Alterius famam coram aliis* (vel: coram alio) *læsi graviter bis*.

tum unus; *Alterius famam coram aliis* (vel: coram alio) *læsi graviter bis*.

209. *Contumeliâ gravi affeci Proximum semel, levi octies*. Est autem contumelia honoris alieni injusta violatio, seu injusta inhonoratio alicujus; quæ fit per verba, vel signa denotantia malum culpæ, vel pœnæ, ut, si varia cognomina imponas, aut peccatum vel defectum etiam naturalem exprobes: & alia est, quæ *improperium*, alia, quæ *convitium* appellatur. Porro hæc tria, nempe *improperium*, *convitium* & *contumelia* sunt inter se diversa materialiter tantùm. Contumelia tamen propriè est, quæ fit per verba significantia malum culpæ, ut cùm alterum compellamus furem, latronem, hæreticum, adulterum, fornicarium &c. hæc enim ad malum culpæ pertinent: quò spectant etiam quædam vulgaria cognomina: *Schleppsaß / Esckersbüeh / Spicker* &c. Convitium est, cùm significamus defectum in malo pœnæ: ut si objicias alteri cæcitatem, gibbum, claudicationem, tarditatem aut stupiditatem ingenii; item, si voces alterum stultum, truncum, asinum, insensatum, illegitimè natum &c. hæc enim ad malum pœnæ spectant; quo pertinent etiam vulgaria quædam agnomina, quibus solent sibi invicem exprobrare defectus corporis vel artis, v.g. dicendo, *du fauler Esel / ungeschickter Dölpel / Galgenvogel / Galgenschwengl. 2c. gelber / krummer Hundt. 2c. Toller. l. 5. c. 9.* Improperium propriè est, cùm significamus defectum in malo indigentia, cui per nos auxilium est præstitum: ut si alicui exprobes, quòd fuerit vile mendicabulum, obscurissimo genere natus, & à te adjutus emerferit &c. *Reginald. l. 24. n. 99.*

Differunt etiam convitium & improprium, quòd illud absenti, istud præsentis inferatur. Fit præterea contumelia quandoque scripto; & est *famosus libellus*, gravissimè in iure prohibitus, & ab aliis ad detractionem reducitur: quandoque etiam factò; ut si ad alterius januam cornuapatibulum &c. apponas; si aures asininas alterius vestibis affuas, vel aliquid aliud repræsentes, quod ejus honorem lædat.

210. Fit autem contumelia subinde ex directa & expressa intentione alterum inhonorandi: & est contumelia formalis: subinde sine tali animo, sed cum advertentia, verba, quæ proferuntur; vel opera, quæ fiunt, esse verè inhonorativa alterius; & est Contumelia materialis.

211. Contumelia una non differt ab alia. Bonac. *de Resist. D. 2. q. 5. p. 1. n. 5.* Reginald. *n. 102.* & alii. Et ideo non est scrupulosè distinguendum, fueritne convitium, an improprium; an alterum furem appellaveris, vel latronem, meretricis filium, asinum &c. sufficit enim omnia uno contumelia nomine comprehendere, & modo *suprà n. 29.* dicto explicare, vel etiam nomine convitii, dicendo: *Gravi, vel: levi convitio alium affeci semel.* Nisi fortassis ratione circumstantiæ specificæ nova addatur malitia; ut si proprios parentes contumeliâ afficias; hæc enim circumstantia specialiter est in Confessione explicanda. Tamb. *l. 2. c. 5. §. 1. n. 2.*

212. Est autem contumelia ex suo genere peccatum mortale; & si injuria fuerit notabilis, est verè & de facto tale. Bonac. *n. 3.* Reginald. *n. 100.* & alii. Potest tamen fieri veniale. I. ex defectu plenæ advertentiæ. II. ob levitatem, seu parvi-

tatem materiæ. III. ex conditione personæ exprobrantis; ratione enim hujus exprobratio rerum, etiam gravium, sæpe non censetur notabiliter lædere honorem; ut si puer ex ira dicat fratri tuo: *tu es filius meretricis*: contumelia hæc non est gravis. Sic sæpe non sunt contumeliæ graves, quæ inter personas viles, aut parvimenti jaciuntur, ut inter mulierculas, viles famulos, pueros, qui sæpe rixari solent, & invicem convitiis se conspergere, prout in os veniunt. Bonac. *n. 4.* IV. si fiat joco, etsi alioqui adsit plena deliberatio, & injuria sit magna. Bonac. *Ibi.* Imò V. Potest excusari ab omni peccato, si nimirum fiat gratiâ correctionis. Bonac. *l. c. & alii.* sic nimirum Magister facit cum discipulo, dominus cum famulo, pater cum filio, superior cum subdito: sic Christus vocavit discipulos stultos. Luc. *11.* & Paulus Galatas *in sensatos Cap. 3.* Quòd si autem non fiat animo correctionis, peccatum est: non enim licet superiori, jaculari convitia in subditos. Bonac. *l. c.* imò, si persona, cui contumelia inferatur, sic honorata, peccatum mortale erit, si eidem ab eodem superiore magnum convitium inferatur.

213. *Mentitus sum octies.* Mendacium est locutio contra mentem: si nimirum aliquid affirmes, quod judicas non esse; vel neges, quod judicas esse, idque fallendi causâ. Opponitur veritati, quæ est virtus inclinans hominem ad locutionem menti conformandam; ut nempe homo non loquatur aliud, & aliud sentiat; hoc est enim alterum fallere. Potest autem aliquis falsum dicere dupliciter: I. si neget, aut affirmet, rem aliter se habere, quam

quàm verè & à parte rei se habeat; quia iudicat alter se habere; ut, si Petrum, quem iudicat domi non esse, cum tamen sit, dicat, eum domi non esse: vel vice versâ; quo modo dicitur falsum sine mendacio. II. si Petrum, qui non est domi, iudicat & sentiat, domi non esse, & tamen dicat, domi esse, dicit falsum cum mendacio: imò potest dicere mendacium sine fallitate, ut, si putet, Petrum domi non esse, cum sit, ipse tamen affirmet, eum domi esse; verum enim tunc dicit, quia Petrus verè domi est; mentitur autem, quia aliter loquitur, ac sentit. Laym. l. 4. tit. 3. c. 13. n. 2. Ceterum per locutionem non intelligitur solum verbum ore prolatum, sed etiam scriptura, & quodlibet aliud signum, quo aliud manifestamus, quàm quod mente sentimus. Et hæc mendacij species, quæ fit signis factorum ad alterum fallendum compositis, vocatur *simulatio*; de qua videri potest S. Thomas 2. 2. q. 11. a. 1. in C.

214. Jam verò à ratione mendacij excluduntur I. joci, qui ita proferuntur, vel fiunt, ut ex ipso agendi aut enuntiandi modo appareat, fallum esse, quod exteriùs enuntiatur; cum desit animus fallendi, etiã alter per simplicitatem decipiatur. Neque per hoc eliminatur mendacium jocosum; nam istud propriè fit animo fallendi adientem, seu falsam opinionem ingenerandi, sive re ipsa decipiatur, sive non. At jocus tali animo non fit. II. locutiones tropicæ; ipsæ quæ adeo ironiæ & hyperbolæ, fabulæ & parabolæ, quia verum sensum continent, quem loquens etiam intendit exprimere, licet simul etiam animadvertat, eum ab audiente non statim apprehendi, sed alium fallum; quod tamen loquens non intendit, sed permittit.

II. Amphibologicæ locutiones, de quibus postea Laym. n. 3. & 4. Interim, quoruplex sit mendacium, edisseramus.

215. Est ergo mendacium triplex. I. Perniciosum, quod injustum alicujus damnum & detrimentum cedit. II. officiosum, quod nullam continet injuriam, sed propriam vel alienam intendit utilitatem; cum nimirum boni alicujus obtinendi, vel mali à se vel proximo avertendi causâ profertur: quod pueris, famulis & personis verecundis frequens est, quando se excusant, & in malo facto deprehendi nolunt, & ruborem vel pœnam declinare cupiunt. III. Jocosum, quod nec detrimentum parit, nec utilitatem, sed solius voluptatis seu propriæ seu alienæ causâ, cum intentione tamen, ut Laym. n. 4. notat, fallendi profertur.

216. Mendacium est intrinsecè malum, ut nullo casu seu ob nullam necessitatem, etiam ad propriam vitam conservandam, cohonestari seu licitum fieri possit. Less. l. 2. c. 47. n. 26. & alij communiter contra quosdam antiquos, qui, ut videre est apud Less. n. 38. Laym. n. 9. putarunt, ob magnam aliquam utilitatem licitum esse mendacium. Et in specie mendacium jocosum & officiosum peccati venialis limites non excedunt. Less. n. 44. nisi fiant cum juramento, cum hoc enim si conjunctæ sint hæc duæ mendacij species, semper sunt peccata mortalia, sunt enim vera perjuria, quæ in quacunque materia sunt gravia peccata juxta dicta suprâ n. 186. Reginald. n. 14. quin eadem mendacia si dicantur à viris, qui sunt in statu perfectionis, arguuntur à nonnullis de gravi malitia: sed ut Reginald. *ibid.* monstrat non rectè, nisi accedat ratio gravis scandali. At verò mendacium

cium perniciosum est ex suo genere peccatum mortale. Less. n. 44. Reginald. n. 16. & alii, & defacto est mortale, si fiat cum plena advertentia, & simul cum notabili damno proximi, v. g. in detractio- ne, contractu iniquo, vel præjudicio gra- vi contra honorem DEI, v. g. in Religio- ne, Sacramento Confessionis &c. Potest autem fieri veniale ob plenæ advertentiæ defectum, vel levitatem materiæ, ut in parva detractio- ne, vel deceptione pro- ximi: quod proinde in Confessione sic est exprimendum: *Mentitus sum cum gravi damno proximi semel*: vel: *cum levi bis*. Reliqua duo mendacij genera satis expri- muntur eo, quem dixi, modo, siquidem cum juramento non sint conjuncta. Ver- rum ad tollendam omnem ambiguitatem, posset addi: *sine cujusquam damno*.

217. Ceterum quæ hætenus sunt dicta, debent intelligi de omni mendacio, sive sit oris, sive operis: quæ posterior mendacij species *simulatio* dicitur, quæ aliquis ex- terno opere exhibet aliud, quàm in corde sentit, animo fallendi alterum. Est & si- mulatio intrinsecè mala, nunquam licita; cum sit verum mendacium; cum enim perversitas mendacii in eo consistat, ut signis, quæ alioqui ad exprimendum men- tis judicium & sensum instituta sunt, abu- tamur, & ijs aliud, quàm quod mente tenemus, significemus ad alterum deci- piendum, seu falsum ipsi conceptum in- generandum; perinde est, per quæ signa id fiat, sive per verba, sive per facta; utrum- que enim est contra Veracitatem, quæ est virtus inclinans hominem & obligans, ut verba seu quæcumque signa iudicii interni significativa menti conformemus, atque adeo, ne, quod mens affirmat, lingua ne-

get; & vicissim, ne mens neget, quod lin- gua affirmat: alioqui contradictio erit in- ter interiora & exteriora in eodem homi- ne, quod est turpe & vituperabile.

218. Sed jam hac occasione quid de amphibologijs seu æquivocationibus; quidve de restrictionibus, quæ purè men- tales appellantur, sentiendum sit, aperia- mus. Itaque Amphibologia est locutio ambigua, quæ duos sensus habere potest, unum verum, quem si loquens intendat, non mentitur, licet animadvertat, audien- tem verba in altero sensu, qui falsus est, accepturum, atque adeo deceptum iri, quippe quam deceptionem suam illâ locu- tione non efficiat, sed permittat. Quòd autem sic loquens non mentiar, inde patet, quia non loquitur contra prop- riam mentem, cui ad vitandum menda- cium sua verba conformare debet, non autem alienæ; non enim hanc, sed illam verba externa enuntiant. Eadem est ra- tio de signis factorum, quæ præter mo- ralem significationem, quam ex consue- tudine, vel hominum institutione ha- bent, naturalem interim usum & com- moditatem retinent, prout videre est apud Laym. l. 2. c. 11. n. 4.

219. Et Amphibologias quidem licitas esse, si ijs utendi justa sit causa, communis ferè habet sententia apud Less. l. 2. c. 42. d. 9. n. 47. cum enim præceptum dicen- di veritatem sit affirmativum, non tene- mur eam ex natura hujus præcepti semper & quolibet casu manifestare, sed possu- mus quandoque locutione ad utrumque sensum, verum vel falsum in audiente in- generandum compositâ occultare; mo- dò nos ipsi, ut mendacium evitemus, sen- sum verum, cum loquimur, intendamus:

non

non enim verba nostra alienæ, sed nostræ menti, ut diximus paulò antè, confirmare tenemur. Et idcirco possumus locutionem in alio sensu, quam sit ille, quem alter intendit, usurpare, & aliena à proposito alterius respondere; modò adhæc interveniat justa causa. Justa autem causa esse potest necessitas vel utilitas ad salutem corporis, ad conservationem honoris Divini, vel etiam rei familiaris; vel etiam quando injusta interrogatio proponitur; vel alia, ad quam hæc & nunc non expedit respondere.

220. Hinc licitum est æquivocatione uti I. si quis in Judicio interrogetur, an debeat mille sibi mutuò data, potest, si illa restituit, respondere se non debere. II. si mulier post confiscata sui viri bona suam dotem reserver, & interrogetur, an ex illis bonis nihil sibi retinuerit, potest respondere, se nihil (scilicet quod alienum esset) retinuisse. III. Confessarius interrogatus de peccato in Confessione audito, potest negare, se quidquam de eo scire, scilicet scientiâ communicabili; de hac enim intelligendus est interrogans. Et hoc modo etiam Christi verba *Matth. 24.* & *Marci 13.* sunt accipienda, cum dixit, de illa die & hora (nempe Judicii) neque filium scire. Eodem etiam modo Legatum Principis potest dicere, se nescire, quod non habet in mandatis, ut aperiât. IV. Potest quis suum crimen occultum negare subintelligendo, ut publicum. V. potest à Judice interrogatus, an commiserit homicidium v. g. an Petrum occiderit, negare, se commisisse, si commisit ad justam & necessariam suam defensionem: interrogatur enim de homicidio, ut cri-

minoso; quale non est, quod pro sua necessaria defensione sit. VI. Reus juridicè interrogatus de delicto, quod sine propria illius Confessione plenè probari nequit, potest illud negare, si ex illa Confessione sit incursum periculum vitæ. Cujus præcipua ratio ex eo desumenda est, quod res valde difficilis reputatur mortaliter pro impossibili, ad quam, ut materia de Legibus docetur, præcipiendam humana potestas se nequit extendere: at verò Confessio veritatis, quæ reo certam mortem parat, est res longè difficillima: ergo Judicis præceptum ad eam se non potest extendere, cum, ut habetur, *L. 4. ff. de test.* nec ad testificandum contra parentes aut sanguine junctos obligare possit. Ita Lugo de *justit. D. 40. s. 1. n. 15.* Sancius in *selectis D. 43. à n. 29.* quos refert & sequitur Tambur. *l. 3. in Decal. c. 4. s. 3. n. 5.* cum viginti duobus alijs Doctoribus: Quod extenditur etiam ad quodcunque aliud grave malum v. g. exilium, bonorum omnium amissionem &c. ad hæc enim tam gravia mala, perinde ac ad mortem avertendam, à natura jus accepimus. Lugo. *n. 15.* Et hoc multò magis locum habet, si judex interroget nullo servato juris ordine. VII. Reus potest ad vitanda gravia tormenta sibi imponere crimen capitale, etiam falsum, pro quo adducuntur testes &c. qui vita non videtur digna, ut cum tanto cruciatu servetur. Debet autem tunc, ut mendacium evitet, ut æquivocatione, quæ omnium commodissima videtur esse hæc: fateor, me hoc crimen commisisse eo modo, quo vobis per testes productos innotescit, vide etiam *infra* dicenda. VIII. Possunt hæc

hæc omnia, si res ita ferat, & ratio postulat, etiam juramento confirmari; modo debita & congrua æquivocatio adhibeatur, Less. n. 47. aliàs mendacium erit cum perjurio, ut notum est.

221. Quod jam atinet ad restrictionem purè mentalem, ea non est oratio verè ambigua, sed spectatis circumstantijs, in quibus profertur, ad unum sensum, quem exterius habet, ita est determinata, ut vi verborum, quibus loquens utitur, sensus ille, quem loquens in mente tenet, ab audiente non possit percipi. Hæc valde fugienda studio virtutis seu viro seu adolescenti. Continet enim noxam mendacij, sicut & Laym. n. 6. & Coninch. *de act. supernat. l. 1. D. 10. dub. 3. n. 58.* & alij eam à mendacio non omnino excusant. Certè calliditas hæc valde dedecet candida pectora; inimica est veritati; usum communis sermonis pervertit; civilem inter se hominum consuetudinem & commercium omnino tollit, ac pessumdat; fidem dictis hominum ferè omnem abrogat. Qui enim ejusmodi restrictione utuntur, meritò tales æstimantur, quibus in nulla re fidem habeas; de ijs semper dubites, an eam restrictionem utantur, atque ita aliter loquantur, quàm sentiant. Nec refert, quòd protestentur se jam sincerè, & planè loqui; quia potero dubitare, an non in his etiam verbis lateat restrictio mentalis. Coninch. n. 58. Laym. n. 12. Hæc restrictione frequenter utuntur pueri, famuli &c. qui suorum præceptorum, Dominorum justas interrogationes hæc astutiâ eludunt, ne videlicet in suis delictis ab ijsdem suis heris & præceptoribus deprehensi vapulent.

222. Exempla talium restrictionum sunt. I. si puer vel famulus interrogatus, an vitrum fregerit, neget se fregisse, subintelligendo, priori mense, cum tamen non quidem priori, sed hoc mense fregit. II. si quis interrogatus à viatore, estne latro in tylva, respondeat; non est; hoc verbum *est* non accipiendo ad significandam existentiam, sed ad comestitionem; verè enim utrumque significat idem verbum. III. si interrogatus, an Cæsar sit Viennæ, respondeat, non esse, subintelligendo, Viennæ, quæ est in Gallia, non quæ est in Austria. IV. si interrogatus, an viderit unquam Cæsarem, affirmet, se multoties vidisse subaudiendo, depictum in tabula. V. si bene ebrius arguatur de sua ebrietate & crapula, constanter neget, se unquam fuisse ebrium, intelligendo lacte vel mulso. Et sexcenta alia his similia. In 2. & 4. exemplo verba *est*, *Vienna* & *Cæsar* sunt quidem secundum se æquivoca & duplicis sensûs, sed quia ab interrogante sunt hîc & nunc determinata tantum ad unum, ideo interrogatus non potest in altero per illa respondere, nisi cum restrictione mentali.

223. Restrictiones purè mentales antehac aliquibus visæ non sunt ita illicitæ, ut nunquam profus ijs liceret uti: licitæ enim censebantur 1. ex necessitate (si nimirum nullus amplius modus superesset malum imminens effugiendi) vel 2. ex alia justa causa. Juxta istos ergo Auctores I. si quis habeat librum, charum, quia rarum, quem se recepturum amplius non sperat, difficulter proinde concedit, potest petenti illum negare, se habere; subintelligendo ad commodandum

Dian.

Dian. in summa V. Juramentum n. 6. II. si perens non habeat jus quaerendi, quod quaerit, & importunè te urget ad respondendum suæ petitioni, v. g. qui novit alterius crimen occultum, aut ipse commisit, potest, si ab eo, cujus illud scire nihil interest, interrogetur, respondere, se de illo nihil scire, vel non fecisse; mente intelligendo, eo modo, ut possit, aut teneatur ipsi dicere. III. qui novit aliquid sub secreto, potest alteri importunè & iniquè urgenti ejus secreti revelationem, dicere, se nescire; intelligendo, ut possit patefacere: non enim ita scit. Verbo: quoties ab illo, cujus nihil interest scire, quod interrogat, importunè urgeris ad respondendum ejus interrogationi: quoties si ad mentem interrogantis respondeas, tibi non leve incommodum immineat, quod tamen dictâ calliditate potes evitare &c. toties ut prædicti Auctores voluerunt, potes in sermone tuo tacitâ mentis restrictione uti; quia, etsi alter inde decipiatur, id tamen tu directè non intendis, sed solum vis tegere tuam intentionem, ne ipse eam cum tuo incommodo cognoscat: quod autem ipse falsum judicium formet, ipse sibi imputet; tu enim ad id permisivè tantum te habes; & uteris jure tuo. Ita isti. Ceterum si nihil sit, quod ejusmodi restrictiones excuset, tunc etiam juxta illos Veracitas urget ad verba non tantum tuæ, sed etiam alienæ menti conformanda, propter vinculum humanæ societatis. & bonum publicum, qua de re vide Valent. T. 3. D. 5. q. 13. p. 2. prope finem. Verum sententia Restrictiones mentales à mendacio liberans vel licitas esse docens est 26. & 27, inter

prohibitâ S. D. N. Innoc. XI. 2. Martii. 1679. vide infra lib. 2. n. 269. cum seq. ubi alii modi assignantur secreta sua servandi occulta.

224. Contra parentem, preceptorem, patremfamilias, magistratum, Principem, Superiorem: vel etiam: contra equalem (proximum quemcunque) murmuravi quinquies: Nempe iniquè, id est, sine justa causa conquerendo apud alios contra ipsorum modum agendi: v. g. quasi sint nimis austeri in pœnitentiis, aut tributis exigendis, in penso scholastico (quale est etiam argumentum) imponendo, in disciplina morum, aut regulari urgenda, morosi, indulgentes, partiales &c. Est etiam murmuratio, si causa querendi sit quidem justa, tu tamen queratis in loco, vel coram personis, aut in aliis circumstantiis, in quibus non convenit. Est peccatum tantum veniale, nisi accedat alia circumstantia specifica v. g. susurrationis, detractionis &c.

225. Maledixi mihi (vel proximo) graviter semel: leviter sexies. Maledicere est malum aliquod sibi vel alteri imprecari. Est peccatum mortale, si mala desiderata sint gravia, v. g. mors, pestis, publica infamia, patibulum, carnis ex, cæcitas &c. & simul animus, quod talia mala desiderantur, sit plenè deliberatus, & serius, hoc est, qui sit ita affectus, ut revera velit, talia alicui verè & re ipsa evenire. Tolet. lib. 4. c. 13. Bonac. de peccat. D. 3. q. 8. p. 3. n. 4. Reginald. l. 18. n. 203. & alii. Potest fieri peccatum veniale, si fiat indeliberatè, nec ex animo, aut in materia levi Bonac. ibi. Maledictio una non differt specie ab altera, nisi conjuncta sit cum circum-

circumstantia specifica, v. g. contra DEUM, parentes; & tum hæ circumstantiæ sunt utique specialiter explicandæ in hunc modum: *Maledixi parentibus graviter semel: leviter bis.* De maledictione DEI jam *suprà* dixi n. 193. *cum seq.* Quandoque etiam justitiæ repugnat, ut si contineat contumeliam: & pro gravitate & levitate contumeliæ etiam ipsa ratione hujus circumstantiæ gravis erit, vel levis. Sed nec mala, quæ alicui desiderat, scrupulosè pervestiganda sunt: etsi enim ipsa inter se specie differant, conveniunt tamen omnia sub una formali ratione nocendi proximo. Bonac. *de præcept.* D. 3. q. 4. p. ult. §. 1. n. 10. & alii. Hinc tamen Molina & alii apud Busenbaum in sua medulla *de blasphem.* c. 1. n. 10. excipiunt dæmonem; nec audent propter fæditatem, horrorem & perversitatem à peccato mortali excusare illos, qui aliquem dæmoni (licet non ex animo) devoveant. Satis quidem rigidè. Illud facilius admiserim, quod habet idem Busenbaum n. 11. assidue nominare dæmonem sine imprecatione, non esse quidem peccatum, esse tamen quandam Christiano homini non convenientem indecentiam, & subinde ratione scandalietiam gravem.

226. Nihilominus quandoque licitum est, alicui imprecarî malum ex causa justa, v. g. ex Zelo conservandi justitiam, honorem Divinum, bonum spirituale, imò & temporale proprium vel alienum. Palaus *rr. 6. disp. 4. p. 5.* Hinc non est illicitum desiderare I. punitionem aut mortem malefactorum à publica potestate iis infligendam, juxta illud, lætabitur justus, cum viderit vindictam. Pa-

laus *l. c.* Less. *l. 2. c. 47. d. 4. n. 21.* Sanctius in selectis *D. 2. n. 11. alii.* II. Excusari à peccato, saltem mortali, parentes, si liberis mortem imprecentur, ne in futurum turpe quid faciant, aut aliàs delinquant. Reginald. *l. 18. n. 203.* Bonac. *q. 8. p. 3. n. 6. alii.* III. Excusari quoque matres, si mortem filiarum optent, quas ob deformitatem, vel inopiam commodè & honestè non possunt nupti tradere. Bonac. *q. 4. p. ult. §. 1. n. 7.* Palaus n. 11. Dian. *ll. cc.* IV. excusari etiam uxores, si ad evitanda gravia mala, v. g. internam afflictionem, mendicitatem, vitam pœnalem & similia alia mala à marito vel infligta sapius, vel probabiliter adhuc infligenda, sibi mortem imprecentur. Bonac. n. 11. Palaus. Dian. *ll. cc.* & præterea *p. 5. rr. 14. R. 92.* Idem etiam aliis permissum. Quanquam Diana *R. 92.* modò relatâ, mulierculas, quæ ob minimas molestias mortem sibi optant, peccati mortalis damnat, nisi ut plerumque fit, excuset defectus advertentiæ plenæ.

227. *Creaturis irrationabilibus* (ligno, lapidi, cani, bovis, vineis, muscis, pulicibus, vento, pluvie &c.) *maledixi quinquies.* Hoc est tantum peccatum veniale. Tol. *l. 4. c. 13.* si affectus pravus tendat præcisè in ipsas res secundum se spectatas: quia sicut ita consideratæ non sunt objectum charitatis: ita nec odii. At verò si iisdem rebus (quod tamen rarò fit) vel ex odio & displicentiâ ipsius personæ, cujus sunt eæ res, maledicatur, peccatum grave vel leve erit pro qualitate mali: quia tunc non tam rei, quàm personæ ea mala optantur. Bonac. n. 9. & *q. 8. p. 3. n. 5.* vel ex indigna-

dignatione contra DEUM, quasi pluvia, vento &c. tanquam mediis ad nos puniendos utatur: tunc ad blasphemiam spectat, & est grave peccatum.

228. Ex his autem & dictis supra de blasphemia & juramento facile patet, magnum esse discrimen inter hæc tria. I. Blasphemare. II. Jurare. III. Maledicere, vel imprecari, quæ vulgus in Germania passim, sed pessimè confundit. Jurare enim Germanicè *Schwören* / est DEUM in testem vocare: blasphemare, Germanicè *Gottslåsteren* / est verbum contumeliosum contra DEUM proferre: maledicere seu imprecari, Germanicè *schelten* / *stuchen* / oder *übel wünschen* (quæ omnia sunt unum & idem, nisi quod *schelten* subinde idem sit, ac *schmähen* / quod Latinis est convitia seu contumelias in aliquem conjicere) est alicui malum aliquod optare; v.g. ut Diabolus illum rapiat, fulmen feriat, pestis inficiat, ut cæcus, phreneticus &c. fiat, ut erus, aut cervicem frangat &c.

229. *Morosum me erga alium* (vel alios) *exhibebis*. Morositas est vitium oppositum virtuti, quæ Affabilitas appellatur. Sicut ergo hæc procurat, ut conversatio nostra cum proximo in rebus seriis, colloquiis præcipuè & convictu, ita attemperetur, ut eidem (spectatâ tamen conditione tum nostrâ, tum personarum, quibuscum agimus, negotiorum, & aliarum circumstantiarum) grata sit, & delectabilis, idque ideo, quia hoc congruit ad vitam socialem: ita econtra morositas hæc parùm curat; Unde qui morosi sunt, æmini placere student, ubique sunt difficiles; ubique contradicunt; nusquam se accommodant: sunt tamen alii plus, alii

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

minus hoc morum absynthio imbuti. Genuus profectò hominum ad societatem & amicitiam parùm idoneum. Est autem morositas per se tantùm veniale. Less. l. 2. c. 47. d. 7. n. 53. quia tantùm adfert proximo aliquam molestiam & tædium in congressibus: quæ res non censetur gravis aut contra charitatem, nec evertit vitam socialem, etsi ei non nihil incommodet, eamque minus suavem reddat.

230. *Adulatus sum alteri quinquies*. Adulatio est vitium eidem Affabilitatis virtuti oppositum. Sicut ergo aliqui omnibus difficiles & graves, & ob id morosi dicuntur, ita econtra sunt nonnulli, qui in convictu student esse nimis blandi ac placidi: unde in omnibus se accommodant aliis, omnia probant, omnia laudant, qui si id faciant, utilitatis causâ, dicuntur adulatores: si solùm ut placeant, blandi. Est autem Adulatio ex se peccatum tantùm veniale. Less. n. 52. Fit autem mortale I. Ratione materiæ: ut si laudes aliquem ob peccatum mortale, ab ipso commissum. II. Ratione finis; ut, si adulteris, ut noceas graviter, ad libidinem pertrahas &c. III. Ratione effectûs: ut si per adulationem datur occasio gravis alicujus peccati; etiam præter intentionem. Sed hoc ad scandalum spectat, de quò infra. Porro si cum alium à peccato mortali laudas, in ipso etiam peccato complacentiam habeas, debes explicare, quale illud peccatum fuerit (v.g. an laudaveris propter fornicationem, adulterium, ebrietatem &c.) & his ferè verbis te accusare. *Laudavi alterum propter fornicationem &c. bis cum complacentia erga illam: vel: cum efficaci illius desiderio, quod si verò alterum propter peccatum*

Z etiam

etiam gravelaudavisti, præcisè quia alteri placere voluisti, aut rem gratam facere, non est peccatum ipsum in specie exprimendum; sed sufficit, dicere in genere: *Laudavi alterum propter peccatum mortale quinquies.* vel propter peccatum veniale septies.

231. *Contendi cum proximo bis.* Contentio est concertatio verborum cum proximo contra veritatem notam ad eam impugnandam. Est etiam contentio, cum quis impugnat veritatem, quam putat esse falsitatem, sed nullâ sufficienti ratione dixus. Hinc non excusantur hæretici, qui impugnant nostras veritates, licet putent, esse falsitates: id enim temerariè & sine ratione judicant. Est autem contentio ex suo genere peccatum mortale, Bonac. de *Præcept. D. 3. q. 4. p. ult. §. 4. n. 5.* Reginald. *lib. 17. n. 133.* & verè est mortale, si vel grave scandalum aliis ingeneret, vel misceantur graves injuriæ, vel veritas illa impugnata cedat in honorem DEI, (ut si sit de rebus fidei) vel in notabilem utilitatem proximi. Potest fieri veniale, ex parvitate materiæ, modò suscipiatur de eare, in qua datur parvitas materiæ, quales non sunt articuli nostræ fidei. Hinc altercationes puerorum, muliercularum, & similibus plerumque excusantur à peccato mortali. Sed nec peccatum contentionis committit, qui verbis cum alio contendit, animo defendendæ veritatis contra falsam alterius assertionem. Nec ille, qui disputationis gratiâ cum alio altercatur: nam hujusmodi disputationes passim usû receptæ sunt in scholis, nec suscipiuntur animo impugnandi veritatem. Vide Tolet. *l. de 7. peccatis. c. 12.* Reginald. *l. 6.*

232. *Alium leviter alicujus mendaciî insimulavi quater:* sciens videlicet eum verum dixisse: hoc si cui in faciem objicitur, ad contumeliam spectat. *Parentes austeris & asperis verbis sum allocutus bis.* Hoc potest esse peccatum mortale; si parentes graviter inde contristentur. *Parentibus (Prælato, Præceptori &c.) murosè & irreverenter respondi bis.* Et hic peccatum mortale committitur, si fiat cum gravi contemptu, vel contumelia, vel etiâ contristatione. Hæc enim sunt contra debita Reverentiæ & amoris, quem parentibus (quo nomine, ut Navar. *c. 14. n. 3.* notat, intelliguntur etiam gubernatores non solum Ecclesiastici *1. Corinth. 4.* sed etiam sæculares *4. Reg. 5.* quin & qui nostri curam gerunt, ut sunt tutores, curatores, Magistri, item & Pædagogi) debemus.

233. *Amara quedam verba protulî quinquies.* Amara verba propriè sunt, quæ charitatem lædunt, & ex odio procedunt; quia nempe malè erga aliquem affecti sumus, & malè ei volumus, vel averse famus ejus personam, ideo nonnunquam durius respondemus & alloquimur, non sine amaritudine animi, & mordemus ac pungimus. *Amarulenta quedam verba contra alium effudi bis.* Ut amara verba ex odio procedunt, & charitatem lædunt ita amarulenta dicuntur, quæ procedunt ex invidia. Sic pueri quandoque ex quadam invidiolâ se pungunt, ac mordent. *Verbo acerbo alium pupugi semel.* Est etiam hoc contra charitatem; & quandoque pungentiâ hæc verba seu mordacia procedunt ex odio; quandoque ex invidia; & tunc ad amara & amarulenta revocari possunt; quandoque ex animi levitate, insolentia, aut alio inordinato affectu. Plerum-

Plerumque sunt peccata tantum venialia, unde unde proficiantur: & in confessione rectè indicantur hoc modo; *Verbo charitatem proximi lasi graviter* (vel: leviter.) *bis.* Contingit quandoque, ut quis proximum offendat & contristet aliquo verbo, quod aliter non scit explicare, nisi quod sit offensivum charitatis. Satis ergo est, si ad eum, quem jam suggesti, modum se accuset.

234. *Secretum mihi commissum revelavi, cum levi aliquo incommodo & damno proximi, ter: vel: cum magno damno: vel: cum magna molestia illius, qui mihi secretum commisit.* Est autem Secretum res alicui clanculum manifestata, quæ in plurimum notitiam nondum pervenit. & *Commissum* vocatur, quando res aliqua, præcedenti tacitâ vel expressâ conventionem, eam sub secreto accipiendi, mihi manifestatur. Ex tacita conventionem tenentur I. Principum consiliarij, belli Duces, quibus Reipublicæ vel Exercitus consilia committuntur. II. Senatores, Medici, Advocati, obstetrices, quibus consilij capiendi causâ secreta revelantur. III. Patres spirituales, Theologi, Viri docti, & Jureconsulti, qui talem artem profitentur, ut vel consilij, vel remedijs, vel auxilij causâ eis arcana aperiantur. IV. Vero similiter etiam amici & propinqui, quibus amicitia vel propinquitatis jure, capiendi consilij vel solatij causâ secreta manifestantur. Laym. l. 3. tr. 3. p. 2. c. 5. n. 1. Vide Navar. c. 25. n. 42. & Molin. tr. 4. D. 5. Est & aliud secretum, quod *promissum* vocatur; & est, cum quis alteri promittit, se aliquid secretum servaturum: quod contingere potest, etiam quando casu aliquid cognoscitur. Subinde u-

trumque secretum conjungitur. Revelatio talis secreti Fidelitati repugnat & Justitiæ, & est ex suo genere gravis. Laym. l. c. Navar. c. 18. n. 62.

235. Potest fieri venialis vel ex defectu plenæ advertentiæ; vel ex levitate materiæ, ut si res alicui sub secreto communicata sit levis; aut ex detectione ejusmodi secreti nullum alteri notabile damnum infertur. Navar. l. c. & in Cap. *Sacerdos* dist. 6. de panit. n. 30. Imò subinde omnino culpâ vacat, si justa revelandi secreti sit causa. Qualis est, I. si in publicum Reipublicæ damnum, vel privatæ personæ gravem injuriam cedit. v. g. Si Petrum à proposito, quod tibi secreto revelavit, occidendi hominem innocentem, non possis avertere, potes, imò etiam plerumque debes manifestare, nempe illi, qui potest huic malo occurrere. sermo autem est de crimine pernicioso & pendente in futurum: si enim crimen jam sit omnino transactum, non debes manifestare: quia talis manifestatio nullam amplius habet utilitatem. II. Si secretum alioqui cessurum sit in grave ipsius, qui illud tibi commisit, detrimentum: ut si quis occulto impedimento obstructus à matrimonio avocari non possit, nisi denuntietur, licita est talis impedimenti denuntiatio tum ob Reverentiam Sacramenti, tum ob peccati evitacionem. Navar. n. 54. Coninch. de Matrim. D. 27. d. 7. n. 61. Sanch. l. 3. D. 13. n. 6. & alij. III. Si secretum in grave tuum ipsius, cui commissum est, detrimentum cedat, quia, si ordinem charitatis, spectemus, nemo præsumendus est, se velie ad aliquid obligare, quod cessurum sit in evidens & grave propriæ vitæ aut famæ detrimen-

tum, sed potius propriam incolumitatem alienæ præponere: Less. *l. 2. c. 11. d. 8. n. 54.* Bonac. *de Rest. D. 2. q. 4. p. 10. n. 49.* saltem regulariter.

236. Addo regulariter, quia, ut Navat. *c. 18. n. 54.* Molin. *tr. 4. D. 37. n. 9.* & alij notant, secreta Reipublicæ vel exercitiis etiam ob evitanda quævis tormenta & ipsum etiam mortis periculum non possunt manifestari: quia salus Reipublicæ tanquam majus bonum præponendum est propriæ vitæ. Laym. *n. 3.* Imò etiam, si privato alicui promissisti, te cum propriæ tuæ vitæ periculo secretum servaturum, ad id teneris, si verum est, quod Molin. *cit. D. 37. n. 10.* & alij probabiliter tradunt, posse aliquem ex motivo Charitatis aut Justitiæ suam vitam pro alterius vita servanda ponere: Si enim id charitatis legi & ordini repugnet, ut multi docent, difficile erit dicere, promissionem secreti cum propriæ vitæ periculo servandi honestam esse, & obligare. Quid si autem vi vel fraude consecutus es secreti notitiam, tenerisne id servare, si ob id incursum sis periculum sustinendi gravia tormenta, vel ipsam etiam mortem? Less. *n. 55.* negat, te teneri. At verò Laym. *n. 5.* & alii apud ipsum probabilius affirmant: quia quicumque injuriam intulit, tenerur eam tollere, & non continuare: alioqui sicut inferendo injuriam peccavit, ita etiam peccabit eam continuando & propagando; ergo etiam in proposito, qui per injuriam v. g. literas alienas clausas fraudulenter aperiendo venit in secreti notitiam, tenerur illud servare, etsi ob id in æquale cum altero discrimen sic incursum: quia in pari causa melior est conditio injustè læsi, quàm lædentis: ne videlicet ex propria malitia commodum ferat.

237. *Susurrando amicitiam inter plures dissolvi semel.* vel: *susurrando gravem, (vel levem.) amicorum dissensionem excitavi semel:* vel breviter: *susurravi graviter, semel: leviter bis.* Est autem susurratio nihil aliud, quàm manifestatio defectus alieni nata ad dissolvendam amicitiam; & discordiam, id est aversionem animorum & displicitiam inter amicos seminandam. Bonac. *de Rest. D. 2. q. 6. p. 1. n. 1.* Reginald. *l. 24. n. 121.* & alii. Differt à detractione & contumelia: quia illa famam, ista honorem lædit; at susurratio tendit ad dissolvendam amicitiam. Nihilominus tamen in susurratione sæpe includitur detraçtio & contumelia; quia ad dissolvendam amicitiam aliquando refertur crimen alterius vel falsum, vel etiam verum, sed occultum &c. Et est circumstantia detractionis aut contumeliæ superaddita specialiter aperienda, Bonac. *n. 2.* & alii. Est autem susurratio ex suo genere peccatum mortale. Bonac. *p. 2. n. 1.* Potest fieri veniale vel ex defectu plenæ advertentiæ, vel ex levitate materiæ, quando videlicet id, quod refertur, est modicum, nec sufficiens de se ad amicitiam inter aliquos dissolvendam; aut refertur per modum joci, non autem seriò. Reginald. *n. 172.* Imò potest aliquando susurratio ab omni profus culpa immunis esse, ut si quis manifestet alterius defectum ad dissolvendam amicitiam perniciosam, & periculosam; modò nullum intercedat mendacium, nec revelatio peccati occulti. Bonac. *n. 4.* Reginald. *l. c.* Et ideo ad dissolvendam concubinariorum amicitiam potes, secluso tamen mendacio & detractione, concubinario dicere, concubinam, quam retinet, esse deformem, publicam meretricem &c.

§. III.

Peccata oris contra meipsum.

238. *Infamari meipsum semel.* Intel-
lige sine justa causa. Hoc spectat ad pro-
digalitatē: hæc enim ut in bonis fortu-
næ locum habet, ita etiam in bonis famæ:
nec est ex suo genere gravius quam venia-
le peccatum: etsi enim homo sit Domi-
nus famæ suæ, perinde ut opum suarum,
non tamen potest eam sine causa dissipare,
sive crimen verum pro palando, sive
falsum imponendo, Bonac. *g. 4. p. 10. n. 1.*
Less. *l. 2. c. 11. d. 6. n. 30.* Navar. *c. 18.*
n. 27. & alii. Nihilominus tamen potest
in tali propriæ famæ profusione etiam pec-
catum grave committi. I. Si quis ex ejus-
modi infamiatione reddatur effræniator ad
peccandum, vel proximus inde sumat oc-
casione simile quid perpetrandi. Sed
hoc fortasse rarò fiet, præsertim cum hu-
mili peccati detestatione id manifestes,
II. Si quis inde incidat in periculum vitæ,
ut si dicat à se occisum Petrum, vel vio-
lâsse torum cum ejusdem conjuge, perpe-
trâsse incestum; hæc enim non solum fa-
mæ, sed etiam vitæ profusio foret, Less.
n. 31. Bonac. *n. 5.* & alii. Nihilominus
tamen potest aliquis etiam non juridicè
interrogatus crimen à se verè commissum
fateri, ad tormenta tantùm levia evitanda,
etsi mors inde sit securura; quia talis ho-
mo est verè dignus morte ob hoc crimen,
ut suppono; ergo non malè agit, si ob ho-
nestum finem ad eam concurrat fatendo
crimen. Less. *d. 7. n. 36.* Bonac. *n. 6.* &
alii. Imò ad effugienda tormenta atrociora
& valde gravia potest etiam crimen, de
quo falsò fuit accusatus, sibi imponere,
confitendo illud, sed ad cavendum men-

dacium & perjurium (quæ nunquam sunt
licita) cum debita æquivocatione, quam-
vis ob id certò sit morte plectendus, Less.
n. 41. Bonac. *l. c.* Tolet. *l. 5. c. 66.* & alii.
quia cum tanto cruciatu non tenetur vi-
tam suam custodire: certè ob eam servan-
dam non tenetur pati abscissionem tibiarum,
in qua longè minor cruciatus est, quàm in
tortura gravi. Nec tenetur retractare po-
stea suam falsam confessionem delicti, si
metuat, ut ad priora tormenta sit revo-
candus. Bonac. *n. 7.* Less. *n. 48.* & alii.
Nec refert, quòd juramento illud confir-
mârit: etsi enim peccaverit graviter peje-
rando; quia culpa perjurii non potest abo-
leri eâ criminis falsò sibi impositi revoca-
tione, sed per veram pœnitentiam coram
DEO. Nisi fortè ejusmodi criminis imposi-
tio cedat in grave & publicum totius Rei-
publicæ aut exercitûs damnum, aut perso-
næ publicæ, cujus vitam conservare pluri-
mùm refert: publico enim bono postpo-
nendum est privatum; & ideo si necesse sit,
pro eo conservando etiam vitam oportet
ponere, & gravissima quæque sustinere,
Tolet. Bonac. *ll. cc. III.* Non licet se-
ipsum infamare, si bona fama necessaria
sit muneri seu officio, quod quis gerit; ut
si sit Episcopus, Parochus, Prælatus &c.
Less. *d. 6. n. 31.* & alii. Nec IV. si in-
famia illa redundatura sit in grave dam-
num familiæ, Ordinis Religiosi, vel Mona-
sterii: familiæ enim valde probrosus est,
esse in ea latronem, proditorem &c. Or-
dini Religioso, aut Monasterio, esse in eo
Religiosum impuræ & prostitutæ vitæ,
aleatorem, histrionem, ebriosum &c. Less.
n. 33. Bonac. *n. 4.* Dixi autem supra:
sine justa causa; quia ex tali causa seipsum
infamare licitum est, & à sanctis viris, ut

S. Augustino in libro Confessionum, à S. Anselmo & aliis factum: & praxis ordinum Religiosorum habet, ut Regulares vel in refectoriis, vel loco, ut vocant, Capitulorum sua delicta publicè fateantur. Bonac. n. 2. & alii.

239. *Vanè me jactavi semel*; Jactantia est manifestatio propriæ excellentiæ verbis inordinatè facta supra id, quod ea (nimirum excellentia) est in se, vel aliorum existimatione: quod ultimum additur, quia jactantiæ peccatum committit, qui seipsum laudat inordinatè, non tantùm cum non est excellens in se; sed etiam qui licet excellens in se sit, tamen talis non æstimatur ab aliis. Tolet. de 7. peccatis, Reginald. l. 17. n. 214. Ejusmodi Thraſones sunt, qui suam nobilitatem, robur, ingenium, doctrinam &c. deprædicant, & extollunt: item, qui laudem quærunt ex narratione quorundam factorum à se vel suis: v. g. quid pater, avus, & alii majores sui fecerint: quid ipse fecerit in patria, in Italia, Gallia, aliis provinciis, quas peragravit: quomodo saltaverit, equitaverit: quid in vacationibus domi gloriosum egerit: quàm præclare dixerit ad populum: quanto plausu disputationem publicam solennem absolverit: quâ dexterritate & ingenio polleat in agendis & dicendis causis, in decidendis gravissimis questionibus &c. Differt jactantia à superbia, & vana gloria; quòd superbia sit appetitus excellentiæ; vana gloria appetitus manifestationis: jactantia sit ipsa manifestatio, quam quisque de se facit. Estque ex suo genere peccatum tantùm veniale. Tolet. l. c. Less. l. 2. c. 47. d. 6. n. 42. Potest fieri peccatum mortale I. si quis se jactet cum injuria DEI, sibi tribuendo,

quod DEI est; sicut Rex Tyri, qui Ezech. 28. dicebat, DEUS ego sum. II. Cum injuria proximi, sicut Phariseus, Luc. 18. qui se jactando contemnebat alios: Non sum, inquit, sicut ceteri hominum, raptores, adulteri, velut hic publicanus. III. Cum notabili damno proximi & intentione ei nocendi, ac emungendi pecunias injustè; ut si quis se prædicet insignem Medicum, Advocatum, cum non sit. IV. Cum intentione finis graviter mali; ut si adolescens jactet suum stemma, suas divitias &c. ad puellam turpiter decipiendam. V. si fiat de peccato mortali; ubi oportet distinguere, & videre, an sit de peccato verè commisso, vel cum desiderio, illud denuo patrandi; an denique præcisè narretur, ut appareat ejus ingenium, dexterritas, experientia, virilitas, ac robur in scelere perpetrando. Si ultimo modo fiat jactantia, jactantia non est peccatum mortale. Less. l. 1. c. 47. d. 6. n. 42. & l. 4. c. 3. d. 8. n. 63. Ceterùm de quocunque peccato fiat, nulla specie differt ab altera; ac proinde species peccati, de quo quis gloriatur, non est specialiter explicanda ratione meræ jactantiæ: hujus malitia in eo quoad hoc consistit, quòd offensa DEI assumatur ut medium ad captandam gloriam apud homines: id quod æque in quolibet, ac in uno peccato reperitur. Palaus tr. 2. D. 2. p. 11. n. 6. quem refert, & sequitur Tambur. l. 2. c. 7. §. 3. n. 11. Et ideo in hoc casu satis est dicere: *Jactavi me de peccato mortali semel*. Quod si verò jactantiæ admisceatur, vel desiderium peccati denuo committendi, vel gaudium de eodem commisso, tunc, si mortale sit, explicanda erit illius species in hunc modum:

dum: *factavi me de furto gravi, fornicatione, blasphemia &c. cum desiderio id, v.g. furtum committendi, semel: vel: cum gaudio de eo commisso, bis.* Nec refert, sitne peccatum, quod est objectum jactantiae, vere commissum, nec ne: hoc enim ad variandam jactantiae naturam seu speciem novam adferendam nihil prorsus conducit. Tamb. n. 13. Sanch. l. 1. Mor. c. 3. n. 5.

240. *Contra bonos mores & modestiam crassa quadam & inhonesta verba protuli sexies, qualia sunt, si quis dicat: conspurcabo tibi: linge clunem &c.* quod spectant etiam alia, quae minus honestè, nec sine aurium offensione proferuntur circa naturalia & necessitatem naturae, qualia sunt propria Aurigarum, nautarum, & similibus ex ultima hominum face, qui sordibus & nugis delectantur. Sed speciatim exprimere non expedit; solent quoque talia verba *scurrilia* appellari, & ideo potest aliquis confiteri hoc modo: *Scurrilia verba locutus sum sexies.*

241. *Verba obscena ex levitate, non ex animo libidinoso protuli quater.* De rebus turpibus, castitati oppositis, possumus perinde, ut supra de cogitationibus diximus, innoxie & citra omnem culpam loqui, ob bonum videlicet finem v.g. studii causam; quo pacto Concionatores, Professores, Medici, chirurgi & similes nihil peccant, etsi de rebus turpissimis loquantur, si id faciant animo parandi concionem, aut lectionem, medendi &c. At si talis finis absit, culpa non vacat, qui de obscenis rebus colloquia miscet. Est enim turpilochium propriè loquendo id, quod instituitur animo libidinoso, hoc est tali, qui ad res ipsas narratas affectus sit, vel in

ipsam veneream delectationem seu commotionem spirituum generationi servientium tendat, aut cum periculo consensûs in ejusmodi delectationem conjunctus sit, ut sanè plerumque est. Est autem ejusmodi turpilochium extra omnem dubitationem peccatum mortale, sicut ipsa delectatio venerea, cujus causam instituitur. Less. l. 4. c. 3. d. 8. n. 63. Filliuc. tr. 30. n. 28. Bonac. de Matrim. q. 4. p. 9. n. 18. Tambur. in Decal. l. 7. c. 8. §. 4. n. 1. & alii communiter. Nihilominus possunt sermones turpes à peccato mortali excusari, I. si secluso animo libidinoso, (hic etiam in sequentibus ubique semper abesse debet,) instituantur ob voluptatem, quae praecisè capitur ex ipsa narratione aut lepore narrationis. Less. Tamb. Bonac. l. cc. Fill. n. 209. alii. II. si sint amatorii tantum inter personas solutas ob vanum amorem conciliandum. Sanch. l. 9. de Matrim. D. 46. n. 37. III. si ob vanum solatium ex suavitatis potestatis aut artificii capi solitum fiant. Sanch. n. 35. IV. si ad fallendum tempus fiant, aut se à laboribus relevandum; ut solent ab opificibus praecipuè junioribus, ancillis ad colum fieri &c. Tamb. l. c. V. si fiant joco; quomodo excusari possunt juvenes, praesertim rustici. Less. l. 4. c. 4. d. 13. n. 97. Sed castus animus ab hujusmodi narrationibus & jocis abstinerebit; & potius alia quaeret, quae tempus fallere, animam oblectare &c. possint. VI. si verba in speciem honesta proferantur, etsi sub illis res lascivae intelligantur: haec enim ad delectationem veneream minus disponunt. VII. Si instituantur inter conjugatos. Fill. n. 208. Tamb. l. 7. in Decal. c. 3. §. 6. n. 54. & alii: modò absit scandalum: quod Sanch. n.

36. monet etiam in ceteris cavendum esse; & tantò magis, quantò debiliores spiritu sunt audientes, & verba ipsa obscæniora: hæc enim ex sua ratione venerem valde fovent, & ad eam excitant: quod S. Athanasius in verba S. Pauli ad Ephes. 5. *aut stultiloquium*, egregiè notavit, præbent, inquit, verba ad res ipsas ingressum.

242. Jam verò si verba verè sint obscænna, ut descripsimus, attendendum omnino est, quis ille animus fuerit? simplex complacentia? an verò desiderium efficax peccandi? & si hoc, circa quas personas? solutas an conjugatas &c. an ut alios ad turpia desideria circa tales & tales personas; an solùm ut ad delectationem morosam excitates? item ea coram uno tantùm, vel coram pluribus? præterea an illi alii, in quibus turpe desiderium excitare voluisti, fuerint personæ solutæ, vel ligatæ matrimonio, voto castitatis &c. Hæc enim omnes circumstantiæ specialiter sunt in Confessione exponendæ. Huc spectant etiam Cantilenæ turpes: de quibus eodem prorsus modo, quo de verbis, discurrendum est; & dicendum est, peccata esse mortalia, si fiant animo libidinoso: venialia, si alio, ut de verbis dictum. Sed enim illud hîc breviter addendum est, signum non leve esse, sub prætextu artificiosæ elegantis & suavis locutionis, delectatione ipsarum rerum seu objectorum turpium ferri illum, qui de occultis partibus corporis, vestibus, ægrotationibus ad eas partes pertinentibus libentiùs & frequentius, quàm de aliis rebus loquitur: aut qui metaphoris rerum turpium gaudet, & qui faciliè multa ad sensus turpes detorquet. Etsi enim hæc sæpe excusentur, vel ob inadvertentiam, vel quia

objectum, de quo agitur, non est adeo obscænnum; sæpe tamen, quia deliberatè procedunt ex affectu ad res ipsas turpes, à mortali non excusantur. Tamb. n. 2. & L. 10. c. 1. n. 11. & 13, qui priori loco refert Sælas idem docentem apud Palaum tr. 2. D. 2. p. 10. §. 1. n. 5.

ARTICULUS III.

Peccata operis.

Hoc nomine veniunt illa peccata, quæ externo aliquo actu seu factu (prout quidem istud à verbis distinguitur) consummantur: sùntque etiam ipsa contra DEUM, vel proximum, vel contra ipsum delinquentem.

§. I.

Peccata operis contra DEUM.

243. *Missam die festo sine legitimâ excusatione omisi semel.* vel: *notabilem Missam partem bis:* vel: *partem Missæ levem ter.* Nomine autem Missæ non intelligitur ea, quæ sicca dicitur, sed vera, quæ plus importat, quàm sacrificium. Istud enim consistit vel in sola consecratione utriusque speciei, vel simul etiam in ipsa specierum consecrationum sumptione; Missa verbò huic immolationi superaddit plures alias ceremonias, orationes, & actiones, quæ in decursu Missæ à Sacerdote fiunt, vel dicuntur. Fagund. l. 3. c. 6. n. 2. Dicast. T. 1. in 3. p. tr. 5. D. 5. d. 1. n. 18. utrumque requiritur ad Missam, quam diebus festis Ecclesia jubet audiendam, ita ut nec ceremoniæ solæ sine consecratione, nec consecratio solæ sine prædictis ceremoniis rationem veræ Missæ contineat. Et hic est communis omnium fidelium sensus. Uade

Unde officium feriæ sextæ majoris seu sanctæ hebdomadæ propriè non est Missa, ob defectum consecrationis, nec est ulla obligatio ei assistendi, licet ea feriâ occurrat festum v. g. Annuntiationis B. Virginis. Gavant. in *Comment. ad rubric. miss. p. 3. tit. 26. n. 24.*

244. Obligatio audiendi Missam stringit quolibet die Dominico & festo Ecclesiæ, etsi dies festus ex legitima consuetudine solùm usque ad meridiem sit observandus. *Dicast. d. 4. n. 50. Henriq. l. 9. c. 25. n. 2. Suar. D. 88. S. 5. & alii multi.* Estque ex suo genere gravis sub peccato mortali. *Lugo de Euchar. D. 22. s. 1. n. 2. & alii.* Tenetque omnes fideles baptizatos cujuscunque conditionis, statûs & ordinis, rationis capaces, & legitimè non impeditos, ipsos etiam Sacerdotes, si quidem ipsi non celebrent. *Fagund. c. 2. n. 2. Bonac. de sacram. D. 4. q. ult. p. 11. n. 7. Palau. rr. 22. p. 16. n. 11. & alii communiter.* Nec ab hac lege eximii sunt pueri jam doli capaces, si septennio sunt majores. Etsi enim Sotus, & quidam alii existiment, fideles præceptis Ecclesiæ non obligari priùs, quam annos pubertatis saltem attrigerint: hi tamen non sunt audiendi: sed potius illi, qui communiter censent, septimo ætatis anno expleto (hoc enim tempore communiter censetur in pueris usus rationis adesse, qui sufficiat ad peccatum mortale) pueros obligari, nisi expressè excipiantur (ut excipiuntur in præcepto jejunandi, seu abstinendi à duplici refectione, cum dies est jejunii) ad servanda præcepta Ecclesiæ, adeoque ad audiendam diebus præscriptis Missam. Unde consulendum parentibus, ut quamprimum aliquis in eorum liberis apparet usus rationis, assuefa-

R. P. Stoer Trib, Pœnit.

cient eos sacra frequentare, etsi nondum obligentur: hoc enim Christianam pietatem decet: nisi tortassis tam parvi sint, ut neque res divinas ullo modo apprehendere, neque in templo quieti decenterque contineri possint, tunc enim præstat, eos domi manere, ne videlicet alios graviter turbent; & illos ipsos, qui eos adduxerunt, ab oratione, & pietate impediunt.

245. Est autem hæc ipsa obligatio alligata diei, atque adeo cum ipso expirat. Unde qui die festivo sacrum non audivit, non tenetur postero die eum defectum supplere. *Dicast. de sacrif. Missæ. D. 5. d. 4. n. 55.* Sed nec uno die plures, quam una Missa est ex præcepto audienda, etiam in die Natalis Domini. *Fagund. l. 2. de 1. præcept. Eccles. c. 3. n. 1. Reginald. l. 19. n. 20. Bonac. n. 9. & alii;* nullum enim de hoc extat præceptum: & consuetudo, si qua forsan apud plures invaluit, non obligat; præterquam quòd nec Sacerdotes, cessante scandalo, teneantur sæpius eo die ex præcepto celebrare; & licet tenerentur, non potest à celebratione missæ argumentum desumi ad ejusdem auditionem: ad multa enim obligantur Sacerdotes, ad quæ reliqui non sunt obligati.

246. Jam verò Missa audienda est tota & integra. *Lugo n. 3. Tamb. n. 3. & alii omnes.* Sumitur ex *Cap. omnes fideles. & Cap. Missas. de consecr. dist. 1.* Excusaberis tamen à peccato mortali, si partem tantùm levem omittas. Quænam autem sit, aut censetur esse levis, postea dicetur. Interim illud moneo, quòd qui majorem Missæ partem non potest audire, ad minorem audiendam non sit obligatus. Quænam autem sit major pars, non satis convenit inter Doctores. *Lugo n. 4. vi-*

Aa

detur

detur eam habere pro majori parte, quæ
 adhuc includit consecrationem: unde qui
 Ecclesiam ingreditur, cum Sacerdos non-
 dum consecravit, tenetur reliquum, quod
 superest, audire: quia tunc pars principalis,
 & quæ potissimum intenditur, audiri
 potest; & hinc qui primum post consecra-
 tionem venit, non tenetur superstiti parti
 assistere, quia tunc deest pars principalis.
 Quod exemplo feriæ sextæ in sancta heb-
 domade confirmare possumus, in qua
 omnes dicunt, non esse, etsi dies festus oc-
 currat, obligationem assistendi rei divinæ
 tunc peragi solitæ, quia etsi adsit com-
 munitio, & alia quædam, deest tamen
 Consecratio. Possit autem is, qui post
 consecrationem accedit, ac commodare se
 sententiæ asserenti, sacrificium etiam in
 sumptione Eucharistiæ consistere, atque
 adeo judicare, se præcepto satisfacere; quia
 tunc sacrificium non omittit. Quod si au-
 tem nec consecrationi, nec sumptioni in-
 terfit, nullo modo satisfacere tenent Lu-
 go, Tamb. *l. cc.* quia tunc in omnium sen-
 tentia omittit totam substantiam sacrificii.
 Verùm Arriaga. *T. 7. D. 57. §. 1. n. 10.*
 videtur sentire, eam partem, quæ illam,
 quam paulò post modicam dicemus, ex-
 cedit, pro majori habendam esse, sive de-
 in includat consecrationem, sive non: ta-
 met si enim inter partes, quæ sacrificium
 Missæ constituunt, consecratio sit maximæ
 æstimabilitatis, atque adeò ceteris sit lon-
 gè major dignitate; nondum tamen dici
 potest major esse quantitate, cum tempus,
 quod ipsi responderet, sit respectu illius,
 quod reliquis Missæ partibus responderet,
 valde modicum: à quantitate enim tem-
 poris in hoc puncto præcipuè detumend-
 dum videtur, quid modicum sit, quid

magnum. Et ideo, licet is, qui consecra-
 tioni adesse non potest, non possit dici in-
 teresse sacrificio, adhuc tamen tenetur as-
 sistere reliquis partibus: quia Ecclesia vi-
 detur præcipere interesse non solum sacri-
 ficio in eo rigore, sed toti sacro, prout
 omnes alias ceremonias & orationes in-
 cludit. Unde qui consecrationi non inter-
 est, non peccabit mortaliter, modo reli-
 quo sacro, vel majori illius parti interfit;
 quod inde confirmari potest; quia si sacer-
 dos ex malitia consecret solum panem &
 vinum, is, qui huic consecrationi interest,
 in nulla sententiâ audit sacrum, & conse-
 quenter nec satisfacit præcepto audiendi
 Missam; quia Ecclesia non præcipit solum,
 ut consecrationi, sed insuper ut etiam ce-
 teris ceremoniis, quæ tamen in eo casu de-
 sunt, assistamus. Et hinc licet respectu Mis-
 sæ, prout est præcisè sacrificium, non sint
 quid substantiale, aut notabile, sunt tamen
 respectu præcepti Ecclesiæ materia gravis.
 Neque hinc sequitur, feriâ sextâ majoris
 hebdomadæ sub gravi obligatione audien-
 das esse eas ceremonias, si forte in eam fe-
 riam incidat dies festus; quia Ecclesia
 non præcipit eas ceremonias solitariè sum-
 ptas, sed ut sunt partes Missam verè ac
 realiter componentes: eâ autem feriâ non
 fit Missa, sed communio privata, cui nemo
 tenetur adesse. Ita Arriaga; cui assentior:
 quàm autem rectè, aliis decidendum relin-
 quo.

247. Colligo, eum, qui unam Mis-
 sæ partem v.g. ab Introitu usque ad Præ-
 fationem inclusivè ab uno; postea alte-
 ram, nempe à Præfatione usque ad finem
 ab altero Sacerdote audit, non satisfacere
 præcepto Ecclesiæ. Coninch. *de Sa-
 cram. q. 83, a. 6. dub. un. n. 288.* Tamb. *l.*

4. in Decal. c. 2. §. 1. n. 10. Fagund. 1. Eccl. prac. l. 2. c. 6. n. 12. Lugo de Evch. D. 22. f. 1. n. 8. & alii. quia illæ partes nullam inter se connexionem habent; nec una cum altera tanquam ad unum sacrificium constituendum coalescit, sed quælibet ad suum sacrificium complendum ordinatur ergo præcepto Ecclesiæ non satisfacit; hac enim præcipit unius sacri auditionem, non duas duorum medietares; alioqui enim posset eas etiam simul audire; quod licet Bonac. D. 4. de sacrific. Miss. q. ult. p. 11. n. 13. Dian. 2. p. tr. 14. R. 18. & p. 4. tr. 4. R. 107. in fine. & p. 5. tr. 14. R. 52. §. Notatamen, & p. 8. tr. 3. R. 89. & alii, ut probabile admittant; Arriaga tamen f. 3. n. 17. Reginald. l. 19. n. 26. Coninch, n. 288. & alii merito rejiciunt tanquam absurdum. Eadem enim ratione possent à tribus, quatuor, aut plurius sacerdotibus simul celebrantibus variæ partes Missæ audiri & satisfieri: quod sanè videtur prorsus contrarium esse fidei sensui, consuetudini ac pietati, satis declaranti, aliam esse mentem Ecclesiæ, præcipientis auditionem Missæ. Jamque est Propositio hæc 53. inter prohibitas à S. D. N. Innoc. XI 2. Martij 1679.

247. Sed jam quæ pars Missæ sit parva, ut qui eam omittit, non censeatur peccare mortaliter, variant auctores. I. aliqui putant, partem levem esse, quæ est à principio Missæ usque ad Epistolam exclusivè. Suar. de Evchar. D. 88. f. 2. Bonac. n. 16. & plures. II. alii illam, quæ etiam Epistolam cum Tractu includit, Reginald. n. 24. Coninch. n. 285. Fag. n. 3. & alii. III. Nonnulli adhuc sunt liberaliores; nam intra terminos parvæ ma-

teriæ censent comprehendi etiam Evangelium. Hurrad. de Sacrif. Miss. D. 5. diff. 1. Henriq. l. 9. c. 25. n. 7. Dian. p. 5. tr. 4. R. 38. in fine. & tr. 5. & 44. quod probabile judicant, Bonac. n. 17. Lugo n. 3. Imò IV. Amalarius, quem refert Laym. l. 4. tr. 7. c. 3. n. 3. putat, totum id, quod est ab initio Missæ usque ad Offertorium esse modicum: quod licet Laym. ipse non probet, non audet tamen damnare peccati mortalis. Qui ergo ultra eam partem quam levem judicaverit, aliquid omiserit, omittit partem notabilem, & peccat mortaliter, & præcepto de audienda Missa non satisfacit. Potest autem quantitas notabilis coalescere ex plurius partibus, quæ per intervalla omittuntur, Reginald. n. 25. Navar. in Man. c. 21. n. 2. & in cap. Quando. de Consecr. dist. 1. Not. 10. n. 19.

248. Neque refert, quo loco audiat Missa. Potest ergo in quacunque Ecclesia vel loco extra propriam parochiam audiri. Lugo n. 1. Arriag. n. 8. Dicast. n. 57. Navar. c. 21. Man. n. 5. & alii communiter. quia nulla de hoc extat lex, vel si aliquando fuit fortè obligatio, audiendi sacrum in propria parochia illi tamen postea derogatum est, vel varijs Religiosorum privilegijs, vel contraria consuetudine. Concilium Trident. quod sess. 24. c. 4. de reform. ait, unumquemque teneri suæ parochiæ interesse, loquitur non de Missa, sed Concione, & quidem non aliter, nisi quantum commode fieri potest: Sed hoc præceptum, quia commode servari non potest, saltem communiter, idè receptum non est, ut universalis consuetudo Ecclesiæ ostendit. Si qui alii textus objiciantur, ij vel intel-

ligendi sunt de contemptu, aut periculo ignorandi necessaria, veluti *Cap. ut Dominicus de Parochiis*, vel indeterminatè de audienda missa in parochia aut alio loco, ut *cap. 35. si quis de Consecr. dist. 1.* Unde Marchant. *in suo candel. mystico tr. 4. c. 7.* & *in Resol. moral. c. 8.* frustra, quia sine fundamento, voluit hinc scrupulum movere, & non sine iracundia contra Regulares contendere, fideles in eorum Ecclesiis Missam audientes non satisfacere præcepto. Sed & in privatis oratoriis, qualia sunt in arcibus & ædibus nobilium, audiri potest Missa. Bonac. *p. 12. n. 4.* Palau *tr. 22. p. 16. n. 3.* & alii, quia spectato jure communi nullus locus est determinatus ad audiendam Missam: nisi fortassis ii, qui jus commune arctare possunt ad certos terminos (quales non sunt Ordinarii inferiores Juris communis Conditor Navar. *l. c.*) restringant ad certas personas; quia tunc aliarum personarum, et si ejusmodi lacris intersunt, non tamen intersunt cum effectu ad satisfaciendum præcepto.

249. Ceterum ut censeatur aliquis audire sacrum, debet eidem esse præsens: hæc autem præsentia debet I. esse corporalis; non enim satis est, si quis cum domo procul à Sacerdote existat, eidem se sola mente præsentem constituat. II. Eadem tamen præsentia physica non debet esse tanta, ut inter te & sacrificantem vel omnino nullum, vel non nisi valde modicum spatium intercedat: sufficit, si sit moralis; qualis erit, si quis eo loco assistat Missæ, ut vel ipse quid agatur, percipiat, hoc est, si quis, ut Sañch. *l. 3. de Matrim. D. 39. n. 1. & II.* notat (loquens quidem de sola assisten-

tia Parochi ad Matrimonium; sed eadem est ratio de assistentia fidelium ad Missam) ad id, quod fit, attendat, sensu aliquo externo vel audiendo vel videndo sacrificantem, vel saltem ita aliis audientibus vel videntibus se associando, ut ex signis externis colligere possit, quid à celebrante agatur, spectatâ loci naturâ, etsi ipse per accidens nihil audiat, videat, vel intelligat; modo sit pars illius multitudinis, quæ præsens dicitur, & est in conspectu altaris, per moralem conjunctionem unita; id quod in templo non adeo vasto semper contingit, etiam post columnam Ecclesiæ, etiam post altare, in choro pro Religiosis vel Clericis ibi cantantibus. Et potest hæc associatio cum multitudine hominum audientium sacrum etiam in templo valde vasto, quale est S. Petri Romæ, facere, ut qui postremi sunt in ea multitudine, censeantur moraliter præsentem esse Sacerdoti celebranti. Tamb. *n. 12.* Hinc autem obiter patet, eum, qui è suis ædibus, totâ quidem plateâ, non tamen nimis v.g. pedes 30. vel non multò plures latâ, à templo dissit, audiat sacrum, præcepto satisfacere; adhuc enim moraliter censeatur esse præsens: secus, si distantia fuerit nimis magna. Lugo *f. 2. n. 21.* Tamb. *n. 14.* Dicast. *de sacrif. Missæ D. 5. d. 4. n. 59.*

250. III. Eadem præsentia debet esse humana, id est voluntaria & libera, hinc ebrius & dormiens, etsi factio sit physicè præsens, non tamen satisfacit præcepto. Imò neque si vigilans cepit interesse, & deinde obdormit; quia illi non exercent actionem humanam: iste verò interrumpit. Lugo *n. 19.* Tamb. *n. 11.* ubi

11. ubi refert etiam Sanch. *Tr. consil. lib. 7. c. 2. dub. 33.* qui tamen ex metu, quantumvis gravi, audit sacrum, adhuc satisfacit. Sanch. *l. 1. Mor. c. 13. n. 4.* Palastr. *3. D. 1. deleg. p. 17. n. 5.* Bonac. *deleg. D. 1. q. 1. p. 10. n. 5.* & alii. Et ideo famuli, pueri, scholares, & si qui sunt alii, & qui Missam audiunt ex metu pœnæ à suis Dominis, Parentibus, Magistris &c. aliàs infligendæ, explent præceptum, si nihil aliud desit.

251. IV. Eadem præsentia debet esse religiosa & devota, juxta *cap. Dolentes, de celebr. Miss.* qualis erit, si fiat cum debita intentione & attentione. Ad intentionem quod attinet, debet illa esse talis, quâ velit audire sacrum: & sufficit, si sit implicita; qualem habet, qui vult per hunc actum suo officio satisfacere, aut facere, quod alii similem actum exercentes faciunt; sine hac enim voluntate non exercetur actus religiosus: cum nemo censeatur alterum colere per actum, nisi hunc ipsum ex eo motivo eliciat. Unde, qui manet in templo animo expectandi amicum, declinandi pluvias, aut etiam pia meditandi, non audiendi sacrum; non satisfacit præcepto Missæ, etsi interim, dum adest, legatur. Lugo *n. 23.* Tamb. *n. 17.* satisfacit tamen, qui animo videntis feminam, aut vanam gloriam aucupandi, accedit ad templum cum intentione simul audiendi sacrum: quia hæc duæ intentiones se non impediunt. Tamb. Lugo. *ll. cc.* Palaus. *p. 18. n. 3.* & *tr. 22. p. 16. n. 2.* Sanch. *c. 14. n. 1.* Non est tamen necesse, ut habeat intentionem satisfaciendi præcepto, hanc enim legislatores non exigunt, contenti solius operis, quod præcipitur, positio-

ne. Et ideo si immemor, aut etiam omnino ignarus diei festi audiat sacrum, satisfacit præcepto, quia verè exequitur rem præceptam. Lugo. *n. 24.* Tamb. *n. 18.* Palaus *de leg. D. 1. p. 17. n. 8.* Sanch. *c. 13. n. 9.* Arriag. *T. 7. D. 57. f. 7. n. 42.* Bonac. *de sacrif. Miss. D. 4. q. ult. p. 11. n. 22.* Dicast. *dub. 5. n. 66.* Imò si audiat sacrum cum expressa voluntate præceptum per illud sacrum non implendi, sed per aliud postea audiendum, adhuc satisfacit præcepto, licet mutatâ voluntate postea aliud non audiat. Palaus *n. 12.* Bonac. *p. 11. n. 23.* Dicast. Tamb. Lugo. *ll. cc.* quia nemo violat præceptum omittendo id, quod non est præceptum; voluntas autem implendi præceptum, non est præcepta. Est tamen ea voluntas utique deponenda: alioqui licet non in effectu, tamen in affectu committetur peccatum.

252. Ceterum Attentio, si de jure naturali & divino sermo sit, debet esse interna, quæ nempe omnes internas voluntarias distractiones ad aliena excludit: non enim non potest non esse irreverentiæ reus, qui Divina ita distractus peragat. At si de præcepto Ecclesiastico sermo sit, valde probabile est, eum, qui sacro assistit, & interea mente per omnia aliena objecta vagatur, Ecclesiæ audicionem sacri præcipienti non satisfacere; probabilius tamen est, inæ fragilitati accommodatius, ac ipsius Ecclesiæ benignitati consonantius, satisfacere, ut Tamb. *n. 19.* & Dicast. *d. 8. n. 100.* & apud hunc plurimi alij docent: modò, quod Ecclesiæ omnino vult ac præcipit, externa distractiones caveantur, hoc est, actiones, quæ ex se natæ sunt internam

attentionem penitus impedire. Tamb. n. 20. Arriag. n. 38. Vide, quæ n. 106. diximus. Ex dictis autem hætenus

253. Patet I. sub sacro, etiam ex obligatione audiendo, posse penſum horarum Canonicarum, & alias preces quascunque, etiam obligatorias v. g. ex voto, pœnitentia Sacramentali &c. perſolvi; non enim recitatio impedit externam præſentiam religioſam: imò nec internam. Tamb. n. 16. Palauſ tr. 72. p. 16. n. 4. Suar. de Sacram. D. 88. ſ. 6. verſu: *ſeptimum caput. & alii communiter.*

254. Patet II. Eum, qui tempore ſacri ex præcepto audiendi confitetur, non ſatisfacere ſuæ obligationi. Lugo. ſ. 2. n. 22. Arriag. ſ. 6. n. 36. Tamb. n. 15. & alii communiter: etſi enim ea actio religioſa ſit, & ad cultum DEI ordinata, impedit tamen attentionem internam. Alioqui poſſemus etiam eodem Miſſæ tempore noſtra peccata intra vel extra Confessionale recenſere Patri ſpiritali, non animo abſolutionem ab ijs obtinendi, ſed præciſè conſilii vel auxilii accipiendi; conſulere Theologum circa caſus conſcientiæ; ſervire ægrotis &c. ſunt enim hæc actiones etiam piæ. Suppono autem poſſe vel Confessionem differri, vel certè poſtea aliud ſacrum audiri: ſi enim etiam Confefſio differri nequeat, tunc poteſt, prætermiſſo ſacro, peragi, quia lex de Confefſione faciendâ videtur eſſe majoris momenti, quàm lex de audiendo ſacro. Poſſunt tamen tales ſæpe excuſari à gravi peccato propter materiæ parvitatem: ſæpe enim brevi tempore expediuntur Confefſiones. Neque etiam à ſacro interea audiendo impeditur quiſquam, dum ad Confefſionale ſtat, & expectat. Hinc autem à fortiori.

255. Patet III. Multò minùs eum ſatisfacere præcepto Miſſæ, qui exerceat tunc quandam actionem externam non piã, ſi quidem de ſe nata ſit internam attentionem penitus tollere, quales ſunt confabulari, nugari, ludere, legere nova, pingere, oculis hinc inde vagari, & alios templum ſeu ingredientes, ſeu egredientes arbitrari &c. Nec ab hac lege exemptos ſe eſſe exiſtiment Principes, Magnates & ſimiles; tenentur enim ii, perinde ut plebei, ſervare leges non tantùm naturales & divinas, ſed etiam humanas: vel, ſi putent, habere ſe aliquod exemptionis privilegium, oſtendant illud. A mortali autem peccato excuſari poſſunt omnes, qui ſolùm per modicum tempus confabulantur &c. Bonac. n. 24. multò magis ii, qui dum ſerviunt miſſæ, recedunt ab altari, ut deferant vinum, hoſtiam, thus, aut aliquid aliud ad cultum ſacrificii ſpectans: imò hi omnino non peccant; cenſentur enim, dum hæc faciunt, non abeſſe. Palauſ n. 7. Lugo. ſ. 1. n. 6. Bonac. n. 18. & alii.

256. Patet IV. Etiam cæcum, & ſurdum poſſe atque adeo etiam debere intereſſe ſacro: quia uterque moralem & humanam præſentiam exhibere poteſt. Palauſ n. 4. Bonac. n. 19. & 20. At ſi idem ſimul cæcus ſit & ſurdus? Fagund. l. 2. c. 7. n. 3. talem obligat. Sed Palauſ l. c. eum abſolvit; eò quòd non appareat, quo pacto humanam præſentiam exercere poſſit.

257. Patet V. auditionem Miſſæ non conſiſtere in eo, quòd quis verba Miſſæ intelligat; hoc enim ruſtici aliſque ruſdes neſciunt; nec in eo, quòd quis videat celebrantem; hoc enim cæci nequeunt;

queunt; sed in eo, quod quis per præsentiam corporalem & religiosam celebranti assistat animo audiendi Missam. Quæ omnia ex dictis intelliguntur.

258. Verùm sũntne die festo præter Missam quædam aliæ actiones piæ ex præcepto exercendæ? Non sunt. Unde I. non est concio audienda; nullum enim de hac exstat præceptum. Palauus *tr. 9. p. 4. n. 5.* Fill. *tr. 27. c. 8. n. 132.* Suar. *T. 1. de Relig. l. 2. de festis. c. 16. n. 6.* Neque II. aliæ preces recitandæ, præter eas, quæ in Missa dicuntur, assistendo & attendendo ad illas. Constat ex usu fidelium: qui tamen possunt, si velint, tempore Missæ alias preces sive ex devotione, sive ex obligatione dicere. Extra Missas ergo fideles non tenentur aliis publicis Ecclesiæ precibus seu horis Canonicis, aut Vesperis assistere: at stant, laudandi sunt. Neque III. communio, etiam Paschalis, die festo obeunda est: extra tempus enim paschale sicut absolutè nulla est obligatio Eucharistiam sumendi, ita non est hoc potiùs, quàm alio tempore sumenda: tempore verò paschali etsi præcepta sit, perinde tamen est, quod die sumatur, ut habet recepta fidelium praxis & consuetudo, quæ proinde suffulit, quod *Canone 10. Apostolorum* de communione, inter Missarum solennia diebus festivis peragenda, constitutum est. Neque IV. Actus amoris DEI super omnia, aut contritionis eliciendus est. Palauus *n. 8. §. 9.* Suar. *n. 12. §. 14.* nullum enim fundamentum est hujus obligationis. Neque V. oblationes sacræ faciendæ sunt ex vi præcepti de festorum observatione: Palauus *n. 7.* Suar. *n. 11.*

ita enim consuetudo præceptum illud explicavit.

259. Hactenus de obligatione audiendi Missam. Videamus nunc, quænam causæ sint justæ, quæ possint ab ea excusare. Adferemus autem non omnes, sed præcipuas & magis obvias, quæ possunt generatim ferè ad tria capita revocari: ad impotentiam, consuetudinem, & peregrinitatem. Impotentia autem alia est absoluta, alia moralis: illa est, quæ simpliciter per vires & statum præsentem superari non potest: ista est, quæ oritur ex damno vel incommodo, saltem mediocriter notabili in bonis vitæ, fortunæ aut famæ, vel aliquâ difficultate, seu labore mediocri in audienda Missa: hæc enim est mens Ecclesiæ præcipientis instar discretæ & benevole Matris, & atque adeo nolentis, ut sua præcepta cum gravi, sæpe etiam mediocri incommodo & difficultate obligent; nec est necesse, ut damnum illud seu incommodum sit proprium: sufficit etiam alienum, seu proximi: imò juxta Arriagam *T. 7. D. 57. f. 5. v. 29.* in admittenda excusatione non oportet multum esse scrupulosum. Certè à peccato mortali contra præceptum de audienda Missa excusari potest is, qui bonâ fide putat, se habere justam causam, etsi à parte rei justa non sit. Hinc ergo in particulari.

260. Excusantur à præcepto audiendi Missam I. in carcerati, ægroti, lecto affixi, mari navigantes, per vim, vel etiam ob correctionem domi velut in carcere detenti, justo superioris præcepto, vel juramento ad domi remanendum obstricti. Tamb. *l. 4. in Dec. c. 2. §. 2. n. 3. §. 4.* Quodsi

4. Quod si tamen hi privilegium habeant celebrandi domi vel in carcere &c. probabilius est, eos obligari ad audiendum sacrum, si vel ipsi sint Sacerdotes, vel faciliè sine novo incommodo v.g. sine stipendio queant habere sacerdotem, qui faciat sacrum. Tambur. n. 4. Lugo n. 14. & alii, quia vi illius privilegii sublatum est impedimentum, & consequenter materia præcepti reddita servatu possibilis. Dixi autem: *si faciliè &c.* quia aliàs manent excusati. Non enim Ecclesia, cum obligat ad Sacrum, obligat simul ad media non consueta, nec ordinaria, quale est conducere Sacerdotem. Bonac. p. ult. n. 14. Suar. cit. D. 88. s. 6. Dicast. cit. D. 5. d. 10. n. 167. Nec refert, etsi ipsimet huic impedimento dederint causam; modò positio hæc non sit nimis propinqua, nec ex animo non audiendi facium proveniat: quia vi ipsius præcepti nemo tenetur in statu, quo obligatur lege, se conservare, sed quòd perseverans in eo statu impleat obligationem; ut pluribus tradit, Dicast. D. 5. cit. d. 10. a n. 144. Quamquam hi omitendo postea sacrum non peccent, quia auditio ejusdem non est amplius in eorum libera potestate. II. Convalescentes ex morbo, quibus prodire foras certum est obesse; imò etiam si sit periculum vel dubium tantum, an is egressus sit nociturus; etsi enim relapsus ipse in pristinum morbum sit incertus, periculum tamen illius aut dubium est certum, & ideo non tenetur; imò nec potest exire. Dicast. 174. ubi rectè notat, quemlibet in tali dubio posse esse suum iudicem & assertorem, si sit ipse satis pru-

dens. III. Qui custodiunt castra, urbem, gregem, merces, domum, infantes (vel puerum, qui in templo quietus, & sine aliorum perturbatione contineri, & interea nec solus domi relinqui potest) vel ægrotis assistunt pro solatio, vel necessario auxilio ferendo, aut coquere, vel alia similia, quæ omitti non possunt, curare debent. Bonac. n. 3, 5, 7. IV. Qui Missam audire nequeunt, nisi intermittant grave negotium, quod in aliud tempus differri non potest. Hinc excusantur cursores, nautæ, iter facientes & similes, qui si in Missa audienda morarentur, magnas expensas deberent facere, aut negligere commodam occasionem itineris, v.g. socios, cum ipsi viam ignorent, vel pericula metuant. Bonac. n. 6. aliàs tenentur ad Missam ante iter, vel in itinere. Multò magis excusantur itinerantes, qui bonâ fide putant, se in aliqua Ecclesia, dum iter agunt, sacrum, quod audiant, reperturos, & postea non reperiunt. V. Quibus grave periculum imminet magnatum rixarum, reprehensionum, offensionis &c. apud maritum, parentes vel Dominos: Fill. 17. 5. n. 227. Bonac. n. 10. Suar. D. 88. de Evch. vers. quintum caput. Si tamen ferè semper fieret, aliud remedium querendum esset; imò si reprehensiones essent tantum duriusculæ, juxta eundem Bonac. & alios apud ipsum, non essent curandæ: essent tantum leve incommodum. VI. Qui domo exire non possunt ob imminens periculum, ne ab hoste invadantur, vulnerentur, veletiam occidantur, aut à satellitibus comprehendantur, in carceres abducendi. Bonac. n. 9.

VII. Qui non habent vestes statui convenientes: aut solito ac decenti comitatu carent. Bonac. n. 8. Hi tamen non excusantur, si nihilominus ad choreas, aut vana festa egrediantur. Et hinc excusantur etiam agricolæ, qui non habent ocreas aut calceos, si alii ejusdem conditionis homines Missam cum illis audire soleant.

VIII. Quæ ex occulta fornicatione gravidæ sunt, & metuunt, ne, si domo exeant, delictum propeatur. Idem est de conjugatis, quæ marito absente ex adulterio conceperunt, & timent, ne detegantur.

IX. Quæ aliàs notabile, extraordinarium nempe, lucrum amissuri essent; commutpe enim ordinarium non præbet sufficientem causam omittendi sacrum.

X. Qui longius distant ab Ecclesia, nec accedere possunt sine gravi molestia & difficultate: ubi spectanda est loci, temporis, personæ qualitas: fieri enim potest, ut qui cælo sereno non excusantur, etsi iter paulò longius, v.g. unius milliatis conficiendum sit, tempore nivis, aut magnæ pluvie excusentur. Bonac. n. 12. quæ autem distantia absolutè sufficiat ad excusandum, non determinant auctores: aliqui verò, dum hoc facere conantur, scrupulos augment, non minuunt. Existimem, salvo meliori iudicio, generatim sufficere unam dimidiam leucam etiam legalem Hispanicam, quæ apud Dicast. n. 181. continet tria millia passuum communium, cum alia vocetur usualis, quæ continet ferè quinque millia passuum, & æquat bonum milliare Germanicum.

XI. Puella, quæ, si domo exeat, credit se ab adolescente lascivo turpiter concupiscendam: sed censeo, idcirco non esse omittendum sacrum; hoc enim damnum & scandalum per accidens sequitur, nec est curandum: potest ergo puella hæc sine scrupulo templum adire, ut sacrum audiat, quia utitur suo jure, quo non est privanda ob alterius malitiam: alioqui feminae perpetuis premerentur scrupulis, incertæ, ac dubiæ, an possint exire domo, audire sacrum &c. Bonac. n. 15. & de matrim. q. 4. p. 9. n. 17. Navar. c. 14. n. 3.

261. Alterum caput, quod n. 259. dixi, excusans ab obligatione audiendi sacrum, est Consuetudo. Hæc enim ut legem inducere, ita & tollere vel moderari potest. Hoc titulo excusantur I. Viduæ, quæ mortuo marito per aliquot dies domi se continent. Idem est de filiabus, sororibus &c. II. Feminae, quæ post partum, habitamque salutem per aliquot dies, imò & septimanas domo non egrediuntur. III. Virgines nobiles, si prius, quam nuptui tradantur, in publicum non prodeunt, Tamb. n. 9. Palaus n. 7. Bonac. cit. p. 9. n. 25. & 26. quod si tamen eæ eodem tempore soleant exire ad ludos, choreas, & spectacula publica, Palaus l. c. Navar. c. 21. n. 9. non excusat: excusat verò Bonac. n. 26. si sit recepta consuetudo non exeundi: sed hæc videtur potiùs corruptela & abusus; si enim ejusmodi puellæ citra noxam & periculum pudicitie, aut ne deperditè concupiscantur, adire choreas, spectacula &c. usque diu assistere, imò & choreas ipsas ducere possunt, cur non & breve tempus sacro dare possint, nihil sibi aut suæ pudicitie metuentes? Illud certius est, feminas ex solo titulo, quo menstrua patiuntur, non excusari. Palaus l. c. Bonac. n. 27.

262. Tertium caput est peregrinitas. Hoc titulo ab audienda Missa excusantur

B b

pere-

peregrini & vagi, qui sicut festa particularia locorum, in quibus deprehenduntur, non tenentur servare, ut habet communis sententia; ita etiam opera, quæ alioquin ab incolis præstanda sunt, non tenentur, secluso tamen scandalo, præstare, adeoque nec Missam audire. Quin quod amplius est, peregrini possunt ex loco suæ habitationis, ubi festum est, exire ad locum, ubi idem festum non celebratur, etiam facti domi suæ prius non audito; modò ante tempus, quo obligatio viget, & impleri potest, egrediantur. Imò etiam tunc idem peregrini liberi sunt ab obligatione sacri audiendi, etsi festum sui domiciliæ etiam in loco sui adventus celebretur: legibus enim proprii territorii, dum extra illud sunt, non tenentur: nec loci ad quem veniunt; non enim sunt illius subditi. Aliud est, si festa sint universalia Ecclesiæ; in his enim vagos, aut quoscunque peregrinos ad sacrum audiendum, si quidem nullum alium excusationis titulum habeant, obligatos esse, extra dubitationem est. Tamb. à n. 10. Laym. l. 1. tr. 4. c. 12. n. 7. Joan. Sancius in *selectis*. D. 54. n. 34.

263. *Die festo servile opus exercui, idque per notabile tempus, & sine justa causa semel.* Opera servilia vocantur, ad quorum exercitium servos etiam conductitios adhibemus, & ad artes mechanicas spectant, & ut plurimum ad corporis utilitatem & exercitium immediatè faciunt; qualia sunt arare, fodere, ferere, metere, ligna, lapidèsque cædere, fabricare. Huc ex usu & consuetudine revocantur, quæ spectant ad artem sculptoriam & chirurgiam. Liberalia sunt, quæ fiunt à liberis, & immediatè pertinent ad exco-

lendam & instruendam mentem; ut sunt dare consilium, studere, docere, scribere, imò & transcribere; choreas agere, cantare, pulsare organum &c. verbo omnia, quæ spectant ad artes liberales. Huc pertinent, venari, aucupari, pingere, si fiant sine magno apparatu & labore. Laym. l. 4. tr. 7. c. 2. n. 6. Bonac. de fest. D. 5. q. un. p. 3. n. 25. Tamb. in *Decal.* l. 4. c. 3. s. 1. n. 9. item characteres in typographia collocare, non tamen imprimere (hoc enim utique servile est; sicut & colores terere, gypso parare relas &c. Tamb. *l. c.*) item etiam distillare aquas &c. Opera media sunt, quæ nec servilia sunt, nec liberalia, ut parare cibos, lavare etiam totum corpus, vestibus se exuere, vel induere: iter facere, seu curru, seu equo, seu pedibus, seu navi; ducere jumenta sine onere; nam ducere jumenta, curru, vel navim, mercibus onusta, aut eadem etiam onerare, utique servile est.

264. Ex intentione ipsius operantis non variant prædicta opera suam naturam. Unde quæ servilia sunt, non desinunt esse talia, etsi vel bono fine fiant v.g. ad sublevandos pauperes, vitandum otium &c. reparandam Ecclesiam; vel gratis absque ulla spe lucri; sicut nec vice versâ ea, quæ liberalia sunt, desinunt esse talia, quòd fiant ob lucrum aut mercedem. Palau. tr. 9. de fest. p. 5. n. 3. Bonac. p. 2. n. 26. Suar. de fest. l. 2. c. 24. n. 3. Tamb. n. 3. Idem est, si hæc fiant ex officio, sive non. Bonac. n. 25. Tamb. *l. c.* Ad rationem operis servilis impertinens quoque est, sive fiat cum defatigatione corporis & labore, sive non; sive brevi sive longo tempore &c. nihil enim horum naturam operis immutat.

265. Jam ex operibus servilibus nullum præter ea, quæ vel jure vel consuetudine permiffa sunt, licet die feſto exercere: ita enim ab Eccleſia in *Cap. Licet. de feriis*. præſcriptum eſt, & communi conſuetudine introductum. Nihilominus tamen regulas artium mechanicarum & ſervilium diſcere, & memoriæ mandare licitum eſt, cum non ſit ſervile. Bonac. *n. 25. prope finem*. Suar. *c. 26. n. 6.*

266. Ex liberalibus autem nullum die feſto prohibitum eſt, præter pauca in jure ſpecialiter excepta, quæ & forenſia dicuntur, & ſunt I. Mercatus, quo nomine intelliguntur nundinæ non tantum publicæ & ſolennes, quæ ſemel vel sæpius intra annum in aliquo certo loco celebrantur; ſed etiam hebdomadariæ, quæ ſcilicet determinato die intra hebdomadam inſtituuntur: & præterea ipſe actus mercandi v.g. contractus emptionis, venditionis, locationis, permutationis &c. Palauſ *p. 6. n. 5.* Bonac. *n. 10.* Suar. *c. 29. n. 2.* Tamb. *c. 4. §. 1. n. 1. & alii.*

267. II. Placitum: quo nomine intelliguntur tres ſpeciales actiones ad ſtrepitum judicialem pertinentes, videlicet Citatio; Proceſſus ipſe, qui fit per cauſæ cognitionem examinando teſtes, exhibendo inſtrumenta &c. & Sententiæ prolatio. Et hæ actiones, tam in ordine ad cautas criminales, quam civiles; imò & ad ſpirituales, quales ſunt beneficiariæ & matrimoniales, non ſolum ſunt prohibitiæ, ſed etiam, ut ex *cap. ult. de feriis*, & *L. ut in die C. de feriis*. conſtat, ipſo jure irritæ, ita ut litigantes non poſſint huic annullationi cedere, utpote factæ ob finem publicum v.g. Religionis, cui fini nullus privatus derogare poteſt. Laym. *n. 7.* Pa-

lauſ *n. 7. & alii*; colligiturque expreſſè ex *cap. ult.* Et in hoc diſtinguitur Judicium à mercatu: hic enim ſolum prohibetur *cap. 1. de feriis*, factus tamen tenet. Palauſ *p. 5. n. 7.* non item Judicium. Valet verò Excommunicatio die feſto contra aliquem lata; abſolutio à cenſuris, & omnis actus Jurisdictionis voluntariæ: conſilium petere ab Advocato, aut ab eodem informari judicem &c. Denique nec appellatio die feſto eſt prohibita, vel quia non eſt actio judicialis: vel quia ſpectat ad propriam & neceſſariam ſui deſenſionem, quæ quolibet die eſt licita. Bonac. *n. 13.* Palauſ *n. 14. & alii.*

268. III. Juramentum, non tantum judiciale, quod fit coram judice; ſed etiam extrajudiciale; id quidem non omne, ſed ſolum illud, quo firmantur contractus & conventiones ſub nomine mercatus prohibitiæ. Palauſ *p. 8. n. 3.* Suar. *c. 30. n. 17.* Et idcirco, qui die feſto contractum prohibitum celebrat, eumque juramento confirmat, duplex peccatum committit, ſpecialiter in confeſſione explicandum, Palauſ *l. c.* Econtra verò, ſi judicium & contractus die feſto celebrari poſſint, etiam Juramentum licitè præſtari poteſt; conceſſo enim principali, & acceſſoria conceduntur. Palauſ *n. 4.* Suar. *l. c.*

269. Quod jam attinet ad actiones, quas ſuprà dixi medias, eæ die feſto licitè exercentur: nulla enim de iis extat prohibitio. Et idcirco cum die feſto liceat iter agere, licet quoque opera ad id neceſſaria vel inſervientia præſtare, v.g. parare equos, currui jungere, in flumine remigare &c. acceſſorium enim ſequitur naturam ſui principalis. Laym. *n. 5.* & alii. Hinc & excuſari poſſunt agalones & au-

rigæ: hi enim ut iter, quod ante diem festum ingressi sunt, continuare possunt juxta Laym. l. c. ita etiam possunt onera levare, & imponere, quantumvis alioqui hoc servile sit: quin imò quia ejusmodi actionibus plerumque modicum tempus impendi solet, iidem aurigæ & agafones sive ex officio, sive quicumque alii, non sunt damnandi peccati mortalis, etsi iter suum etiam incipiant, & nullam aliam excusationem habeant, modò, si possint, priùs audiant sacrum. Tamb. c. 3. §. 1. n. 12. Dian. p. 2. tr. 1. Miscell. R. 36.

270. Ceterùm obligatio abstinendi à prohibitis, stringit omnes fideles septennio majores & rationis capaces: estque ex suo genere gravis, nisi vel necessitas, vel consuetudo legitima, vel alia justa causa excuset, vel etiam parvitas materiae. Quæcunque autem ex ijs fiant, in ordine ad festi violationem perinde est: nec quidquam ad diversificandam speciem ejus violationis facit operis prohibiti diversitas, qualiscunque demum ea sit. Et ideo si transgressio sit gravis, sufficit dicere. *Opus prohibitum exercendo diem festum graviter (vel si levis fuit, leviter) violavi bis.* Sed neq; necesse est exprimere ipsam diem festum, aut ejus qualitatem: perinde enim est, quicumque fuerit; nec mutat speciem, etsi dies paschæ fuerit, qui violatus est. Vide dicta p. 1. n. 73.

271. Potest autem à peccato mortali excusare parvitas materiae, id est, si tempus, quod prohibitis impenditur, est breve: in quo assignando alii sunt nimis laxi, qui nempe gravitatem materiae solum agnoscunt in tertia diei parte: alii nimis rigidi, qui videlicet materiam gravem putant esse spatium unius duntaxat horæ; alii

medii & benigni, qui scilicet ajunt, spatium duarum horarum esse quid notabile, atque adeò sufficiens ad peccatum mortale: alii denique mitissimi, qui tum primum putant graviter peccari contra præceptum abstinendi die festo ab operibus prohibitis, cum ijs plus quam duarum horarum spatium impenditur. Tamb. §. 2. n. 1. Dian. l. c. & p. 5. tr. 5. R. 6. Et alii, quibus assentior, si de servilibus loquamur: nam in forensibus & judicialibus quantitas materiae non ex quantitate temporis, sed qualitate operis est desumenda. Palaus p. 3. n. 5.

272. Quin & alia sunt, ob quæ obligatio abstinendi à servilibus omnino cessat. I. Est necessitas publica: ut si reficiendi sint pontes, fontes, parandum aliquid in repentinum Principis adventum, communem populi lætitiâ &c. Filliuc. tr. 27. n. 211. II. Necessitas privata: sic rusticis ob supervenientis pluviae metum licet fanum, aut fegetes colligere: vitarijs, salinarijs, coctoribus laterum in opere persistere &c. Fill. *ibid.* Ex eodem excusantur famuli & ancillæ, qui diebus festis à prandio vestes sibi reficiunt, cum id alijs diebus facere non permittantur. Imò Tann. D. 8. de Relig. q. 6. n. 8. concedit, licere die festo acu pingere, discendi, aut exereendi causâ. Similiter Diana. p. 3. tr. 5. R. 8. §. *Notandum est etiam.* & p. 4. tr. 4. R. 62. in fine concedit, & absolute excusat Domicellas die festo laborantes, si ad tugandum otium id faciant, sed Tann. Laym. l. 4. tr. 7. c. 4. n. 2. Tamb. §. 2. n. 18. aliud sentit; cum sint alii modi, quibus otium vitari possit. De agafonibus, & alijs itinerantibus jam n. 269. dixi. III. Pietas: sic licet defunctorum insignia para-

parare, tumbas & vestes funebres conficere, causas pauperum, viduarum, aliarumque personarum miserabilium decidere, ne expensis graventur. IV. Consuetudo à Prælati cognita & tolerata. Sic nundinæ etiam solennes diebus festis celebrantur, quæ licet opus servile non sint, specialiter tamen sunt prohibita: sic licitæ sunt locationes, permutationes, venditiones & emptiones rerum parvi momenti, officinis præferim clausis factæ, & à rusticis, qui alijs diebus impediuntur: item causarum civilium inter rusticos, si alijs diebus adesse nequeant, agitationes & decisiones. Sic piscari licet, etiam lucri causâ: sic opifices die festo ad vesperum parant materiam pro labore diei sequentis, rustici acuunt falces &c. V. Absentia à loco, ubi festum celebratur: ex quo si quis etiam animo laborandi exeat ad locum, ubi festus dies non agitur, potest ibidem servilia operari: nec per illam intentionem peccat, cum utatur suo jure. Tamb. n. 20. & alii. VI. Dispensatio vel Papæ, vel Episcopi, aut ejus Vicarij, vel habentis auctoritatem quasi episcopalem. Quales sunt Prælati Regulares exempti, Superiores Religionum respectu suorum subditorum; Capitulum item sede vacante. Palau. tr. 9. p. 10. n. 5. Tamb. à n. 21. & alii: imò & Parochi, non tantum cum difficilis est accessus ad Episcopum, sed etiam eodem præsentente. Tambur. n. 31. Tandem etiam ad Confessarium subinde pertinet saltem declarare, an causa excusationis justa sit, vel non. Laym. c. 2. n. 5.

273. Toto anno nunquam celebravi, etsi nullum habuerim impedimentum. Etsi Tambur. de exped. sacrif. l. 1. c. 6. §. 2.

n. 1. Lugo. de Euchar. D. 20. s. 1. & alii probabiliter censeant, non esse gravem obligationem celebrandi, atque adeo sacerdotem, qui, secluto contemptu & scandalo, totâ vitâ nunquam celebrat, modò in paschate communicet, non peccare mortaliter; contrarium tamen videtur longè probabilius, propter verba Christi *Matth. 26. & Luc. 22.* Hoc facite in meam commemorationem: his enim verbis præceptum celebrandi impositum esse declarat Concil. Trident. *sess. 22. c. 1.* quod, cum sit grave, etiam peccatum grave erit, nunquam celebrare, nisi iusta causa excuset. Bonac. de sacrif. D. 4. q. ult. p. 7. n. 1. Navar. in *Man. c. 25. n. 88.* Coninch. q. 82. p. 2. n. 206. Reginald. l. 29. n. 46. & 166. Suar. D. 80. s. 1. & plures alii apud Bonac. satisfacit autem, qui saltem sæpius, quam quater in anno celebrat, ut colligitur ex *cap. Dolentes. de celebr. Missar.* ubi Innocentius III. reprehendit illos, qui vix quater in anno celebrant.

274. Præter hanc obligationem, omnibus sacerdotibus communem, adhuc alii tituli sunt, quibus celebrare tenentur sacerdotes, videlicet I. ratione Capellanix; & id juxta numerum in literis foundationis expressum, quem propriâ auctoritate minuire non possunt. Possunt satisfacere per alium, nisi expressum sit, ut per se faciant: quod si ratione impedimenti celebrare non possint, non tenentur alium substituere, si impedimentum sit breve, unius hebdomadæ, imò unius mensis; secus, si longum: nisi fortè stipendium tam tenue sit, ut alendo Capellano infirmo non sufficiat. Laym. lib. 5. tr. 5. c. 3. n. 7. & alii. II.

Ratione beneficii. Et ideo tenentur Parochoi celebrare, quoties parochiani ex præcepto tenentur Missam audire, vel ex consuetudine solent, v. g. in funeribus, Benedictionibus nuptiarum &c. vel etiam rationabiliter petunt. Azor. *T. l. l. 10. c. 24. q. 2.* Possunt per alium satisfacere, si sint legitime impediti: aliàs ex mente Concilii Trident. *sess. 23. c. 14. de Reform.* in propria persona celebrare debent, cum id in officijs parochialibus personalem exigit operam. III. Ratione stipendii oblatis, & quidem, ut Palaus *tr. 22. p. 14. n. 8.* docet, ex iustitia: satisfaciunt, si per alium id faciant. IV. Ratione promissionis; nam & ex hac, si acceptetur, oriri potest obligatio gravis, vel levis, prout fuerit mens obligandi. Quod si habueris animum te obligandi, sed abstrahendo, an graviter, vel leviter, Diana. *p. 2. tr. 17. R. 9.* & Sanch. de *Matrim. l. 1. D. 5. n. 25.* Leand. de *Sacram. T. 2. tr. 8. D. 4. q. 16.* docent, si promissis non stes, te tantum peccare venialiter: imò Dicast. de *sacris. tr. 5. D. 4. d. 22. n. 421.* putat, promissionem humanam, seu homini factam, præcisè ut promissio est, non obligare graviter, cum nec fidelitas, ad quam illius promissionis impletio spectat, gravem inducat obligationem. Sed habenda hic est ratio rei promissæ; & spectanda illius, qui promissionem sibi factam acceptat, mens. Et ideo licet Missa in se sit magnum quid, ejus tamen jactura, ut Sanch. notat, non solet magni fieri; & ob id pauci, qui plura sacra alijs promittunt, nec legunt, peccant mortaliter.

275. Missam celebravi duplici pro ea accepto stipendio semel. Pro sacrificio

Missæ stipendium justum, lege nempe vel consuetudine taxatum, accipi posse, certum est, non quidem in pretium fructus ex sacrificio percipiendi, aut laboris eidem sacrificio intrinseci (hæc enim clara esset Simonia) sed in sustentationem sacerdotis sub obligatione fructum sacrificii applicandi illi, qui stipendium offert: dignus est enim operarius mercede suâ *Matth. 10.* neque os bovi trituranti alligandum, *1. Corinth. 9.* Interim tamen I. non satisfacit uno sacrificio, qui duo justa stipendia, sive ab uno, sive à pluribus accipit. Palaus *tr. 22. p. 14. n. 6. ex communi:* & qui aliud docet, aut exercet in praxi, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem lætæ sententiæ, extra articulum mortis soli Papa reservatam, ut videre est in speciali constitutione ab Alexandro VII. super hac re edita. Imò neque II. satisfacit uno sacro, etsi singula stipendia sint inæqualia seu non justa: hoc ipso enim, quod sacerdos accipiat minus stipendium, remittit, quod deest; & unâ tacitè promittit, se offerentium postulato statutum, Palaus. *l. c. & alii:* & ita expressè statuit Congregatio Concilii Tridentini. Neque III. qui plura à diversis accipit stipendia, & dividit fructum sacrificii, uni applicando satisfactorium, alteri impetratorium &c. hæc enim distinctio damnata est & rejecta à dicta Congregatione. Multò minus IV. qui offerenti stipendium applicat fructum, quem vocant specialissimum: hæc enim ita proprius est sacrificanti, ut eum nulli alteri applicare possit. Et licet esset applicabilis, tamen post dictæ Congregationis decretum ab Urbano VIII. confirmatum non posset pro eo distinctum stipen-

stipendium accipi. Neque V. potest Sacerdos Missam, pro qua unus obrulit stipendium, alteri simul applicare ex liberalitate: mens enim offerentis stipendium est, totum sacrificii fructum participare. Neque VI. qui stipendium taxato majus accepit, potest alteri Missam celebrandam committere, parte illius stipendii sibi reservatâ: id enim expressè vetuit sapius citata Congregatio. Laym. lib. 5. tr. 5. c. 1. n. 4. ni fortè detur non intuitu sacrificii, sed solius personæ, quæ danti singulariter chara est, & amica. Dian. 2. p. tr. 14. R. 10. § 13. quin & Capellanus, qui pro paucis Missis habet pingue stipendium, non tenetur plus alteri dare, quàm quod taxatum est; quia Capellano non datur stipendium pro sacrificio. Dian. R. 11. Neque VII. potest sacerdos pro Missa, quam quocunq; demum titulo obligatus est applicare ad certam intentionem, stipendium accipere, alioqui peccaret contra Justitiam, vel certè contra fidelitatem. Hinc I. Capellani tenentur Missam applicare pro fundatore, etsi in literis foundationis non exprimat: possunt tamen, si ad quotidianam Missam teneantur, aliquoties in anno v. g. quater vel sexies pro se, vel suis, vel aliqua causa occurrente (non pro aliis, accepto stipendio) celebrare; idque ex præsumpta fundatoris voluntate: si enim de expressâ contraria constaret, neque hoc possent. Tamb. de exped. sacrif. l. 3. c. 3. §. 1. n. 8. & alii. II. qui accepto stipendio tenentur legere sacrum, etiam tenentur legere juxta petentium intentionem. III. Parochi pro Missa, quam ad nullam certam intentionem, sed præcisè ratione officii pastoralis legere tenen-

tur, non possunt accipere stipendium. Barbof. de potestate Episcopi Alleg. 24. n. 23. & de Parocho. c. 11. n. 10. qui id à Congregatione Cardinalium declaratum esse testatur. Sed Lugo de Evch. D. 21. s. 1. n. 21. Dian. p. 2. tr. 14. R. 26. ajunt, de hac declaratione authenticè non constare, & ideo tradunt contrarium, quod propter auctoritatem tantorum virorum tutum est.

276. Sub celebratione Missæ levem defectum commiser. Qualis est, omittere hymnum Angelicum, Symbolum Nicænum, nomen unius aut alterius Sancti in Canone; vel ea, quæ certis temporibus interponuntur inter *Communicantes*, & *Hanc igitur*; particulam enim in formis consecrationis, Fill. tr. 5. n. 155. Dian. R. 59. § p. 5. tr. 5. R. 45. § 63. item orationes dici solitas, dum sacerdos se sacris vestibus induit: item in Missa majori Epistolam aut Evangelium à Ministris canendum: non enim in præcepto est, ea submissâ voce legere. Nec refert, quòd aliqui id faciant; multa enim sunt consuetæ, quæ non sunt præcepta. Dian. p. 2. tr. 14. R. 42. & p. 5. tr. 5. R. 46. & tr. 13. R. 95. celebrare sine cruce in altari, aut cum una tantùm candela cerea extra casum necessitatis: aut cum lumine olei vel adipis in casu necessitatis. Dian. cit. p. 2. tr. 14. R. 45. § 67. Negligere rubricas, quæ sunt minoris momenti v. g. in formandis crucibus, faciendis genuflexionibus, inclinationibus capitis, humerorum &c. elevationibus oculorum &c. Nam quæ graviores sunt, (quales sunt, quæ verè præceptivæ sunt, nec ferè aliæ, quàm quæ aliquid substantiale sacrificii continent, aut magni mysterii signi-

significativæ sunt, ut infusio aquæ in vinum) negligere, utique peccatum mortale esset: quale etiam esset, in forma calicis omittere illa verba, *Novi & æterni testamenti &c.* quæ etsi certum non sit, esse de essentia formæ, non desunt tamen, qui docent, esse: & ideo omittens illa verba exponit Sacramentum periculo nullitatis, & consequenter graviter peccat. Bonac. *D. 4. sæpius cit. q. 3. p. 2. n. 2. & alii communiter.*

277. *Ad altare privilegiatum, cum tamen obligatus essem, non feci sacrum bis.* Constat sacrum in Ecclesia vel alio loco, ac etiam profano, legitimâ auctoritate ad id deputato, legendum esse, aut legi posse. Sed id fusiùs prosequi non est modo nostri instituti. Huc spectat, si Capellanus, vel alius obligatus pro stipendio Missam celebrare in tali Ecclesia vel altari, non celebret in tali altari &c. hic enim plerumque peccat mortaliter. Fagund. *in 1. præcept. l. 3. c. 9. n. 6.* Excusantur tamen, qui ter vel quater intra unius anni spatium in destinato sacello non celebrat. At verò qui stipem accipit pro Missa in certo altari privilegiato legenda, & eam non legit, non satisfacit; etsi legat in alio altari cum numismate benedicto, existimans, se cum illo animæ profuturum: tenetur enim omnino in altari privilegiato legere Missam, & quidem *de Requiem*, aliàs indultum ipsi non suffragabitur; ut declaravit sacra Congregatio Rituum 13. Julii 1601. nisi fortè eo die occurrat festum duplex de præcepto: hoc enim die, ut eadem Congregatio declaravit 24. April. 1626. Missa *de Requiem*, legi non potest. Ceterum, qui in diverso loco celebrat,

peccat quidem, sed ad restitutionem stipendii non tenetur, nisi ratione minoris frequentiæ subtrahat defuncto aliquod suffragium, quod tenetur aliis precibus compensare. Diana *p. 2. tr. 14. R. 29.*

278. *Missam unam legi pro altera ter.* v.g. cum legenda esset de Sancto, legi de feria, vel vice versâ; vel Missam Assumptionis, aut Nativitatis B. Virginis extra suum diem. Hoc enim est peccatum veniale, si quidem sine justa causa fiat, Tannerus *T. 4. D. 5. q. 10. d. 1. n. 6.* relatus à Diana *R. 55. & p. 4. tr. 4. R. 39.* Qui autem titulo vel stipendii, vel Capellaniam tenetur certam determinatam Missam v.g. de B. Virgine, vel pro defunctis legere, non satisfacit, legendo aliam, juxta Laym. *l. 5. tr. 5. c. 1. n. 15.* Palaus tamen *tr. 22. p. 14. n. 10.* Lugo. *D. 21. de Euch. f. 2. n. 35.* Dian. *R. 31. & p. 3. tr. 6. R. 2.* putant, satis esse, legere Missam de festo, vel die currente, ut proinde talis non peccet saltem mortaliter, nec teneatur ad restitutionem. Non debent tamen facilè legi Missæ Votivæ, aut de Requiem, maximè diebus Dominicis, maximè privilegiatis, & cum occurrunt duplicia ex præcepto. Si tamen funus deferatur ad Ecclesiam, potest etiam istis diebus Missa *de Requiem* legi, sed ab uno tantum, ita ut ceteri sacerdotes, qui ad funeris celebritatem confluunt, legant de Dominica, & festo duplici saltem primæ & secundæ classis. Ceterum causa justa commutandi Missam censetur esse major erga talem sanctum devotio petentis Missam, vel eam legentis, juxta Cap. *quidam. de celebrat. Missarum.*

279. *Sub sacrificio Missa usus sum berrucâ ter.* Berrucâ usum tempore sacrificii li-

illicitum esse, duplici argumento laudari potest: tum quia subrogatum sapit naturam illius, cui subrogatur: ergo & berruca, seu capillus fictus sapit naturam veri; hunc autem tempore sacrificii non deponimus, nec est, qui possit, nisi parum sapiat, suadere deponendum esse; tum quia in hoc casu cessat causa prohibitionis, nimirum irreverentia, si capillus fictus, ut fieri potest, sit ad modestiam & decentiam clericalem compositus: certè jam passim cum ejusmodi capillo coram Cæsaribus, & Regibus sine ullius irreverentiæ notâ Magnates eorum comparere solent.

280. Nihilominus tamen omnino tenendum est, usum fictorum capillorum tempore sacrificii illicitum esse, seclusa speciali facultate, necessitate aut consuetudine legitimè introductâ. 1. Propter specialem prohibitionem *Cap. Nullus Episcopus. de consecrat. dist. 1.* ubi absque ullo discrimine prohibetur quodcumque capitis velamen non naturale, quale certè est berruca; hæc enim non est principaliter & per se inventa, & in usum deducta, ut vice capillorum verorum esset, sed potiùs, ut suppleret defectum pileoli: id quod usus aulicorum, quibus velut primis auctoribus & inventoribus debetur usus berrucæ, satis ostendit: his enim cum grave esset & molestum, totis diebus, aut tempore valde longo coram principibus adstare detecto capite, nec conveniret, uti pileolis, tegumentum ex capillis præcipuè humanis confectum, quod berrucam appellârunt, invenerunt, & usurpare ceperunt. Subsumo jam: atqui pileolum sine coma adoptiva ferre tempore sacrificii non licet; ergo nec

R. P. Stoz Trib. Penit.

cum ea coma: habet nimirum & hîc locum tritum illum, subrogato eadem cum illo, cui subrogatur, convenire prædicata: atque adeo sicut unum, nempe pileolum, ita & alterum, quod in ejus locum successit, nempe berrucam, per dictum Canonem censeri esse prohibitum. 2. quia cum dicitur, subrogatum sapere naturam illius, cui subrogatur, non habet ubique locum, præcipuè in odiosis, inter quæ numerantur, quæ dispositioni juris communis adversantur, è quorum numero est usus comæ adscritiæ. Et simile quid cernitur in commutatione votorum, quæ si sint reservata, non ideo etiam materia, in quam commutantur, continuò est reservata, ut docent Sanch. l. 4. *Mor. c. 40. n. 46. & l. 8. de Matrim. D. 9. n. 20.* Suar. *de Voto. l. 6. c. 20. n. 35. Palaus de Voto. D. 2. p. 11. n. 5. Tamb. in Decal. l. 3. c. 16. §. 4. n. 34. & alii.* 3. Quia etsi ejusmodi capilli adoptivi possint ad clericalem decentiam componi, & coram Principibus absque ulla injuriæ nota ab eorum Magnatibus adhibeantur, id tamen non potest ad sacrificium transferri, cum ad altiorem potestatem, nempe Pontificiam, spectet, declarare, quid in ordine ad sacrificium speciem irreverentiæ habeat, vel non: authenticam enim legis interpretationem facere, spectat vel ad ipsum ejus conditorem, vel eo superiorem, ut notum est ex tract. de legib. Sacerdotem autem, cum celebret, nudo id capite debere facere, constitutionis est Pontificiæ, ut videre est in dicto *Can. Nullus.* & Decreto sacre Congregationis Rituum ab Urbano VIII. approbato, Missalibus novis jussu ejusdem Urbani VIII. editis, præfixo, ubi Pontifex sic loquitur:

Cc

Nemo

Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum, sine expressa licentia Sedis Apostolica, non obstante quacunq[ue] contraria consuetudine. Accedit ad hæc praxis Curia Romanæ, in qua ipse etiam Pontifex non celebrat, nisi detecto capite.

281. Dixi autem 1. *secusâ speciali licentiâ*, quam hodie dat solus Pontifex, ut constat ex dicto Urbani VIII. & diversis S. Congregationis Rituum decretis apud Gavant. *ad Rubric. Missal. p. 2. rit. 2. Lit. F.* à quibus non recedendum, saltem si facilis ad Pontificem sit accessus: si enim hic sit difficilis, eandem Episcopi aut alii Prælati suis subditis etiam hodie, ut olim, dare poterunt: quod est commune aliis legibus Pontificiis. Dixi II. *Necessitate*, hæc enim si manifesta sit & evidens, præbet sufficientem causam, etiam dum Sacrum fit, utendi capillitio ficto: sic nimirum & aliæ leges Pontificiæ cessant obligare, cum in earum observatione cernitur manifesta necessitas. Ut verò dispenseretur, vel etiam declaratur, cum usum esse licitum, non debet esse necessitas valde gravis, sed sufficit, si iudicio viri prudentis & docti non sit omnino levis, sed notabilis considerationis; qualis, si Marchino apud Tambur. *de Sacrif. l. 1. c. 7. §. 4. n. 1.* credimus, est, quæ oritur ex nimia Regionis frigiditate, senectute, capitis debilitate, calvitie, vel (quod ego addo) ex alia capitis deformitate. Hac ergo necessitate existente, licitum erit, (si accedat saltem prudens declaratio) uti berrucâ sub Sacro, abique alia dispensatione: quod colligitur ex dicto decreto Urbani VIII. & *Can. Nullus*, quorum priori loco dicitur, ne-

mo audeat: posteriore nullus præsumat: non est autem præsumere, vel audere, cum necessitas urget, nec est opportunitas petendi dispensationem. Palauus *de Sacrif. tr. 22. p. 10. n. 10.* Laym. *l. c.* Dixi III. *consuetudine legitime præscripta*: hæc enim legem, quæ usum pileoli tempore sacri prohibet, abrogari posse, & in eius locum introduci usum ejusdem pileoli, commune est aliis legibus. Sic in Regno Chinensi, ubi juxta morem gentis irreverentiæ signum est caput aperire, Sacerdotes velato capite etiam totum Sacrum faciunt: quamvis ad removendum omnem scrupulum Pius V. licentiam ad id dederit, teste Præposito *de Sacrif. l. 1. c. 3. d. 6.* apud Tambur. *n. 5.*

282. Quamcunque autem usus berrucæ, ut hæctenus offensum est, tempore sacri sit illicitus, non tamen peccati venialis limites excedit, si quidem contemptus absit, & scandalum: Et ita tenet Marchinus apud Tambur. *n. 1.* idem infra *n. 4.* sentientem, quibus ex Diana *p. 2. tr. 14. R. 58.* & Marchino *de ordin. T. 1. p. 3. c. 4. n. 11.* relato à Tambur. addendi sunt Silvester, Angelus, Tabiena, Rodriq. Henricus, Grassius, Barthol. ab Angel. Miranda, Scortia, Fagund. Petrus de Ledetma, qui licet loquantur de pileolo, idem tamen sentire debent de berruca, quæ successit in locum pileoli.

283. *Sub sacrificio Missæ usus sum vestibus sacerdotalibus, aut vasis sacris, (calice nempe aut patena) aut aliis paramentis, v.g. corporali, purificatorio, satis sordidis ter.* Mortale peccatum est, celebrare cum vestibus, paramentis &c. notabiliter

tabiliter immundis: magna enim per ejusmodi sordes irreverentia fit mundissimo Sacramento. Tolet. l. 2. c. 2. Sa V. *Missa*. n. 15. Laym. n. 15. Suar. D. 81. f. 6. in fine. Bonac. de Sacrif. D. 4. q. ult. p. 9. n. 23. Sumitur ex cap. *Relinquit*. de custodia. *Euchar.* ubi Innocentius III. *Præcipimus*, inquit, ut oratoria, vasa, corporalia & vestimenta munda & nitida conserventur: nimis enim absurdum videtur, in sacris sordes negligere, quæ dederent etiam in profanis. Notent hæc sacerdotes, præcipuè rurales, qui sæpe tam immunda habent corporalia aut purificatoria, ut si locò mantiliū esse deberent, ea à communi menta cum nausea repellerent. Sacerdos tamen subditus, si de ista paramentorum sorditie moneat, & nihil proficiat, excusari potest, si ob sacrificandi necessitatem iis nihilominus utatur.

284. *Celebravi sine vestibus sacris semel.* Vestitu communi & profano sacrificare nunquam licet, nisi in casu gravissimo mortis alioqui certò inferendæ: si tamen in contemptum Religionis mors intenteretur, nisi vestitu profano celebretur, mors potiùs obeunda est. Laym. n. 17. Coninch. q. 83. a. 3. n. 250. ubi excusat eum, qui in populi, sacro alioqui carituri, concursu utitur cingulo non benedictò; pro quo tamen, sicut & pro manipulo stolam adhiberi posse tradunt. Laym. n. 18. Coninch. l. c. Navar. c. 25. n. 84. Ceterùm vel unam sacramentum vestium, præcisâ inadvententiâ omittere, peccatum mortale esse, cum non paucis tradit Bonac. n. 27. eò quòd in re gravi usus Ecclesiæ, hæc vestes in reverentiam sacrificij introducentis, violetur. Ubi

breviter nota, hæc vestes desinere esse sacras, si ita frangantur, ut ad suum usum non sint amplius aptæ: ut si cingulum ita frangatur, ut neutra pars sufficiat ad sacerdotem cingendum; secus, si longior pars adhuc sufficiat. Aliqui tamen cum Sa n. 12. existimant, adhuc sufficere, si priùs, quàm omnino dividatur, connectantur, nam si post ruptionem necstenda sit, etiam ipse putat, amitti benedictionem, nec amplius usui esse posse, si altera pars non sufficiat. Vide Dian. p. 2. tr. 14. Res. 57. v. *Notatertiò.*

285. *Celebravi sine ministro bis.* Ministriū sub sacrificio adhibendum esse, communis est Ecclesiæ consuetudo. Et peccatum veniale est, eum sine justa causa non adhibere: imò Bonac. de Sacrif. D. 4. q. ult. p. 9. n. 33. putat esse mortale: sed paulò rigidius. Debet autem esse maculus, non fæmina, adeo quidem ut Suar. D. 87. f. 1. Laym. n. 13. & alii apud ipsum existimant, melius esse sine ministro celebrare, quàm fæminam ad altare respondere, porrigere urceolos, &c. interim tamen nihil obstat, si fæminæ, præsertim Moniales, ex loco remoto sacrificanti respondeant. Suar. l. c. Imò in quibusdam locis, præsertim in pagis, consuetudo ab Episcopis cognita & tolerata habet, ut sacerdos sine ministro respondente celebret. Porro Minister debet esse talis, I. qui audientibus non sit offenculo. Unde Theisites aut valde deformes ad hoc ministerium non sunt admittendi: & qui ejusmodi ministros constituunt, aut admittunt, satis indicant, se de tanti mysterij, quod geritur, Majestate non habere debitam existimationem.

tionem. II. Debet Sacerdoti præeunti respondere posse, & quidem tam aptè, ut verba non detruncet, malè non proferat, aut etiam omnino omitat. Non est tamen talis ad ipsum altare publicè corrigendus: id enim fieri nequit sine ipsius celebrantis, aut audientium perturbatione; corrigatur privatim, & suos dedoceatur errores. III. Debet, quæ ad sacrificium Missæ spectant, posse peragere, v. g. librum deferre, porrigere urceolos, & reliquas ad ipsum pertinentes cæremonias callere. Aliàs, si materiam ineptam suâ culpâ tradat, à peccato sacrilegij non excusatur: Bonac. n. 35. Suar. D. 87. f. 1. Reginald. l. 29. n. 165. & alij. Quamvis multi Sacerdotes, præsertim rurales, librum ipsi deferant. Ceterùm præstat, ministrum, si haberi nequeat, omittere, quàm sacrificium, præsertim die festo. Tamb. l. 1. c. 7. §. 5. non enim videtur ab Ecclesiæ usu & ordinatione recedere, qui, ut præcepto de audienda Missa fatis faciat, sine Ministro celebrat: tunc autem ipse debet Ministri defectum supplere, & proferre ea, quæ alioqui minister debet.

286. *Celebravi sine libro semel.* Librum adhibendum esse præscribit Regulæ sive ritus Missæ; & per se loquendo, obligant sub peccato mortali, saltem si liber, quo quis utitur, non contineat Canonem; exponit enim se periculo graviter errandi. Coninch. n. 251. Suar. D. 83. f. 6. Navar. c. 25. n. 83. Bonac. n. 29. & plures apud ipsum. Excusari tamen potest, qui cum præstantis & constantis sit memoriæ, meritò confidere potest, se nihil notabile omisurum. Laym. n. 17.

287. *Celebravi sine Crucifixo ter.*

Nam & hujus utrum præscribunt Rubricæ: qui tamen omitteret, non esset peccati, nisi venialis, condemnandus; Suar. l. c. Reginald. n. 197. Vasq. D. 233. n. 26. etiam à veniali absolvit, qui sine Cruce celebrat, si facillè haberi non possit, aut causa honesta subsit: sed si vera sint, quæ statim dicuntur, nunquam occurreret necessitas aut causa excusans à celebratione sine Cruce. Non debet necessariò referre ipsam Christi Crucifixi imaginem: sufficit si sit simplex Crux è ligno vel charta efformata; vel, si nec talis ad manus haberi possit, creta vel carbone &c. descripta, quod probat P. Georg. Gobat in *alphabeto sacrificant.* n. 171. imò Tamb. l. 1. c. 6. contentus est Cruce vel Crucifixo depicto in pariete vel tabula ad lacus. In altari, in quo prostat venerabile Sacramentum, adhuc Crucifixum collocandum esse, contendit Gavant. in *Rubric. Missal.* p. 1. tit. 20. *Lit. V.* At Pax Jordanus l. 4. tit. 1. n. 236. negat, tum propter Lateranensis & multarum aliarum Ecclesiarum praxin; tum quòd tunc non fatis appareat, quo loco commodè collocanda sit Crux. Servetur quoad hoc usus cujusque Ecclesiæ, nec turbetur Sacerdos, si fortè videar abesse Crucem, nec moneat Sacristam, ut apponat.

288. *Celebravi sine luminaribus semel.* Luminaria sub Sacrificio Missæ accendenda jubent Rubricæ, & communis usus, adeo quidem, ut, qui sine omni lumine celebrat, peccet mortaliter. Suar. D. 81. f. 6. ubi testatur, ita sentire oranes. In casu tamen necessitatis etiam non nimis magnæ sufficit unum; & quidem, si cera haberi nequeat, ex oleo; imò & sebo. Laym. n. 17. Dicast. D. 4. d. 4. n.

160. Tamb. l. 1. c. 5. §. 4. Bonac. n. 30. Reginald. n. 196. Quin Suar. D. 72. f. 4. gravis peccati venialis damnat illum, qui sine lumine ministrat Eucharistiam: quod ego intelligo extra sacrificium; licet enim etiam intra illud soleat peculiare lumen accendi pro Communicantibus, ejus tamen omisio per se vacat omni culpa: sicut & si contingat tempore Consecrationis. Dicast. n. 167.

289. *Celebravi, cum altare suis mappis non esset instructum, semel.* Mappæ, quæ & tobalæ appellantur, tres sunt adhibendæ, una, saltem superior, tam longa, ut ex utroque latere ad terram usque pertingat; duæ breviores, vel saltem una duplicata, Corporali subjecta, etsi totum altare non tegat. Laym. n. 11. Bonac. n. 24. Suar. D. 81. f. 6. Sa. V. Missa. n. 7. Reginald. n. 194. & alii, quos tuto sequi licet, quidquid Gavant. p. 1. in Rubr. Miss. tit. 20. Lit. O. sentiat in contrarium. Non est autem necesse, ut hæ mappæ sint benedictæ: quin etiam aliquando ex necessitate poterit adhiberi mappa laicorum, quæ postea rursus ad mentiam profanam adhibeatur. Suar. Laym. ll. cc. Tann. D. 5. q. 10. n. 48. Azor. T. 1. l. 10. c. 28. q. 8. & alii. Porro celebrare sine omni mappa, esset irreverentia quædam, & culpâ saltem veniali non vacaret.

290. *Celebravi semel, cum altare non esset suo pallio ornatum.* Pallium, quod vulgò etiam antependium vocatur, imperant Rubrica cit. Tit. 20. quod ex usu potest etiam esse confectum ex asseribus pictis, aut alia materia, si vel paupertas vel necessitas vel alia causa honesta id permittat, aut requirat, Nec tamen hæc majus,

quàm veniale peccatum committeretur, si nullum adhibeatur pallium; modò, quod in prioribus quoque observandum est, contemptus absit aut scandalum.

291. *Calice non consecrato usus sum inter celebrandum semel.* Etsi ex præscripto Rubricarum tit. de Ritu celebrandi. §. 1. calix deberet esse aureus vel argenteus, vel certè cuppa deberet esse argentea & inaurata; Gavantus tamen p. 2. tit. 1. Tann. n. 52. Laym. n. 11. Bonac. n. 16. & alii admittunt etiam stanneum; Sa. V. Missa n. 18. ob paupertatem etiam plumbeum: sed Suar. sect. 7. Laym. n. 12. & alii, plumbeum rejiciunt, saltem quoad cuppam: nam pedem calicis ex plumbo esse nihil prohibet, Coninch. d. 3. n. 244. Ligneum, etsi olim in usu fuerit, aut etiam vitreum, hodie nemo admittit propter Can. 145. *Ut calix, dist. 1. d. Consecrat.* sicut & si sit ex ære vel aurichalco; nisi, ut Fagund. in 1. præcept. Eccles. l. 1. c. 3. n. 21. advertit, saltem sit inauratus: quod tamen in calice argenteo, vel stanneo nec Doctores requirunt, nec usus. Debet autem consecrari vel sacro chrismate inungi, vel ab Episcopo vel ab alio inferiore habente potestatem, quales sunt multi Abbates. Laym. l. 6. præsertim infulati. Desinit esse consecratus, si tam notabiliter frangatur, ut ad usum constitutum seu sacrum non sit amplius idoneus, Bonac. n. 15. & alii, ut si pes avellatur à cuppa, nisi fortè sit tornatilis, Coninch. n. 248. Quod si verò aurum, quo calix est illitus, paulatim deturatur, & novum inducatur, non est opus nova consecratione, Coninch. n. 246. Sa. V. Calix. n. 2. tum quia calix per inaurationem nec frangitur, nec fit alius: tum quia rota calicis materia cum auro

consecratur; & ideo sacrum ad se trahit non sacrum; sic nimirum & Ecclesia non indiget novâ consecratione, etsi muri ejus sæpius ita dealbentur, ut ex prima dealbatione nihil amplius superfit. *Cominch. l. c.*

292. Ceterum in sacrificio Missæ scienter uti calice non consecrato, peccatum est mortale: ut communis habet sententia, & varii juris textus. Quod si autem quis utatur calice, quem bonâ fide existimat consecratum esse, cum tamen non sit, ipse quidem à peccato immunis est, calix verò per talem usum non consecratur, neque adeo redditur habilis ad usum in sacrificio. *Lugo de Euchar. D. 20. n. 62. Dicast. cit. D. 4. n. 199.* quidquid contradicat *Dian. p. 5. tr. 13. R. 60.* alioqui posset tandem etiam dici omne id, in quod defluit per incuriam sacer sanguis, fieri sacrum: quod nemo admittit. Eadem ratio est patenæ, tam quoad materiam, ex qua fit, quàm quoad ejus consecrationem, & execrationem.

293. *Altari non consecrato pro Missa usus sum semel:* Altare pro sacrificio Missæ adhibendum esse, non est dubium; adeo ut peccet mortaliter, qui absque altari sacrificat. Debet autem id esse consecratum ab Episcopo, vel alio habente potestatem sibi concessam à Pontifice. Hic enim solus ex plenitudine potestatis potest eam concedere etiam simplici Sacerdoti. *Laym. n. 1. & alii.* Item communiter debet esse lapideum, per *Cap. Altaria dist. 1. de consecrat.* vel ut *Laym. l. c. & Dicast. n. 142.* putant ex opere lateritio, vel ex gypso, admixto cemento; & vel firmum, vel portatile, seu, ut vocant viaticum, sufficit autem, si superior tantum pars alterutrius sit lapidea & conse-

crata, & tam ampla, ut saltem majorem, patenæ & calicis partem capere possit. *Laym. l. c. n. 2. & quem refert. Suar. D. 81. f. 1.* si enim tam ampla non sit amplius hæc altaria, amittunt suam consecrationem, nec possunt porro servire ad usum sacrificii. Quin & si fixum à suo stipite seu inferiori structura removeatur, desinit esse consecratum, si simul cum suo illo stipite per modum unius sit consecratum: imò juxta aliquos etiam tunc, si sepulchrum, ut vocant, seu locularamentum, in quo sacræ reliquiæ reconduntur, frangatur, aut removeatur. Verùm *Dicast. n. 138. & 146. Tamb. l. 1. c. 5. §. 1. Cominch. d. 2. n. 240. & alii* id negant, & ideo à peccato absolvunt illum, qui porro pergeret in tali altari celebrare sacrum, cum nullo jure reperiatur imposita necessitas altaribus, dum consecrantur, imponendi sacræ reliquias: id quod multò magis locum habet in altaribus viaticis.

294. *Sacræ vasa & lintea* (quæ nimirum contingunt Corpus Christi, qualia sunt calix, patena, corporale, & purificatorium, & pileolus ille sive lineus, sive argenteus aut aureus, in quo sacræ hostiæ reponuntur.) *sine necessitate, aut alia iusta causa terigi semel.* Ejusmodi vasa aut lintea, dum actu Eucharistiæ continent, attingere laicum, aut Clericum Diacono inferiorem, peccatum mortale esse, communis est Theologorum sententia; ita exigente summâ Reverentiâ Christo Domino debitâ: unus est, qui ceteris in hac parte sit clementior, Ochagavia apud P. Georg. Gobat in *Alphab. sacrif.* sed à sententia communi ceterorum omnium non est recedendum, nisi, ut *Navar. c. 7. Man. n. 4.* notat, cogat textus aut ratio, cui

cui commodè responderi nequeat. Unde graviter monendi, & verò etiam reprehendendi sunt illi aditui, seu laici, seu Regulares, qui vasa illa, quibus nocte Nativitatis Domini ablutio asservari solet, absque scrupulo tangunt, & ab altari ad altare transferunt, cum iis adhuc verè contineatur Sanguis Christi: qui tamen à peccato mortali excusari possunt solà bonà fide, & ignorantia invincibili, quam utique depellere debent ii, quorum interest. Excusata etiam potest laicum necessitas, si ipsum Corpus Christi immediate tangat, in peccato etiam mortali constitutus, ut si id è terra vel luto reverenter elevet, cum nullus alius sit, qui hunc Evcharistia, alioqui indignè tractanda, honorem & cultum deferat. Henriq. 18.c.40. n.2.

295. Prædicta verò vasa, cum à sacris speciebus vacua sunt, sicut & corporalia, pallas, purificatoria, ciboria, & similia, etiam postquam sacras species jam semel contigerunt, à laicis, si contempus absit, citra gravem; imò &, si justa causa adsit, citra omnem, etiam venialem culpam tangi posse, ex communi docet Laym. cit. c.6. n.19. quod si verò nulla causa subsit, aut esse peccatum solum veniale. Id quod etiam Azor. T.1. l.9. c.9. q.6. Pabus T.2. l.8. D.1. p.6. n.24. & T.4. l.22. p.10. n.13. & alii apud ipsos docent, tum propter varia jura desumpta ex Diss.1. de Consecrat. quibus id videtur decum esse: tum ex praxi & stylo Curia Romanæ, à qua sæpe privilegia impetrantur, ut tonsurati, vel in minoribus constituti possint sacra vasa contingere; quod argumento est, sacrorum vasorum, præcipuè sacro chrismate unctorum tactum, non tantum iustis, secluso privilegio, sed etiam

& multo magis laicis esse illicitum. Sed his non obstantibus.

296. Pyxides, ciboria, sphaera seu lunula pio Monstrantus; ut vocant, compositæ, etsi benedicta sint, possunt ab omnibus sine culpa tangi, quando sacram Evcharistiam nondum continuerunt. Laym. n.22. quod ipsum etiam est decorporalibus, pallas, & purificatoriis, non solum quando ad usum sacrum nondum sunt adhibita, sed etiam quando post sacrum usum jam sunt lota: Bonac. cit. p.9. n.22. & alii. id quod ulus communis & praxis habet: traduntur enim hæc post primam lotionem etiam feminis, præsertim virginibus; denuò lavanda, & si opus sit, reficienda. Quin eadem, etiam postquam sacras species attigerunt, possunt ab omnibus, & quidem etiam ante omnem lotionem, sine peccato veniali contingi. Tamb. de sacrif. Miss. l.1. c.2. §.1. n.7. ex una enim parte hæc sacro chrismate non unguuntur: ex altera verò ex solo contactu Evcharistia non videntur tantam dignitatem contrahere, quantum ex sacra unctione calices, aut res aliæ consecratae: quantum sola consecratio non sufficit ad laicos prohibendos à contactu rerum chrismate unctorum; aliàs nec campanas, nec altaria, nec muros templorum possent sine culpa, sã tem veniali, contingere; nam hæc sacro chrismate unguuntur. Quod si autem purificatoria ex usu sacro aliquid Sanguinis imbiberint, aut corporalia minimam aliquam Corporis Christi particulam continere queant, non refert: tum quia Sanguis in purificatoriis exsiccat, & sic definit ibi esse; tum quia id, quod de particulis hostiæ dicitur, est per accidens, & de rarò contingitibus, & ideo libertatem

ratem ea tangendi non debet impedire: nisi etiam velis propter simile periculum eadem corporalia, purificatoria & similia non esse amplius reponenda in cistis & arcis profanis, quod tamen passim sine scrupulo & delectu fit. Quando ergo casu fortuito in his continentur sacræ species, Angelorum, qui specialiter dicuntur ad Eucharistiæ custodiam esse deputati, erit, præsentem Christum humiliter venerari, & cavere, ne qua ipsi inferatur irreverentia.

297. Major difficultas est de patenis & calicibus: sed & hæc vasa nudâ manu extra sacrum ministerium sine ullo etiam veniali peccato possunt ab omnibus, etiam laicis, etiam faminis tangi, etsi nulla sit necessitas, modò contemptus absit. Sotus, Bartholomæus ab Angelo, quos refert, & sequitur Tamb. de Sacrif. l. 1. c. 2. §. 1. n. 12. multùm faventibus Sanch. l. 2. Mor. c. 43. n. 27. in fine. Palao T. 2. tr. 8. D. 1. p. 6. n. 24. & Emmanuele Sa in genuina editione. V. sacra n. 3. ubi ait, sacra tangi à laicis sine contemptu, aut nullum esse peccatum, aut levissimum. Et ratio est, quia de obligatione, etiam sub peccato tantùm veniali, abstinendi à simplici istarum rerum contactu, non constat, ut patebit: quod enim nulla lege statutum est, non est asserendum. Cap. Legatur 24. q. 2. & cap. 2. de translac. Episcop. Certè ut S. Thom. quodlib. 9. q. 7. a. 15. apud P. Georgium Gobat in clypeo clementium Judicum. n. 130. ait, periculosè determinatur, aliquid peccatum esse mortale, nisi expressa veritas habeatur: Cui profus affine est illud Gabrielis in 4. dist. 15. a. 2. in fine. apud eundem P. Georgium Gobat. n. 134. id alibi sæpius repe-

tentem & inculcantem pronuntiatum: Theologi, inquit, non debent esse faciles ad asserendum, aliquas actiones, aut omissiones esse peccata mortalia.

298. Sed jam quod attinet ad textus ex cit. Dist. de Consecrat. objici solitos, generatim dico, illos non loqui de simplici contactu, de quo nobis est sermo, sed vel I. de contactu, qui addit gestationem sacrorum vasorum, quæ solet fieri intra sacrum Missæ ministerium, ut text. can. 25. & 23. quod colligitur ex priori textu, qui est de faminis sacratis, quas sacra vasa contingere, & incensum circa altare deferre, Pontifex vocat pestem quàm citissimè reseccandam: quod de simplici ejusmodi vasorum extra ministerium sacrum contactu, in quo nec juxta adversarios alia est, nisi culpa venialis, dici non potest. Vel II. loquuntur de contactu in ordine ad usum profanum, ut textus can. 41. & duo sequentes: Quamquam textus can. 41. quoad vestimenta sacra, v. g. casulas, amictus, albas, ut vocant, non est amplius in usu: hæc enim à laicis passim tanguntur, nemine illis movente scrupulum. Vel III. continent tantùm consilium, ut textus can. 26. 30. & 31. quorum priores duo utuntur verbo non oportet, postremus verò verbo non liceat, & præterea textus can. 42. qui utitur verbo non debent: sed juxta doctrinam de Legibus communiter receptam tam verbum non oportet: quàm non debet, solam denotat convenientiam & decentiam: id quod de verbis quoque imperativi modi ibidem tradi solet: nisi materiæ subjectæ gravitas, vel majorum auctoritas aliud suadeat. Quod si autem omnino contendat quis, etiam his textibus impositum esse præ-

præceptum, id vel grave erit, si de contactu in facto Missæ ministerio sermo sit; vel solùm leve, cujus obligatio ex causa non adeò gravi cessare potest, ut Fagund. in 1. præc. Eccles. l. 3. c. 21. n. 32. notat.

299. Ex eo, quòd privilegia pro licentia tangendi vasa sacra petantur, nihil contra nos infertur; ea enim sæpe petuntur & dantur vel ad tollendos solùm scrupulos, non ad aliquid novum concedendum; vel pro sequentibus contrariam opinionem, ut tradunt Suar. D. 81. de Euchar. f. 8. §. 4. addendum. Lezzana T. 2. q. 99. Regular. c. 8. n. 34.

300. Sed nec textus can. 40. cit. Dist. qui jubet corporalia priùs, quàm laicis dentur, lavanda à Diacono, & aquam lotionis mittendam in sacrarium, obest: quia, ut Suar. l. c. notat, in ea lotione tandem nihil intervenit, quàm simplex contactus, quem graviter prohiberi, ex illis imperativi modi verbis, *Diaconi cum humilibus ministris lavent &c.* non colligitur: ea enim solùm indicant, quæ fuerit mens Pontificis circa ejusmodi rerum contactum, videlicet eum spectare ad Diaconos & alios ministros: an autem is etiam aliis competat, id nec ait, nec negat. Certè si quis diceret; *Ostiarium januas aperiant*, ostenderet quidem ostiariorum officium id esse, non tamen prohiberet, quò minus alii quoque, quamvis non ex officio, januas Ecclesiæ possent aperire. Præterquam quòd canon hic, quoad modum lavandi corporalia, ferè sit abrogatus: ubi enim ea lavantur in sacrario? ubi à Diacono cum ministris? cur non ergo potuerit abrogari etiam quoad lotionem à Diacono faciendam?

R. P. Stoer Trib. Pœnit.

301. Atque ex his tandem patet, etiam Cereos, quos Agnos DEI vocant, ab omnibus etiam sæminis, cujuscunque status & conditionis, nuda manu tangi posse, modò contemptus absit & irreverentia: non enim extat textus, qui id prohibeat, & ut Sanch. l. 2. Mor. c. 43. n. 27. ait, usus jam sic obtinuit. Sed eosdem cereos liquefacere, & ut plures similes haberi possunt, cum alia cera non benedicta miscere, non licet secluso privilegio: quod inde satis constat, quòd Pontifices sibi solis rigidissimè reservent potestatem benedicendi ejusmodi cereos: satis enim hæc reservatio indicat, Pontificem nolle, ut res profana per commixtionem studio factam convertatur in sacram. Sed nec licet eosdem cereos minio, auro, aliòve colore depingere sub pœna excommunicationis Papalis, quam incurrunt etiam illi, qui eos vendunt, aut vendendos proponunt, excusari tamen hi possunt, si præcisè materiam vendant, ut expensas, quæ in iis conficiendis fiunt, reciperent. Bonac. de præcept. D. 3. q. 1. p. 4. n. 12.

302. *Reliquias sacras furatus sum semel.* Est hoc furtum sacrilegum, & ex suo genere peccatum mortale. Bonac. n. 9. Sanch. n. 23. Laym. l. 4. tr. 7. c. 5. n. 18. & alii. Excusare tamen potest materiæ parvitas: quæ non est pensanda semper ex quantitate materiæ ablatæ: sed ex estimatione, quam homines de talibus Reliquiis habent, & ex earum raritate. Sanch. Bonac. l. c. Unde etsi particula ex sanctæ Christi Cruce, vel spinea ejus Corona sit satis modica, peccatum tamen erit mortale eam suffurati. Excusantur autem, qui sacras reliquias ex manibus Infidelium

Dd

extra-

extrahunt; sunt enim hi iniusti earum de-
rentores, nec ullam eis exhibent reveren-
tiam. Laym. n. 17. Sanch. Bonac. ll. cc.

303. *Sacras reliquias vendidi, vel emi
semel.* Est hæc negotiatio in cap. 2. de Reli-
quiis. & in Concilio Trident. Sess. 25. in
Decreto de invocatione &c. & reliquiis
Sanctorum, severe prohibita, & est aper-
tissime simoniaca. Laym. n. 19. ex sensu
omnium. Nihilominus tamen, si ea vel
ab infidelibus, vel hæreticis detineantur,
licitum est eas emere, non quidem ut res
sacras, sed earum quasi vexationem seu in-
dignam tractationem, aut injustam posses-
sionem redimere. Laym. n. 17. Sanch. n. 22.
ubi etiam refert Philarchum de offic. Sa-
cerd. T. 1. p. 2. l. 3. c. 9. ad finem.

304. *Sacras Reliquias, cum fornicar-
er. gestavi semel.* Philarchus l. c. à Sanch.
c. 40. n. 28. & Dicast. tr. 8. D. 9. d. 8. n. 719.
relatus existimat, peccare graviter illum,
qui dum exercet actum venereum, v. g.
fornicationis aut mollitiei, gestat sacras
reliquias, & hanc adeo circumstantiam
in confessione necessariò explicandam
esse: quod ego facile admitterem, si
talis actus ex intentione Sanctorum reli-
quias inhonorandi exerceretur. Sed exi-
stimo, non facile tam scelestum aliquem
esse, ut tale aliquid audeat vel perpetret.
Cum ergo actus venereus non habeat spe-
cialiorem aliquam & directam oppositio-
nem cum cultu & reverentia Sanctis de-
bita; idcirco sentio cum Sanch. Dicast.
ll. cc. Laym. n. 18. Lugo D. 16. n. 513.
actum turpem exercere gestando simul
Sanctorum reliquias, continere quidem
aliquam irreverentiam, non tamen mor-
talem, quæ sit necessariò in confessione
exponenda. Unde multò minùs conju-

ges carnaliter se cognoscentes, dum sacras
reliquias ad collum deferunt, ad hanc cir-
cumstantiam explicandam urgendi sunt,
nec ea à confessariis per interrogationes
elicienda: hoc est enim inutilis curiosita-
tis. Bonac. n. 8. Poterit tamen ejus, quod
gestatur, sanctitas esse tanta, ut indecentia
in tali actu eoque crescat, ut meritò
centeri possit esse gravissima: ut, si Sacer-
dos secum habens Sanctum Sanctorum
Dominum in Evcharistia fornicaretur;
hunc enim nec Lugo, nec Dicastillo audent
excusare à peccato gravi contra Religio-
nem. De aliis peccatis mortalibus, quæ
à gestante sacras Reliquias committun-
tur, v. g. de detractione, contumelia, furto,
perjurio &c. est eadem ratio, quòd non
videantur continere aliquam erga San-
ctos irreverentiam: nisi fortè, ut Dicast.
notat, Sacerdos deferens, etiam secretò
(quod fieri potest) Evcharistiam, coro-
na hominum aleis, chartis foliis &c. luden-
tium aut rixantium se misceret, & unà lu-
deret, rixas cum aliis ordiretur, verbera
infligendo &c. hæc enim utique graviter
dedecerent talem Sacerdotem.

305. *Sacras Reliquias dedi meæ amasie
semel.* Si dedit ut pretium turpis com-
mercii, utique sædissimam & sacrilegam
commisit simoniam. Si dedit ad turpem
amorem, vel amicitiam & benevolentiam
concedendam, vel conservandam, sacrile-
gium est ob abusum rei sacræ, & pecca-
tum mortale, ob finem, qui intenditur,
graviter malum. Excusabitur à peccato,
si donatio hæc nulla prædictarum, aut
simili aliâ perversâ circumstantiâ vitie-
tur.

306. *Sacrilegè communicavi semel.* Est
hoc peccatum mortale, & contingit, si
quis

quis sine causa accedat ad sacram Evcharistiam malè dispositus. Sunt autem dispositiones ad dignam & fructuosam Evcharistiae sumptionem requisitæ duplicis generis: una se tenent ex parte corporis, altera ex parte animæ. Et quidem ex parte animæ plus non requiritur, quàm ut peccato mortali non sit contaminata: à quo proinde purganda prius est per Confessionem; & quidem, quod probabilius, ex præcepto divino lato à Christo, & per Apostolos tradito, vel, ut Concilium Tridenti *Sess. 13. c. 7.* loquitur, Ecclesiastica consuetudine declarato: nisi necessitas communicandi & defectus Confessarij excuset, de quo infra; sed tunc præmittenda est contritio. Unde indignè & sacrilegè communicat, qui vel in uno tantum, vel etiam in pluribus peccatis mortalibus constitutus communicat. Non autem pro peccatorum pluralitate sæpius peccat, qui pluribus peccatis mortalibus obstrictus communicat. Est tamen eò gravius peccatum, quò plura vel majora sunt peccata, cum quibus quis communicat. Tambur. *in Method. Commun. c. 1. §. 2. n. 3.* Hæc autem gravitas limites circumstantiæ solum aggravantis non excedit. Ceterum si quis inculpate ignoret suum peccatum mortale, & Evcharistiam sumat, non peccat: imò, quæ est probabilior Theologorum sententia, justificatur: ut adeo huic satis sit, solum peccatum, si postea in memoriam redeat, aperire, nullâ factâ mentione nuperæ communionis, utpote culpa omni vacantis.

307. Sed si quis primùm è confessionali egressus turbæ jam statim communicaturorum permixtus sit, aut etiam ad crates jam fleat, teneritne recedere, ut

peccatum, cuius nunc primùm recordatur, aperiat? Etsi non desint, qui talem, saltem dum mensæ Communicantium nondum proximè afflittit, obligent ad hoc peccatum Confessarij prius aperiendum, quàm sacra sumatur Evcharistia, existimo tamen benignius esse, & famæ conservandæ aptius, & humanæ fragilitati conformius, si talis ad confessionem repetendam non compellatur, sed potius, etiam secluso scandalo, permittatur, opus captum prosequi, & Evcharistiam sumere: ex una enim parte indecentia quedam videtur, actionem alioqui tam sanctam & etiam inchoatam abrupte: ex altera verò idem jam est rectè dispositus, cum à tali peccato jam verè, saltem indirectè, sit absolutus. Henriq. *l. 8. c. 46. n. 3.* Tambur. *§. 8. n. 63. Pagund. 3. præc. Eccl. l. 3. c. 9. n. 14.* nec, cum, ut modò dixi, jam sit justus, opus est, ut eliciat novam contritionem: modò intentionem habeat, illud peccatum proximè confitendi.

308. Sed & ex parte corporis ad dignam communionem aliud non requiritur, quàm jejunium, ut constat ex usu Ecclesiæ, & *Cap. 49. Sacramenta.* de Consecrat. Dist. 1. Debet autem hoc jejunium esse naturale, situm in carentia omnis cibi & potus etiam medicinalis: & perfectum, adeo ut excludat quenlibet cibum & potum minimum, per actionem vitalem, quæ sit vera manducatio & potatio, assumptum & in stomachum tractum. Nec datur in hoc jejunio parvitas materiæ, & incipit à media nocte, hoc est, à primo campanæ, etiam minoris, quæ horarum quadrantes indicantur, sono. De quo proinde defectu si constet, eo die non est amplius ad communionem acce-

dendum: Quod si verò quis dubitet, an, quando comedit, aut bibit, media nox jam transierit, Laym. *l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 36.* Dian. *p. 3. tr. 4. R. 29.* Joan. Saneius *in selectis D. 42. n. 9.* talem ad communionem admittunt; quòd sit in possessione suæ libertatis. Sed Sanch. *de Matrim. l. 2. D. 41. n. 40.* Lugo de Evch. *D. 15. §. 2. n. 44.* *Salii* repellunt: & meritò; quia legis ecclesiasticæ, à qua hæc obligatio provenit, possessio est antiquior; & qui liber, qui beneficium aliquod postulat, debet suam illius recipiendi capacitatem probare.

309. Si quis autem communicet non jejunos, peccat mortaliter, quia violat præceptum grave. Causa tamen justa excusare potest; qualis est I. si periculum mortis ex quacunque causa, etiam ex sententia judicis, imminet. Et potest in eodem morbo sapius, post aliquot tamen dies, v. g. sex, vel, ut Laym. *l. 5. tr. 4. c. 6. n. 20.* notat, etiam duos dies viaticum à non jejuno repeti, si sit incommodum jejuno dare Evcharistiam, sive hæc incommoditas ex parte dantis sive ex parte recipientis se teneat. Tamb. *c. 5. §. 10. n. 19. §. 20.* Imò Sacerdos non jejunos celebrare potest, si nulla adsit particula consecrata ad dandum alteri viaticum. Tamb. *cit. n. 20. & c. 2. §. 8. n. 32.* Quin' & illud probabile est, quòd etsi non liceat ægro non jejuno ex sola devotione communicare; si tamen morbus sit diuturnus, nec Communicatio, nisi post sumptam medicinam, sumi possit, id liceat: & quidem, ut Escobar, *tr. 7. Exam. 6. §. quoniam modo,* ex Hurtado tradit, toties, quoties sano jejuno dari potest. Verùm hîc spectanda est loci consuetudo, quæ saltem in longo morbo,

videtur permittere, ut post septem vel octo dies communicatio detur non jejuno. Lugo *D. 15. §. 3. n. 66.* II. si sit periculum, ne Evcharistia pereat, vel male tractetur; tunc enim etiam à Laico non jejuno, etiam præsentente Sacerdote sumi poterit. Lugo *f. 4. n. 86.* & alij. II. si ex omissione communionis oriturum sit verum & grave scandalum: tunc enim prævalet naturale præceptum, omnibus commune, de scandalo non dando.

310. *Communione paschalem nuper sine ulla causa neglexi.* Est hoc peccatum mortale, utpote contra præceptum grave. Constat ex ipso textu præcepti à fidelibus semper ita intellecti: & ex *Cap. omnis utriusq. de pœnit. & remiss.* Duplex est autem sumenda Evcharistiæ præceptum, Ecclesiasticum unum, alterum Divinum. De priori constat ex modò dictis: obligat autem omnes fideles adultos, & rationis capaces: quin & parvulos, qui, cum septennium egressi sunt, majestatem hujus Sacramenti probe nôrunt: in quo discernendo multum tribui potest iudicio parentum, ludimagistrorum, & Confessoriorum & similibus. Ego, salvo meliori iudicio, existimo, istos, si Sacramentalis absolutionis verè sint capaces, ab Evcharistiæ Sacramento non esse facilè repellendos; cum ad hoc multò minùs, quàm ad illam validè, sine conditione &c. dandam requiratur. Et sumenda est Evcharistia, ut præcepto satisfiat, in propria Parochia, nisi vel privilegium, vel licentia Parochi aliud permittat: & quidem intra tempus ab Ecclesia determinatum, quod est paschale à Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis inclusivè durans: nisi fortè in aliquibus locis propter vastitatem, aut

aut difficultatem accedendi ad propriam Ecclesiam Parochialem hic terminus amplietur: quod etiam ipsi Parochi possunt facere. Intra hunc ergo terminum, nisi aliud obstat, paschalis Communio peragenda est: non quasi ei termino sit alligata, & cum eo expiret: neque enim terminus ille positus est ad obligationem finiendam, sed ultra illum præcisè non differendam sine causa. Sic nimirum & juxta *L. 23. §. 1. v. sed ipse. ff. de receptis arbitris.* obligatus solvere debitum certo die, v. g. ad Calendas Majas manet adhuc obligatus, licet eo die omiserit solutionem. Quod si aliquis prævideat, se neque paschali, neque toto reliquo tempore communicare posse, tenetur antevertere, quia totus annus est terminus communionis ab Ecclesia præceptæ: ergo quocumque tempore potest impleri, debet. Potest verò etiam Confessarius ex justa causa differre suo penitenti tempus communicandi post pascha, juxta *cir. cap. omnis utriusque.* Et tunc tenetur ille communicare juxta Confessarii dilationem. Satisfieri autem huic præcepto posse per Communionem indignam fuit antehac satis communis sententia, quia etiam per hanc sumitur verum Sacramentum; quod non accidit in Confessione sacrilega: hæc enim, ut constat, non est verum Sacramentum, quale tamen Ecclesia præcipit. Sed jam est 55. inter prohibitas à S. D. N. Innoc. XI. 2. Martii 1679. unde apparet, quòd Ecclesia per suum Præceptum intendat non tantum, ut fideles sumant Evcharistiam, sed ut etiam debitè sumant; sicque jam istud non minùs quàm illud spectet ad substantiam rei præceptæ juxta *n. 390. infr. & seq.*

311. Porro præceptum Divinum sumendi Evcharistiam (tale enim præceptum dari constat ex illis verbis, *Joan. 6. nisi manducaveritis Carnem filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*) obligat saltem pro articulo mortis; & si etiam extra quandoque obliget (ut sanè obligare plurimum est sententia) de ejus executione fidelibus non est injiciendus scrupulus; cum vix ullus sit tam frigidè Catholicus, ut non aliquoties per annum in majoribus saltem festivitibus Christi aut B. Virginis communicet: certè si cetera desint omnia, etiam per annuam seu paschalem communionem eidem præcepto abunde satisficit. Alligatum verò illud est huic mortis articulo; ut proinde eo cessante, ejus quoque obligatio cesset. Sed

312. Quid si aliquis paulò ante eum articulum, v. g. ante octo vel etiam decem vel ipso illo die, ante paucas horas communicavit; teneatur etiam tunc, cum primùm in eum articulum incidit, communicare? Laym. *n. 4. Lugo. s. 2. n. 37. Tamb. l. 5. §. 2. n. 5. & alii* probabile esse judicant, non teneri: probabilius tamen mihi est, quod docent alii, teneri: eò quòd tunc præceptum nondum viguerit; & seclusa speciali inter debitorem & creditorem conventionne, (de qua tamen in præsentem non constat) obligationi nondum contractæ sed primùm contrahendæ non satisfiat per opus illam præcedens; sic nimirum hodierna auditione sacri non satisficit obligationi crastinæ diei, in quem incidit festum. Idem est de eo, qui hodie recitat totum officium canonicum, existimans se crastinæ obligationi satisfacere: cum

D d 3

tamen

tamen gravissimè erret. Hinc autem obiter

313. Patet, judicem teneri reo ad mortem condemnato concedere tempus sumendi Evcharistiam. Palau T. 4. tr. 21. p. 20. n. 5. Et alii, etsi timeatur, ut reus concessio illo tempore evadat, aut aliqui scandalum patiantur. Bonac. de Sacram. D. 4. q. 7. p. 1. n. 6. nisi fortè reus intra tempus concessum pertinaciter nolit communicare: tunc enim sententia etiam capitæ executioni mandari poterit, etsi timeatur, ut in malo statu decedat: aliàs daretur malefactoribus per ejusmodi dilationem occasio eludendi publicam potestatem, & evadendi Justitiæ manus non sine periculo gravium in republica incommodorum securorum. Bonac. n. 7.

314. *Communicavi ad captandam vanam gloriam vel benevolentiam apud parentes, praeceptores, superiores &c. bis.* Etsi aliqui majorem hinc culpam agnoscere velint, majorem tamen, quàm venialem non video: quia actus ex objecto seu fine suo suam sumit malitiam; atque adeo major seu gravior non potest esse in actu, quàm sit in objecto: vanam autem gloriam ex suo genere non esse nisi levem culpam, dixi n. 185. Tamb. in Meth. commun. c. 1. §. 4. n. 9.

315. *Sub ipsa sacra communione sui distractus, semel.* Si quis in peccato veniali communicet, dupliciter se habere potest peccatum; vel ut in ipso actu communicandi committatur, ut si quis tunc voluntariè ad alia v. g. profana, quæstiones philosophicas aut Theologicas distrahat; vel ut merè habitualiter, quatenus nimirum commissum quidem est, sed nondum vel expiatum, vel condonatum

aut retractatum. Cum peccato veniali merè habitualiter communicare, nullam novam malitiam continet: quia ex una parte peccatum veniale non impedit primarium Evcharistiæ effectum: ex altera vero non est fundamentum obligandi homines, ad omnem meliorem, quæ esse potest, dispositionem recipiendi Evcharistiam, adeoque ad removendum omne peccatum veniale. Vasq. de Evchar. D. 207. n. 18. Joan. Sancierus in select. D. 22. n. 9. quos refert & sequitur Tambur. l. c. quibus addendus est Dicast. tr. 4. D. 9. d. 3. n. 55.

316. Major est difficultas de peccato veniali sub ipsa communione admisso, v. g. de distractionibus voluntarijs; hæ enim tunc temporis ut plurimum admittuntur. Et quidem culpam venialem in ijs agnoscit Tamb. n. 13. eò quòd irreverentia quædam sit, Christum hospitem recipi ab anima, omnia alia præter ipsum aut ad ipsum spectantia, studio cogitate. P. Georg. Gobat prope etiam peccati mortalis damnat ejusmodi voluntarias distractiones; sed non audet propter suum illud familiare pronuntiatum, ex S. Thoma, & Gabriel, n. 297. allatum, Certè nec venialia, quando potest, sunt asserenda. Unde cum Eman. Sa. V. Evchar. n. 22. & alijs, quos ex Dian. p. 4. tr. 4. R. 31. refert Dicast. n. 41. sentio, cum affectu (utique vigente) peccati venialis ad communionem accedere, præter illud, non esse novum irreverentia peccatum: id quod & Joan. Sancierus in select. D. 23. n. 32. in specie admittit de distractionibus voluntarijs. I. quia ex una parte peccatum veniale in ipsa Evcharistiæ sumptione admittum non im-

pedit

pedit primum eius effectum: ex altera verò non est fundamentum præter propriam ipsius actus malitiam novam aliam in eundem actum refundendi. II. quia in ipsa communione nullibi præscribitur; nec ipsa communionis natura eam requirit. Et licet communiter specialem aliquam, saltem levem, irreverentiam agnoscant in distractionibus inter orandum voluntariè admissis, id tamen non statim transferendam est ad distractiones itidem voluntarias inter communicandum: oratio enim est locutio ad DEUM, & ideo facilius est agnoscere irreverentiam in iis distractionibus; at verò Eucharistia est cibus, quem si quis distractè sumat, non apparet, quâ ratione novam & specialem malitiam contrahat. Nihilominus tamen utique consulenda est attentio, ut voluntariæ saltem distractiones caveantur: neque enim omnia, quæ peccata non sunt, continuò sunt facienda, vide *infra lib. 2. n. 134.*

317. *Post sacram communionem me statim rebus profanis impendi.* Colloquiis videlicet vanis, jocis, risibus, lusui, computationi indulsi. Hæc enim licentia ab irreverentiæ, saltem venialis, notâ non videtur posse excusari. Multò magis dammandus esset, si quis esset tam sceleratus, & tam effrenata libidinis, ut ab ipsa statim communionem ad fornicationem provolaret; hæc enim esset gravissima irreverentia contra sanctitatem tanti Sacramenti. Lugo *D. 16. quod Dicast. cit. D. 9. n. 733.* non improbat. Notent hoc etiam Sacerdotes, qui sacrum vix absolvent, cum, omittis illis, quæ alioqui post sacrum dici solent, precibus, pronuntiant ad negotia profana, æconomica, rusti-

cana tractanda, atque utinam non & ad peccata gravia.

318. *Peccati mortalis mihi conscius celebrari semel, Confessione non præmissâ, idque ob defectum Confessarii, & urgente necessitate.* Indubitatum est, eum, qui peccato mortali obstrictus est, teneri ex præcepto Divino confiteri prius, quàm celebret; & id quidem non quia confecturus est Eucharistiæ Sacramentum (quoad hoc enim præcisè non est alia ratio huius Sacramenti, quàm aliorum) sed quia idem Sacramentum etiam est suscepturus: ad quod requiritur juxta modò dicta status gratiæ recuperandus, si amissus est, per Sacramentum penitentiæ; hoc enim est proprium ipsius Eucharistiæ. Et licet hæc obligatio sit communis omnibus Sacerdotibus, quantumvis contriti sibi videantur, celebraturis: specialiter tamen spectat ad illos, qui celebrârunt Confessione non præmissâ, & urgente necessitate: his enim Concilium Trident. *sess. 13. cap. 7.* posuit speciale præceptum his verbis: *quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quàm primum confiteatur:* quod postea Rubricis Romani Missalis *tit. de defect. cap. 8.* in hæc verba insertum est: *si quis in casu necessitatis non habens copiam Confessoris in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat; secus si conteratur: debet tamen, cum primum poterit confiteri.* Quæ verba tam Concilii, quàm Missalis ita olim fuerunt intellecta, ut nec illud *confiteatur*, nec istud *debet*, denotaret verum aliquod & rigidum præceptum sub peccato mortali obligans, sed solummodo vel consilium & piam adhortatio-

tationem, vel præceptum leve sub peccato veniali obligans: id verò quod dicitur *quamprimum*, plus non importaret, quàm Sacerdotem debere confiteri, quando voluerit iterum celebrare, etsi id primum futurum sit post spatium etiam plurimum mensium, ut adeo Sacerdos quoad hoc laicis omnino par esset: utrique enim ante novam Communionem tenentur peccata nondum expiata confiteri. Ita docuerunt graves, nec pauci auctores: fuitque sententia valde plausibilis, & utroque, ut ajunt, brachio excepta.

319. Sed ea hodie nihil ampliùs habet probabilitatis, postquam ab Alexandro VII. non solum doctrina ipsa, sed etiam praxis est prohibita sub Excommunicatione lata sententiæ extra articulum mortis Papæ reservata. Itaque tenendum omnino est, Sacerdotem peccati mortalis sibi consciùm, si urgente necessitate, & Confessario, cui suum delictum patefaciat, non præsentem, celebret, obligatum esse sub gravi peccato ad quamprimum confitendum. De obligatione gravi, seu sub peccato mortali constat ex pœna contra transgressores statutâ: quæ cum gravissima sit, (quæ enim inter pœnas spirituales gravior esse possit excommunicatione lata sententiæ, & ipsi etiam Pontifici reservata?) necessariò supponit culpam gravem, cum pœna ex culpa metienda sit. *Cap. Felicis. de pœn. in 6.*

320. Quando autem Sacerdos, qui necessitate constrictus celebrat, Confessione ex penuria Confessarii non præmissa, teneatur postea confiteri, non aliter seu à Trident. seu à Missali determinatum est, quàm quòd debeat id fieri *quamprimum*: quid verò denotet hæc

particula *quamprimum*, neutro loco determinatum est. Si intelligatur in sensu prædicto, qui est Fagund. *in 3. præ. Eccl. tr. 3. l. 3. c. 8. n. 9.* Binsfeldii & aliorum apud Dianam *p. 2. tr. 14. R. 60.* is est nimis laxus, & post dictam Alexandri VII. declarationem nequit sustineri. Si verò sumatur ita (ut sumit Sancius *in selectis D. 32. n. 14.* & Tann. *T. 4. D. 5. q. 8. n. 27.*) ut statim finito sacro faciendâ sit Confessio, interpretatio memoratâ particula est nimis rigida: si enim ante Missam non erat copia Confessarii, rarissimè erit statim à Missa finita: leges autem non feruntur pro rarò contingentibus.

321. Alius ergo prædictæ vocis *quamprimum*, sensus est, nimirum, intra triduum à tali, de qua sermo est, celebratione missæ, confitendum esse. Diana *1. p. tr. 14. R. 60.* & *p. 9. tr. 3. R. 33.* id enim censetur quamprimum fieri, quod fit intra triduum. *L. fin. C. de error. advoc. & L. fin. C. de iudiciis.* Et idcirco si quis Sacerdos, intra hoc spatium non confiteatur, peccatum est mortale; & quidem, cum sit speciale præceptum à reliquis distinctum, etiam specialiter in Confessione proxima explicandum. Quod bene notandum est Sacerdotibus: non enim hi, ut aliqui existimant, à gravi peccato excusari possunt propter ignorantiam hujus præcepti invincibilem. Quoniam enim modo hæc excusatio locum habere possit, non video: non enim existimare possum, Theologiæ, etiam Moralis, Professores officii sui tam incurios esse, ut, cum agunt de dispositionibus animæ ad Communionem requisitis, non meminerint tam gravis præcepti, vel saltem, ut olim

olim erat, consilii & exhortationis. Certè etiam libri hâc doctrinâ pleni sunt: quomodo ergo ignorantia invincibilis pro tegumento malitiæ ostendi potest? Eam tamen in nonnullis reperiri non negaverim. Quod si ergo aliqui sint, qui eâ ignorantia verè laborent, Confessarius omnino tenetur, eos de errore, in quo sunt, commonefacere: nam ex una parte non potest quoad hoc deesse spes emendationis secutura; ex altera verò, Confessarius est non solum iudex, sed etiam Magister pœnitentis, atque adeo in tali casu tenetur ex officio eum erudire, & admonere.

322. Ceterum hoc Tridentinum præceptum non obligat I. Laicos in peccato mortali per Confessionem non expiato, sive ex devotione, sive ex præcepto, communicantes. Nec II. Sacerdotes more Laico communicantes, ut fit in feria quinta sanctæ hebdomadæ. Nec III. illos, qui nullâ urgente necessitate, sed ex malitia omittunt Confessionem, quam facile potuissent præmittere. Fill. *tr.* 8. *n.* 22. Lugo *D.* 14. *f.* 7. *n.* 150. *Et alii*: quia Concilium expressè loquitur de eo, qui ex necessitate omisit Confessionem, ac proinde justè accessit: in rebus autem odiosis non sunt extendenda præcepta. Nec IV. illos, qui in ipso Sacrificio sive ante, sive post consecrationem se novo peccato mortali obstrinxerunt: hi tamen tenentur, vel ante consecrationem vel sumptionem hujus Sacramenti contritionem elicere: nisi fortè, quòd intra Sacrificium nanciscantur occasionem confitendi, sine scandalo & murmure populi: quod rarè quidem fiet; fieri tamen poterit, cum Sacrum concione abrum-

R. P. Stoer, Trib. Pœnit.

pitur, & Sacerdos interea ab altari ad Sacristiam ex more consueto recedit. Neque V. illos, qui formaliter integram fecerunt Confessionem, & intra Sacrificium recordantur obliti peccati. Arriaga de *Evchar.* *D.* 46. *f.* 3. *n.* 35. sed tamen hi poterunt tutò peragere sine nova contritione per ea, quæ *n.* 307. sunt dicta, quibus consonat Arriaga *n.* 34. 28. *Et* 34. Qui verò omittit malitiosè Confessionem Sacrificio Missæ alioqui necessariò præmittendam, non committit plura peccata mortalia, ut aliquibus videtur, sed unum tantum: quia tam Confessio & contritio, quàm oblatio & consecratio ad eandem ordinantur Communionem: ubi autem unum ordinatur ad alterum, in æstimatione morali non censentur esse diversa.

323. Sed jam necessitas, ob quam omitti potest Confessio, non debet esse levis nec gravissima: sufficit, si sit gravis, qualis est I. si pro jam morituro consecranda sit hostia. Bonac. *D.* 4. *q.* 6. *p.* 1. *n.* 22. II. si Sacrificium aut Communio omitti non possit sine gravi infamia, vel scandalo. III. si teneatur Sacerdos ex officio celebrare, ut populus Sacrum audiat: aut fideles id jure suo exigant: neque per alium id perfici possit. Sed & alius Sacerdos, qui non est parochus, idem poterit juxta Dian. *p.* 9. *tr.* 3. *R.* 9. *Et alios.* IV. si urgeat præceptum annuæ Communionis, vel si Sacerdos ipse non possit audire Sacrum, nisi celebret.

324. Neque tamen ad omittendam Confessionem satis est, adesse necessitatem celebrandi (communicandi) sed præterea requiritur, ut desit copia Confessoris. Deesse autem censetur, I. si

Et

verè

verè nullus sit præfens : ad absentem verò ut accedas, temporis angustia non permittunt, vel magna in eo accessu apparet difficultas, quæ pensanda est ex debilitate virium, ætate, aut aliis circumstantiis, v.g. aëris inclementia, ut si densa nix aut pluvia cadat continua, aut distantia, Bonac. *D. 4. q. 6. p. 1. n. 30.* Tamb. *c. 1. §. 6. n. 19.* Quanta autem distantia sufficiat, non omnino convenit. Gavantus *3. p. tit. 8. n. 3. in Rub. Missal.* absolute dicit, tunc non adesse copiam Confessarii, quando is longius abest, quam ut commodè adiri possit. Sed quàm procul debet abesse? Quibusdam nimia videtur, si in ita duæ horæ sint infumendæ, & totidem in reditu, saltem in hyeme. Canus apud Lugo *D. 14. f. 5. n. 83.* & Dicast. *tr. 4. D. 9. d. 6. n. 104.* putat distantiam trium (nempe Italicorum, ut exponit Dicast.) milliariam, quæ conficiunt quinque circiter horæ quadrantes. Alii etiam tunc, cum saltem aliquoties, etsi non singulis diebus, adeundus est; sed quod Canus dicit, Dicast. rejicit: ego tamen existimo, non esse omnino abjiciendum, ne in ejusmodi objectis semper hæreamus ancipites & incerti, an non remotius iter possimus absolvere, ut Sacerdotem, cui confiteamur, reperiamus. Imò censeo adhuc brevius iter quandoque præbere causam ante sacrum non confitendi, ut si Parochus manè primùm mortaliter peccet, & interea dum tempus celebrandi advenit, alii labores parochiales erunt obeundi, qui, ut Confessarium etiam ad unum duntaxat quadrantem horæ distitum accederet, non permittebant, sed in hoc semper id cavendum, ne habenæ nimium laxentur,

II. si non adsit, nisi idiomatis, quod ego calleo, profus ignarus. III. si non adsit, qui habeat jurisdictionem in peccata mortalia; necis, qui confiteri debet, possit vel ex Jubilæo, vel privilegio dare. Huc reducitur, quando quis tantum habet casum reservatum, nec patet aditus ad Superiorem, vel Superior semel iterumque per pium Confessarium rogatus negat potestatem absolvendi. Quid autem si quis præter peccatum reservatum habet alia seu mortalia seu venialia, fieri possit aut debeat, jam *sup. n. 63.* dictum est. IV. si quis præfens non possit confiteri sine gravi suo vel alieno damno, quia videlicet probabile periculum est revelationis, vel quid simile. Et quidem si omnium mortalium tale periculum timeatur, potest omitti Confessio: si autem alicujus tantum seu aliorum, potest se gerere, ut *supra citato loco de casibus reservatis est dictum.* V. non tamen censendum est, deesse Confessorem, si absit is, cui quis solet ordinariè, & nunc etiam cuperet confiteri; vel cui majori cum devotione aut utilitate confiteretur; vel si adesset privilegiatus, & Parochus proprius abesset. Lugo *n. 106.* Tamb. *n. 18.* Bonac. *n. 27.*

325. *Celebravi bis matutino nondum dicto.* Barbosa *de potestate Episc. p. 2. alleg. 24. n. 15.* numerat. 39. autores, inter quos sunt duo Sancti, Antoninus & Raymundus: & duo Pontifices, Innocentius IV. & Pius V. nunc Beatorum numero adscriptus, qui damnant talem peccati mortalis: quibus ex Gavanto *in Rubric. Miss. p. 2. tit. 1.* addendus Francolinus de tempore horarum Canonice, *6. 42.* & ipse etiam Gavantus. Negat tamen

tamen mortale esse, ipse Barbosa, & alii 20. quos citat. quibus plures alios addit Diana. p. 2. rr. 4. R. 36. Utraque sententia ob insignem auctoritatem est valde probabilis, alterutram sequeris tutò. Ego tamen, cum conscientia, quantum fieri potest, non sint gravandæ, posteriorem ceu benigniorem existimo præferendam esse: præsertim cum etiam rigidiores sententia propugnatores à mortali peccato excusent eum, qui ex iusta causa, quæ facile non deerit, celebrationi Missæ non præmittit recitationem Matutini & Laudum. Monent etiam ex mitionibus aliqui, hoc non esse in praxin deducendum, cum Missa valde serò, v. g. in meridie celebratur: putant enim hunc talem nimis serum esse, & à peccato non excusandum, quod ego non improbo: non quidem, quòd censeam, recitationem Matutini cum Laudibus necessariò præmittendam esse celebrationi; sed quòd idem Matutinum suo tempore non sit recitatum; quod, si causa honesta non permittat, non licet, ut infra dicetur.

326. In mortali peccato constitutus absolvi aliquem semel. Certum est, eum, qui peccato mortali obstrictus absolvit pœnitentem, peccare mortaliter. Ratio universalis etiam pro administratione seu consecratione aliorum Sacramentorum est: quia actiones Sacramentales, hoc ipso quòd nomine & in persona Christi à Ministro exercentur, censentur mortaliter & specialiter esse ipsius Christi actiones: & ideo ob suam sanctitatem & dignitatem exigunt, ut Minister sit in statu gratiæ; dedecet enim peccatorem & hostem Christi in munere tantæ dignitatis,

& sanctitatis tam immediatè sustinere personam Christi, ut sit unum agens cum Christo. Unde ortum habet illud: Sancta sanctè esse tractanda. Potest tamen esse etiam peccatum veniale, vel omnino nullum; idque vel ob defectum plenæ advertentiæ, vel gravem recipientis necessitatem; potest enim hæc esse tanta, ut minister non habet spatium ad gratiam se præparandi; hoc enim casu Christus clementissimus Dominus potius vult suo jure cedere, quàm velle, ut homini graviter indigenti non succurratur. Lugo de Sacram. in genere D. 8. f. 9. n. 151. & alii, sufficit autem, si minister perfectam contritionem eliciat priùs, quàm Sacramentum conficiat, neque enim ut gratiam recuperet, debet ad consecrationem ullius Sacramenti, etiam Eucharistiæ, Consecrationem peccati mortalis præmittere: cum hujus obligationis nullum sit fundamentum. Nihilominus tamen Sacerdos celebraturus ad id tenetur, non quidem quia consecraturus est Eucharistiam, sed quia eam recipit.

327. Et spectat hæc obligatio conficiendi Sacramentum in statu gratiæ ad quemcunque ministrum, etiam non consecratum, v. g. Laicum, si in statu peccati mortalis baptizet: nisi, ut paulò antè dixi, excuset vel inadvertentiæ, vel gravis necessitas suscipientis non relinquat spatium recuperandi gratiam: quilibet enim, qui conficit Sacramentum, etiam Laicus, & in extrema necessitate est verus Sacramenti minister ad id à Christo institutus, atque adeo sustinet immediatè personam Christi: & ideo contra reverentiam Sacramenti est, ipsum à ministro ad id instituto confici in statu peccati

cati mortalis : quod vel maximè locum habet in Sacerdote peccatore conficiente Sacramentum, quamvis in extrema necessitate, & quamvis non solenniter. Lugo *n. 150.* Palauus *T. 4. rr. 18. p. 5. n. 10. & 11.*

328. Ceterùm, quæ hæcenus dicta sunt de Sanctitate Ministri conficientis Sacramentum, communia sunt omnibus Sacramentis, ita ut nullum eorum confici possit licetè nisi à ministro in gratia constituto: nam validè à ministro peccatore confici certum est, modò reliquorum, quæ ad Sacramenti valorem requiruntur, nihil desit: inter quæ non postremum locum obtinet Intentio Ministri, quæ est voluntas, non præcisè res & verba, quæ adhibet Ecclesia, adhibendi, sed faciendi id, quod Christus per talem externam ceremoniam instituit.

329. Est autem hæc intentio multiplex. I. directa, cum aliquid in se intenditur. II. indirecta, cum aliquid in alio, velut in sua causa intenditur, quod accidit, cum quis sciens se in somno verba baptismi v.g. proferre, ad somnum se componat animo tunc baptizandi. III. actualis, cum quis actu vult conficere Sacramentum: ad quod sufficit, ut, dum confecturus est Sacramentum, animo præsens sit, & attendat, nec est opus, ut corde vel ore dicat: volo v.g. consecrare: ut scrupulosi faciunt. IV. Habitualis, quæ est intentio præterita non retractata: & alia est merè habitualis, quæ videlicet ita præcessit, ut licet non sit revocata, vi tamen illius opus præsens non fiat: alia verò virtualis, ex præcedenti actuali, relicta in aliquo, vi cuius

conferetur in opus præsens influeret qualem haberet, qui vocatus ad baptizandum infantem, actu veller id facere, & postea vi illius actus accederet ad Ecclesiam, præpararet necessaria, inciperet ceremonias, formam baptismi sine novatione, & attentione, sed ad alia distractus proferreret. Quid virtualis addat supra merè habitualement, non est expeditum dicere. Placet id, quod Dicast. *rr. 1. de Sacram. D. 3. d. 6. §. 2. n. 100.* & alii dicunt, intentionem virtualement esse continuam successione intentionum actualium, tam tenuium tamen, ut non advertantur: quod explicari potest familiari exemplo citharædi, qui dum citharam pullat, ad singulos digitorum motus debet habere actualè voluntatem movendi illos: alioqui statim cessaret à pulsatione, cuius ratio est, quòd cum digiti se ipsos ad istum pulsam applicare non possint, indigeant alio principio applicativo, quòd est actus voluntatis imperantis hunc, & non alium motum digitorum; hos enim actus licet citharædus non advertat, verè tamen habet. Est ergo voluntas virtualis in administratione Sacramentorum nihil aliud, quàm voluntas actualis, remissa tamen, & cum remissa advertentia faciendi & habendi ea, quæ aliunde noscuntur esse necessaria ad tale Sacramentum. Sed hæc aliis fusiùs prosequenda & pertractanda relinquamus: non enim ea nostri sunt instituti. Manum ergo à tabula.

330. V. Conditionata intentio est, quæ habet adjunctam conditionem propriè dictam, seu quæ non est efficax, nisi conditio, sub quæ elicitor, existat. Est autem conditio una de præterito, ut si quis

quis absolvat aliquem, si nondum sit absolutus; alia de presenti, ut si absolvas alium, si sit capax; alia de futuro; ut si absolvas, si dimiserit concubinam, alienum restituerit &c. VI. Absoluta, quæ nimirum est ab omni conditione libera & independens; ut si dicas: Ego te absolvo à peccatis tuis. VII. Implicita, quæ aliquid intendis non in se, sed in alio, in quo inclusum est, seu eum quo alterum connexum est, vel naturaliter, vel per legem humanam: ad quod tamen requiritur, ut tibi hæc connexio sit nota. Hinc qui scit (quis autem hoc nesciat, cum vel in scholis inculcetur.) Subdiaconatus ex lege Ecclesiastica annexum esse votum Castitatis, & illum ordinem recipit, voti reus est: alias non; nisi fortè habeat intentionem sumendi hunc & alios majores ordines eo modo, quo ceteri solent, aut in Ecclesia consuetum est: nam hæc intentio est implicita, quando quis talem actum aut ceremonias vult peragere eo modo, quo apud talem nationem, gentem, Republicam aut communitatem solet peragi. Talem quoque intentionem habetis, qui proferens verba consecratoria vult facere id, quod ceteri Sacerdotes per ea verba solent; item qui habet voluntatem satisfaciendi suo officio &c. VIII. Explicita est, cum quis aliquid in se sub sua specifica ratione intendit: ut si, qui baptismum conferre velit, dicat: *Ego te volo baptizare &c.*

331. Ceterùm ex his intentionibus ad valorem Sacramenti non sufficit I. intentio indirecta. Est communis; quia licet illa actio, si extra somnum, aut ebrietatem fieret, esset actio verè sacramentalis, talis tamen modò non est, idque ob

defectum libertatis, quam Christus ad perfectionem Sacramenti requisivit: quia, ut ex usu, sensu, & declaratione Ecclesie constat, voluit, ut ea actio esset humana, qualis non est sine vera libertate. Cur autem somnus & ebrietas tollat libertatem, non autem distractio, explicat Dicast. §. 3. & Lugo D.S. Quòd autem baptismus aut poenitentia conferri possit adulto extra statum usûs rationis, non refert: quia plus requiritur ad agendum, quàm ad recipiendum.

332. Nec sufficit II. merè habitualis: quia hæc non est operativa. Quòd autem eadem sufficiat ad applicandum fructum sacrificii, ratio est, quia ad applicationem sacrificii non requiritur voluntas factiva sacrificii, sed applicativa valoris seu fructus per sacrificium ex alia intentione faciendum obventuri, & respiciens valorem, non ut effectum, sed ut purum objectum.

333. Nec III. requiritur expressa intentio conferendi fructum Sacramenti: hæc enim in voluntate conferendi Sacramentum includitur: qui enim vult alicui Sacramentum conferre, hoc ipso etiam vult effectum, qui ex Sacramento consequitur; juxta illud tritum: qui vult antecedens, vult etiam consequens.

334. Nec IV. requiritur actualis intentio: alias enim omnia plena forent scrupulis: nimis enim pronum est, sub administratione Sacramentorum mentem ad alia averti, & ad id, quod modò in presenti agitur, actu non attendere; actu, inquam, de quo interrogati possumus rationem reddere: quod addo propter intentionem virtuales, quæ semper actum, etsi eum non advertamus, nec de eo ratio-

nem reddere possimus, importat. Actuali verò intentionem ad validam Sacramenti confectionem sufficere, nemo negat; quia melior illa non potest excogitari.

335. Sufficit etiam V. intentio virtualis, & implicita: illa quidem, tum quia sufficit ad operandum humano modo: tum quia, ut paulò ante dixi, ex una parte actualis non requiritur: ex altera verò intentio virtualis est ejusmodi, ut vi illius minister verè moveatur ad legitimam materiam & formam adhibendam. Jam verò etiam implicitam sufficere, inde patet, quia alioqui innumeri orientur scrupuli & dubitationes de valore Sacramentorum, cum eorum ministri frequentissimè non habeant aliam intentionem, quam implicitam. Ut nihil dicam de facto S. Athanasii, qui in lusu puerili dicitur aquam affudisse, & verba baptismi protulisse eo solùm modo, qui aliis baptizantibus communis est & usitatus: & tamen hunc baptismum approbavit Alexander Patriarcha Alexandrinus.

336. Debet verò VI. intentio per se esse absoluta. Ita enim Christum voluisse, ut sua Sacramenta independententer ab omni conditione à Ministro apposita administrarentur, & suum haberent effectum, communis est Ecclesiæ & Doctorum sensus. Dixi autem: *Per se*: quia per accidens, & ex justa causa fieri potest, ut Sacramentum conficiatur ex intentione sub conditione de præterito vel præsentis; quæ proinde si subsistat, etiam Sacramentum valet & subsistit: talis enim conditio non suspendit significationem sacramentalem, & æquivaleret absolutæ. Idem sumitur ex *Cap. 2. de baptis.* ubi jubemur,

eos, de quibus dubitatur, an sint baptizati, sub conditione baptizare: quod fieri non possit, si talis baptismus non esset validus. Nihilominus tamen mortaliter peccat, qui sub conditione præsentis, vel etiam præteritæ conficit Sacramentum, si nulla causa justa subsit: si enim subsit (si verè post omnem diligentiam adhibitam adhuc dubium sit, an baptismi Sacramentum v.g. verè sit collatum &c.) licitum est Sacramentum sic administrare: tunc enim nulla illi fit irreverentia: perinde autem est, siue conditio mente concipiatur, siue ore proferatur. De conditione futura contingente (nam necessaria v.g. si cras Sol orietur, non apponitur nisi ad significandam certitudinem actûs, cui proinde non officit: perinde enim est, ac si dicatur, quàm certum est, cras Solem oriturum, tam certum est, me hoc velle) paulò aliter est sentiendum: nempe Sacramentum ita collatum nullum est; cum Christus, quod ex Ecclesiæ & Doctorum consensu unanimi constat, noluerit suorum Sacramentorum vim & efficaciam voluntati suorum Ministrorum ita alligare, ut non haberent quidquam virtutis & efficaciam, nisi quatenus Ministri vellent: hoc enim si esset, quæ tandem certitudo de Sacramentis ritè susceptis haberi posset? quæ quies animæ? Habent ergo se Sacramenta ut causæ necessariae, quæ, ubi omnia ad agendum requisita adsint, statim suum habent effectum. *Vide inf. l. 2. n. 85.* Excipiendum hinc tamen est Sacramentum Matrimonii, cujus fundamentum est contractus, cujus naturam Christus, cum hoc Sacramentum instituit, non immutavit: ac proinde sicut contractus iple, ita etiam Sacramentum, potest

potest alligari conditioni futurae, ut, sicut ab ejus eventu valet valor contractus, ita & Matrimonii valor, quod omnes docent.

337. Debet præterea VII. intentio ministri versari circa materiam & personam certam ac determinatam: ut ex ipsis Sacramentorum formis patet, quæ vel constant pronomine demonstrativo, vel ad certam personam diriguntur. Non est tamen hæc ministri intentio ad certam materiam vel personam alliganda, ut, si ea, quam adesse putat, verè non adsit, Sacramentum nolit conferre: quia se exponeret periculo nihil faciendi. Unde valet absolutio, etsi pœnitens, quem Sacerdos putat esse virum vel Paulum, sit fœmina, vel Petrus. Excipiendum tamen est hic Matrimonium, cujus valori obstat error circa personam: ut si ducas Annam, cum volueris Mariam. Laym. l. 5. tr. 1. c. 4. n. 6. & alii.

338. Quod si autem intentio sufficiens & necessaria desit, mortale peccatum est. Quod nemo negat: qui enim sic administrat Sacramentum, id suo fraudat effectu, quod est grave sacrilegium. Nec est, quod aliqui piè magis, quam doctè & verè docent, dicendum, DEUM pro sua misericordia supplere hunc defectum; non enim id fundatur in ulla lege, promissione, vel necessaria ratione. Unde, si constaret hujusmodi defectus, v.g. baptismum ab aliquo scelerato Sacerdote collatum esse sine ulla debita intentione, Sacramentum denuo esset conferendum absolute, & cum necessaria intentione. Quo modo autem Sacerdos tam sacrilegè baptizans se gerere possit aut teneatur, non est nostri instituti. Fusiùs & ut solet, doctè id prosequitur P. Georg. Gobat in suo *Baptizantium alphabeto à n. 210.*

339. Quando verò Sacerdos Sacramentum quodcunque sacrilegè, sive deinde ex defectu intentionis, aut alio voluntario circa materiam & formam errore administravit, quomodo se geret, cum se de tanto sacrilegio accusabit apud Confessarium? An explicabit in particulari & enucleatè speciem, & numerum Sacramentorum, dicendo: *Sacramentum baptismi ter: pœnitentia sexies administravi in statu peccati mortalis?* Equidem licet omnia Sacramenta inter se specie distinguantur, modus tamen, quo singula sunt administranda, in omnibus est idem specie: in hoc enim, quod omnia sint sanctè, id est, in statu gratiæ, conficienda, non differunt: etsi pro majori ipsius Sacramenti dignitate gravius sit peccatum hoc, quam illud Sacramentum conficere. Diana tr. 7. R. 59. & p. 5. tr. 14. R. 56. §. Sed quæres quinto. hoc spectat ad circumstantias merè aggravantes, quas necessariam confessionis materiam non esse, jam p. 1. n. 89. diximus. Hic ergo talis satisfaciet, si dicat: *In peccato mortali confisus Sacramenta* (si quidem verè plura administraverit: alias dicit: *Sacramentum*) *administravi semel.* Illud solum hic bene animadvertendum, an unum & idem Sacramentum v.g. Pœnitentiæ, uno quasi continuo & moraliter non interrupto tractu & serie sit pluribus administratum. Illud enim uni duntaxat administrare, etsi specie non differat ab eo, cum pluribus successivè sine morali interruptione administratur, differt tamen, ut infra dicitur, numero: & peccata etiam quoad numericam differentiam distincta in confessione explicanda esse, notum est. Talis ergo sic dicit: *Sacramenta sacrilegè admini-*

ministravi ter : & inter hac unum pluribus successivè.

340. *Audivi confessionem, vel confessiones, in statu peccati mortalis constitutus, semel.* Suar. D. 28. de pœnit. s. 1. n. 3. Bonac. de pœnit. D. 5. q. 4. s. 2. p. 2. §. 3. diff. 2. n. 7. & 8. expriment, peccatum mortale esse, si quis audiat confessiones itidem in peccato mortali constitutus. Sed ego memor illius, quod jam sæpius ex S. Thoma & Gabriele retuli, peccata mortalia non esse sine evidenti ratione, vel auctoritate sufficienti asserenda, judico, benignius esse tractandum hujusmodi Confessarium; modò prius, quàm absolutionem impendat, eliciat contritionem. Et ita judicat etiam Lugo de pœnit. T. 2. D. 8. s. 9. n. 159. & 160. P. Georg. Gobat tr. 1. *Experiment. Theol.* n. 55. ubi in hanc sententiam refert etiam Marchant. in *resol. pastor.* tr. 1. c. 4. n. 3. Quod si tamen aliquis sit, cui rigidior sententia placeat, hoc saltem habebit favoris, quòd unum tantum peccatum committat, et si multorum confessiones sine morali interruptione excipiat. Dian. p. 1. tr. 7. R. 43. & p. 5. tr. 7. R. 7. §. *Dixerunt.* & p. 9. tr. 8. R. 66. nec proinde teneatur numerum personarum exprimerè, quidquid rigidius pronuntiet Bonac. n. 7.

341. *Evcharistia Sacramenti in statu peccati mortalis distribui bis.* Bonac. l. c. etiam hunc damnat peccati mortalis, & adstringit ad numerum personarum, quas successivè hoc Pane Angelico reficit. Sed eum tam gravi noxa absolvent Lugo & alii: quia Sacramentum non conficit, sed aliunde jam confectum distribuit. Sed sistendo etiam in Bonac. sententia, satis est dicere, se, cum esset extra statum gratiæ,

pluribus successivè sine interruptione notabili Eucharistiam præbuisse, absque ulla necessitate scrupulosè dicendi, quoniam fuerint illæ personæ. Hic autem obiter ex occasione addendum, nullum exercitium Ordinis aut alterius Sacramenti præter ipsam Sacramenti confessionem à peccatore prodeuntem esse peccatum mortale. Palau T. 4. tr. 18. p. 6. n. 2. & alii. Et ideo Episcopus, aut Sacerdos conficiens v. g. chrisma pro confirmatione, consecrationem templi, altarium, sacrorum vasorum, benedictionem virginum, aut populi cum venerabili Sacramento, prædicatores Verbi Divini, Diaconum aut Subdiaconum cantantes solenniter Evangelium, aut Epistolam, non peccant mortaliter, et si eas functiones peragant in statu peccati mortalis; non enim actiones illæ peculiariter censentur esse actiones Christi, aut ad sanctitatem ex opere operato conferendam ordinatæ. Palau n. 4. Dian. p. 3. tr. 4. R. 195. in fine, Lugo de Sacram. in genere D. 8. s. 9. n. 152. Coninch. q. 64. a. 6. d. 1. n. 39.

342. *Distrahtus administravi Sacramentum semel.* Sub pronuntiatione ipsius formula, ex qua quodvis Sacramentum constat, voluntariè distrahi ad aliena, peccatum veniale esse, Tamb. l. 1. de Sacram. c. 2. §. 1. asserit: nisi fortassis distractiones tantæ sint, ut secum trahant periculum grave, substantialem errorem committendi: tunc enim utique sub gravi culpa cavendæ sunt. Et ita sentit etiam P. Georg. Gobat in *exper. Theol.* tr. 1. n. 97. & 202. quorum tamen priori loco excipit cum Tamb. confectioem Eucharistiæ: sub hac enim eum, qui voluntarias admittit distractiones, damnat uterque peccati mortalis.

lis. Sed ego super hoc meam mentem jam *supra* n. 109. *Esseq.* aperui: & ab ea recedendi necessitatem nondum video, cum ante oculos verteretur illud, quod Tamb. *de sacrif. l. 1. c. 6. §. 2. n. 4.* scripsit: Nullus, inquit, est obligandus sub culpa lethali, nisi manifestè constet de præcepto obligante: in cuius confirmationem adducit Suarez. *de legib. l. 7. c. 15. Dian. p. 4. tr. 3. R. 58.* Marchant. & Marat. Pro præsentia autem, quam Tamb. agnoscit, obligatione, nullum constat extare præceptum. Multò minùs per voluntarias etiam distractiones essentia ullius Sacramenti destruitur, nisi fortè id velis asserere de Sacramento Extremæ Unctionis; cum enim hoc institutum sit per modum precatationis, id per eiusmodi distractiones tolli necesse est, si verum est, quod, ut *supra* n. 103. vidimus, docent non pauci, per easdem substantiam Orationis pessumdari. Sed prædictam Extremæ Unctionis formam destrui per distractiones etiam voluntarias, Lugo, & nisi fallor, cum eo etiam reliqui negant. Unde non parùm roboris accipit sententia benignior, asserens, eum, qui dum horas canonicas recitat, ad longè alia distractus est, adhuc satisfacere præcepto Ecclesiastico de recitandis horis.

343. *Sacrilegè confessus sum semel.* Potest confessio variis modis esse sacrilega, seu invalida; præcipuè verò his. I. Quando quis sciens, ac volens sine ulla iusta causa omittit peccatum aliquod mortale. De quo nemo dubitat. II. quando quis inter confitendum mentitur circa gravem materiam necessariam, seu peccatum mortalis, & quando scit, id esse mortale: vide quæ *supra* diximus, n. 32. *Esseq.*

R. P. Stoz. Trib. Pœnit.

III. Quando quis ad confessionem accedit, nullo præmissio examine, & ea de causa peccatum mortale omittit. Ita quidem communior & vera fert sententia. De necessitate examinandi conscientiam priùs, quàm confessio instituatur *supra* 1. p. à n. 2. dixi. IV. Quando quis sine omni profuso dolore confitetur: est enim, ut p. 2. n. 2. vidimus, dolor seu detestatio peccati ad valorem confessionis tam necessaria, ut si nulla, saltem ut *ibid.* n. 47. diximus, ante absolutionem eliciatur, grave committatur sacrilegium, etsi materia confessionis sint sola peccata venialia. *sup.* n. 3. *Esseq.* Hic autem breviter reprehendendus est, quorundam seu error, seu scrupulus, dum dicunt, se nuper confessos fuisse sine sufficienti dolore. Vel enim hac sua phrasi & modo loquendi indicant, se omnino nullum habuisse dolorem; vel aliquem, qui tamen ad Sacramentum fructuosè percipiendum non suffecerit. Si primum: se ipsos involvunt, & clarè mentiuntur; nam dicunt, se habuisse dolorem, (id enim verba ipsa, quibus utuntur, apertè sonant) cum tamen nullum habuerint; quare tales dupliciter peccant, mentiendo videlicet circa materiam confessionis gravem, & omitrendo necessarium dolorem. Si secundum; manifestè errant: quicunq; enim dolor, modo iis, de quibus *sup.* p. 2. à n. 17. affectus sit conditionibus, sufficit ad valorem confessionis, etsi, ut n. 16. tradidimus, sit remississimus. Imperitè igitur dicunt, se non habuisse dolorem sufficientem. V. Quando quis confitetur sine proposito se emendandi, vel potiùs, quando quis habet expressum propositum se non emendandi, cum enim juxta dicta n. 90. ad confessionem

Ff

vali-

valide & fructuosè instituendam sufficiat propositum virtuale seu implicitum, inclusum in dolore, non potest debito proposito carere, qui verè de suis peccatis dolet, ac proinde nec confessio reddi invalida ex defectu propositi, nisi tunc, cum expressum propositum elicitur se omnino non emendandi. Sed cum hoc tam malo proposito nec verus dolor consistere potest: nec quisquam facilè tam malus est, ut cum eo confessionem instituat.

344. Ceterùm undecunque proveniat invaliditas confessionis, peccatum grave committitur, quod postea specialiter in confessione explicandum est; & sufficienter dicto modo explicatur. Non est enim necessarium dicere, quænam, aut quotnam peccata sint omiſſa: sive enim unum sive plura peccata, sive hujus aut illius speciei sint omiſſa, ad variandum hoc sacrilegium nihil refert; modò peccata omiſſa aperiantur in nova confessione, & cum iis etiam cetera, quæ jam in priori confessione sacrilega sunt exposita. Cum enim per ejusmodi confessionem sacrilegam non sint remissa, necesse est, ut, si quæ in ea peccata mortalia fuerint exposita, postea in nova & proxima confessione omnia iterum secundùm numerum, speciem, & circumstantias necessarias aperiantur, unà cum iis, quæ fuerunt sacrilegè omiſſa, & ab ultima confessione de novo sunt perpetrata. Ut autem molestia, quæ alioqui in repetitione peccatorum, jam aliàs quoquo modo confessorum cernitur, haud parùm sublevetur, multùm refert, cuinam Sacerdoti denuo confitearis; eidem nempe, cui priùs confessus es? an alteri? Si enim alteri; singillatim omnia retexenda sunt, priori confessione nihil suffragante. Si eidem;

magno licet compendio uti: nam si is generatim & confusè meminerit statùs & gravitatis peccatorum, vel saltem pœnitentiæ à se injunctæ, vel pœnitens ipse memoriam ejus reficiet, dicendo: hanc & hanc pœnitentiam sibi nuper fuisse impositam, non est necesse, speciatim omnia revolvere. Sufficit, generatim & confusè se accusare de omnibus nuper dictis, addendo prætermiſſa, & interim facta, & ipsam etiam culpam Sacramenti violati. Nam supposità priori speciali confessione, generalia hæc verba sunt virtualis repetitio priorum, & pariunt Confessario sufficientem notitiam ad ferendam sententiam. Quod si autem & iste nec statùs aut peccatorum etiam in confuso, nec pœnitentiæ injunctæ ullam notitiam habeat, aut habere possit, utique confessio illa tota erit repetenda: perinde ac si antea nunquam fuisset facta. Navar. c.9. n.16. Reginald. l.6. n.16. Coninch. P.7. d.10. n.106. & 107. & D.10. d.12. n.102. Bonac. D.5. s.2. p.3. n.15. Henriq. l.5. c.4. n.4. Fill. tr.7. c.4. n.102. si quis verò malè semel confessus postea hujus defectùs immemor, sapius bona fide confiteatur, valebunt posteriores confessiones; & idcirco sola illa, quæ fuit invalida, repetenda est. Quæ verò per inculpata oblivionem, aut legitimam causam in confessione prætermiſſa sunt, ea duntaxat supplenda sunt postea. Quid autem, si sola circumstantia sit omiſſa, fieri possit, dicitur *infra* n.598.

345. Sanctissima Nomina JESUS & MARIA debito honore non sum profectus ter. Potest hoc fieri I. verbo, temerè ea ad quidlibet pronuntiando, quod spectat ad peccata oris, & inter ea referen-

rendum, estque vana Divini nominis usurpatione: vel II. *falso*: ut si quis hæc nomina chartis descripta collo circumferat ad artes superstitionis &c. hoc enim esset sacrilegium grave; item si quis eadem inscribat chartæ, quam quis sciret projiciendam in terram & pedibus passim conculcandam, aut reponendam in loco sordido ad usus non satis mundos &c. in quo nisi bona fides, aut ignorantia ad excusandum sufficiat, peccatum saltem veniale committetur: personam enim, quas hæc nomina repræsentant, dignitas & excellentia meretur, ut nomina earum repræsentativa in majori habeantur honore.

346. *Alicujus beati, nondum canonizati nomen inferni precibus in Missa sacrificio dici solitis semel.* Cultus, qui Beatis, etiam nondum canonizatis, exhiberi potest, alius est privatus, alius publicus; ille est, qui absque ulla majorum auctoritate exhibetur, & verò etiam exhiberi potest à quolibet, etiam si alii sint præsentés, & videant, illum à me deferri Beato: modò non inferantur etiam privatis precibus, quæ sunt aliàs publicæ & publico Ecclesiæ nomine funduntur, ut sunt Litanie Omnium Sanctorum. Cultus publicus est, qui auctoritate & nomine Ecclesiæ aut Pontificis determinatur, à quo proinde, utpote ab eo, ad quem hæc determinatio unice pertinet ex *Cap. Audivimus. de Reliq. & veneratione Sanctorum*, expectandum est, quid liceat; ut adeò, qui sine Pontificia auctoritate ex proprio motu & pietate, quâ erga certum Beatum fertur, tum in Missa v. g. inferat orationi *Acunctis*, aut de eo faciat Commemorationem, non rectè faciat. Sanch.

l. 2. q. Mor. c. 43. n. 5. Bellarm. *l. 1. de Sanctis. c. 10.* Neusserus *de horis canonicis. D. 7. q. 1. n. 12.* loquens quidem de officio canonico; sed par est ratio de alio quocunque publico cultu. *& alii.* Melius ergo, & Beato, ut non dubito, gratius erit, si quis privatam suam pietatem imperio & sanctionibus Ecclesiæ postponat, velut obediens filius. Quod autem altaria Beatis nondum canonizatis erigantur, non refert; hic enim cultus, etsi publicus sit, ab Ecclesia tamen permittitur & conceditur: à concessis autem ad non concessa non valet argumentum; excepto illo cultu, qui licet in bulla non exprimitur, habet tamen cum concessis aliquam connexionem; & hoc ipso etiam conceditur, ut Neusser. *n. 12.* ex Joanne de S. Thoma docet. Deferatur ergo Beatis cultus, quem deferre licet: Certum enim mihi videtur, Beatis non placere cultum, quem nôrunt ex Ecclesiæ placitis sibi non competere. Sed qualis in hoc admittatur culpa, non satis ab auctoribus exprimitur. Existimem veniali non esse majorem. Granadus putat, esse mortalem; cui ego facile accessero, si loquatur de eo, qui ejusmodi cultum velut publicè retinendum in Ecclesia introducere velit: in hoc enim Doctores conveniunt, grave præceptum esse prohibens, introducere novum, & stabilem cultum sine legitima auctoritate. Et hinc Missa de Beatificatione non potest dici extra ejus diem natalem. Bellarm. & Congregatio Rituum apud Dianam *p. 2. tr. 1. Miscell. R. 55.* id, quod apud eundem *4. p. tr. 4. Miscell. R. 231.* docet etiam Granadus. De quibus videri potest declaratio duplex sacræ Congregationis Rituum, quarum una ap-

probata est ab Innocentio X. 1652. altera ab Alexandro VII. 1660. ut proinde posthac decreta Beatos aliter aut alibi publice, v.g. per celebrationem Missæ colere non liceat, ante quàm sit à Pontifice permissum.

347. *Votum in re levi violavi ter: in re gravi semel.* Res levis sunt v.g. tria, Pater & Ave, Salve Regina, Ave Maris Stella, De profundis &c. Res verò gravis est v.g. Communio, Confessio, Rosarium B. Virginis, Jejunium. Quia autem vota omnia concipiuntur ex eodem motivo colendi DEUM, atque adeò Religionis, omnia sunt ejusdem speciei, nec est necessarium explicare materiam, nisi fortè voti violationi adjungatur aliud peccatum; ut si is, qui die festo vovit audire sacrum: tunc enim & votum & præceptum Ecclesiæ violabit, & duplicem contrahet malitiam contra duas species Religionis, nempe contra Religionem voti, & obligationem præcepti. Tamb. l. 2. c. 1. §. 16. n. 99. & c. 3. §. 2. n. 20. Lugo de Punit. D. 16. f. 5. n. 255. Idem est de eo, qui jejunium in Vigilia alicujus Apostoli præceptum vovit, & non servavit &c. Est autem votum deliberata promissio DEO facta de meliori bono, hoc est, de tali bono, quod non impedit executionem boni illius, quod vovens hîc & nunc possidet. Sic votum de contrahendo matrimonio est nullum, quia impedit statum calibatus, in quo vovens nunc est, & matrimonio secundum se melior. Sic & votum de re indifferenti, v.g. abstinendi à lusu, quamdiu manet in sua indifferentia est nullum: sic votum de homicidio, quale fuit, quod edidit Jephthe, fuit nullum; quia de re mala, quam tanquam DEO

gratam aut placitum promittere, gravis est blasphemia.

348. Voti obligatio est ex suo genere gravis: potest esse levis. I. ex parvitate materiæ, quæ, ut Tamb. l. 3. in Decal. c. 11. §. 2. n. 4. & l. 1. c. 1. §. 3. n. 13. expendit, delimitur, vel I. ex re absolute in se spectatâ, vel ex comparatione ad totum, quod promittitur, vel ex conducentia seu utilitate, quam habet ad finem. II. ex intentione voventis: etsi enim voti obligatio sit naturalis, pendet tamen ea à voluntate hominis, tanquam conditione prævia, ut tantum vel tantum obliget. Unde si homo velit, potest in materia gravi se tantum leviter velle obligare; non tamen vice versâ graviter, si materia sit levis. Unde in interpretatione voti ferè unice attenditur ad mentem voventis tanquam veram & sinceram obligationis Regulam ac normam: non enim aliter, quam sic, & in dubio omnium minimè censetur se voluisse gravare. Quando autem de hac mente non constat, ut sanè saepe non constat, inspicienda imprimis est natura voti: & videndum, qualis ea sit, & inde de gravitate obligationis judicandum. Deinde etiam verba, quibus vovens est usus, sunt consideranda, & juxta eorum communem & frequentem acceptionem judicandum, Quisque enim censetur sua verba menti velle conformare, & juxta morem patriæ proferre. Debet tamen vovens verborum sensum intelligere, aliàs non poterit illum intendere, quæ sanè notitia semper est præsumenda. Palaus D. r. de voto. p. 12. n. 2. & 4. Sanch. l. 4. Mor. c. 11. Laym. l. 4. tr. 4. c. 3. n. 3. & alii.

349. Sed occurrit jam quæstio huic loco,

loco, ut reor, non importuna, quid, si quis vovit abstinere à vino, tandem censendum sit grave, atque adeo ad peccatum mortale constituendum sufficiens. Palaus. *tr. de voto. D. 1. p. 12. n. 21.* Sanch. *c. 12. n. 21.* eam quantitatem assignant, quæ vino moderatè utentibus sufficiat pro prandio: quod etiam Diana. *p. 5. tr. R. 37.* probat: ut ad eò quidquid notabiliter infra hanc quantitatem est, peccati venialis terminos non excedat. Quantum verò illud sit, quod vino moderatè utentibus sufficiat, non explicant: quid si hoc petamus ex Religioforum ædibus? apud hos enim moderatum vini usum in eorum prandiis vigere, mihi est indubitatum: apud hos ergo modicissima comuniter quantitas est, quæ ad mediam mensuram ascendit. Videtur hoc Tamb. *c. 15. §. 16. n. 15.* justò laxius; quasi non parùm sit, & non materia tantùm peccati venialis, quidquid infra est.

350. Sed hoc præter admirationem nihil continet: & perinde est, ac, si quis in genere furti (in quo ponamus nunc tres julios requiri & sufficere ad quantitatem peccati mortalis constituendam) exclamet, contendarumque nimis laxum esse dicere, duos julios cum dimidio esse materiam levem, atque adeo peccati tantùm venialis. Verùm hic scopulus communis est omnibus aliis materiis, in quibus datur peccatum mortale ex gravitate, veniale verò ex levitate. Et is, si ullibi, removendus est in Sacro Confessionis tribunali, in quo cum Confessarius pro tuo officio judicare debeat de gravitate culpæ, necessarium omnino est, ut ipse definiat, quid in similibus materiis magnum sit, quid parvum, ut decerne-

re etiam possit, an pœnitens suus graviter vel tantùm leviter peccaverit. Quod ergo in eo privato & secreto tribunali iudicium ferre licet, cur id non liceat etiam extra? Et ne scrupulis aperiatur viam, non omnia in prudentis arbitrium sunt conjicienda: non enim is semper ad manus erit, cum vel maximè fuerit necessarium. Optandum ergo est, ut in similibus auctores ipsi categoricum & resolutum ferant iudicium, quid ipsi censent. Id quod jam olim etiam optavit P. Simon Felix Magnus in hac nostra Provincia Theologus etiam in Moralibus.

351. Votum quando est absolutum, statim ut editum est, obligat: & quidem si sit negativum, pro quolibet sequenti tempore, juxta capacitatem tamen materiæ: at verò si affirmativum, absque temporis determinatione, implendum est statim, hoc est, quamprimùm commodè fieri potest. Laym. *n. 5.* Tamb. *§. 3. n. 5.* Palaus. *p. 13. n. 4.* aliàs dilatio, si nulla ejus sit justa causa, culpam veniali non carebit: Tamb. *11.* Sanch. *c. 14. n. 21.* modò non sit probabile periculum, votum grave omnino omittendi; & votum ipsum tale sit, ut in ejus dilatione nihil nisi mora temporis appareat, possitque adeo res promissa v.g. jejunium, auditio sacri, peregrinatio, &c. etiam post longam moram adhuc integrè præstari. Quod si autem voto adjicias terminum, id potest dupliciter fieri I. ita ut terminus ille sit ad voti executionem in illum usque diem suspendendam: & tunc ante illum non obligat ad modum voti conditionalis, cui id est simile; nec teneris illum diem prævenire, etsi præ-

Ff 3

videas,

videas, tunc ab impletione voti impediendum: Palus. n.2. Tamb. n.2. *Et alii.* Imò nec si prævenias, tuæ obligationi satisfacis, nisi aliunde constet aliud. II. Terminus præfigi potest ad voti executionem ultra illum non extendendam. Et tunc etsi regulariter non tenearis votum ante implere, potes tamen anticipare. Imò si prævideas, te post illum ab executione voti perpetuò impediendum, etiam teneris. Palus. n.3. Tamb. n.3.

352. Votum conditionale non obligat priùs, quàm conditio, sub qua fit, eveniat, & quidem in sua specifica forma Tamb. §.6. n.4. Palus. p.17. n.5. *Et alii.* Et, si conditio unicè pendeat à voventis arbitrio, potest ea non poni absque ullo peccato, nisi aliunde sit præcepta; tunc enim qui eam non ponit, utique peccat, non quidem contra votum, sed contra præceptum, quo conditio peccaminosa prohibetur; v.g. qui vovet ingressum Religionis, si intra totum annum non fornicetur, non tenetur voto, si fornicetur; peccat tamen nihilominus non quidem contra votum, sed contra naturale præceptum de non fornicando: quia verò hæc vota ut plurimum sunt impeditiva melioris boni, idcirco non obligant. Quod si autem conditionis positio alterius arbitrio commissa sit, adhuc impediti potest; modò vis, fraus, dolus, metus non interveniat. Et ideo si vovisti religionem, si pater non contradixerit; poteris bonis artibus v.g. precibus non importunis &c. hunc consensum impedire: si autem ad hoc fraudibus & dolis fueris usus, à voto non eris liber, etsi pater non consenserit: ut ergo tutus sis, necesse est, ut

dolum, fraudem &c. tollas & patrem in sua contradicendi libertate constituas.

353. Huc spectat votum pœnale, cum res promittitur in pœnam seu vindictam delicti, si fortè committatur: quod duplici modo fieri potest, vel I. ita, ut solum pœna voveatur, non autem evitatio delicti: ut, voveo jejunium, si blasphemavero: & hoc est votum simplex pœnale; nec, qui eo obstrictus blasphemat peccat contra votum, sed quia conditio purificata est, voto tenetur ad eam pœnam subeundam, & si non subeat, tum demum violat votum. II. Ut tam evitacionem delicti, quàm etiam pœnam ipsam in eventum delicti voveat: ut, si voveat, (ex honesto fine) non ludere, & si luserit, jejunium: & hoc votum est duplex, unum absolutum non ludendi, alterum conditionatum de jejunio in eventum lusûs: & ideo si ludat, peccat contra votum absolutum, & quia conditio est impleta, ad pœnam præstandam tenetur; quam proinde si non præster, denuo peccat. Ceterum pœna, si sit moderata, & quæ soleat repeti, toties solvenda est, quoties votum violatur: si autem pœna sit extraordinaria, & quæ non soleat repeti, pro prima tantum transgressione subeunda est: hæc enim, nisi aliud expressè constet, videtur esse mens voventis. Tamb. §.7. n.2. Palus. p.18. n.6. *Et alii.* Si quis autem, dum votum pœnale transgreditur, à culpa excusetur, quacunque de causa; pœna non erit reus: ubi enim nulla culpa est, nulla etiam pœna debetur. Tamb. n.4. Palus. n.3. imò nec pœna reus eris, si dum transgredieris votum, illius non sis memor. Laym. c.5. n.3. Palus. n.3. Tamb.

Tamb. n. 4. §. l. i. c. 2. §. 10. n. 19. §. 25.

354. Ceterum voti obligatio cessat, etsi nullius, eam auferentis, auctoritas intercedat. I. si finis, ob quem editum est, unicus & adæquatus & motivus cesser, aut non obtineatur; cessante enim causa etiam effectum cessare necesse est. II. si materia illius reddatur incapax obligationis vel tota; vel si sit divisibilis & communiter dividi solet, atque etiam divisibiliter sit promissa; tunc enim saltem pars illa, quæ reddita est inepta, amplius non ligat; ligat verò illa, quæ est apta: non enim utile vitari debet per inutile, juxta *Cap. Utile, de Reg. juris in 6.* III. si terminus, qui executioni voti præfixus est, sit lapsus, siquidem designatus is sit ad obligationem finiendam, non merè differendam, de quo n. 351.

355. Quodsi verò jam voti obligatio tollatur alicujus auctoritate, id sit irritatione, dispensatione, & commutatione, qui modi ab aliis fusè expenduntur. Notandum non est, diu illis immorari; pauca & quæ frequentius occurrere possunt, producere lubet. Itaque vota ab impuberibus edita irritari possunt à patre, & hoc deficiente, à tutore, aut alio, qui pupillo ex juris dispositione in vicem patris est: & hoc etiam longo tempore post annos impubertatis Laym. c. 7. n. 6. Palau. D. 2. p. 8. n. 2. Tamb. c. 16. §. 3. n. 9. Bonac. de prac. D. 4. q. 2. p. 7. §. 2. n. 18. §. alii. modò post eos annos non fuerint obligatorie ratificata; ad quod non sufficit, voluntas ea vota exequendi, nec ipsa eorum executio, nec eorundem etiam frequentissima repetitio: sed

ex parte quidem voventis requiritur, ut sui illius voti debilitatem probè nòrit, & ea non obstante nihilominus se de novo obliget, ac si nunquam fuisset obligatus: vel certè ut, si eam sui voti debilitatem ignoret, intendat illud nihilominus confirmare eo eventu, quo invalidum esset. Tamb. n. 57. §. segg. Bonac. p. 1. n. 16. Nec vota semel irritata reviviscunt: quod intellige de irritatione directà: per hanc enim voti obligatio omnino tollitur: obligatio autem semel sublata non reviviscit. L. Cum ex causa. C. de remiss. pignorum. Bonac. n. 36. §. alii.

356. Qui dispensat in voto, debet habere justam causam: DEUS enim, cujus nomine aut auctoritate fit dispensatio, non approbat eam, nec acceptat, si temerè & sine causa fiat. Est enim aliàs dissipatio & dissolutio, quæ DEO non potest esse grata. Non est autem necesse, ut de sufficientia causæ evidentè constet, (tunc enim non est opus dispensatione, cum voti obligatio tunc per se cesser, sine ulla alterius auctoritate interveniente) sed sufficit, si bonà fide de ea constet, etsi postea deprehendatur esse insufficientis. Tamb. §. 4. n. 14. Sanch. l. 4. Mor. c. 45. n. 10. §. alii. ad conciliandam autem causæ sufficientiam plurimum conducet videre: an votum fiat cum imperfecta deliberatione, quæ ortum habere potest ex ætatis teneritudine, tristitià, metu, aut alià passione mentem perturbante, & voluntarium minuente; item ex facilitate voventis, quod tæminis solet esse proprium. Huc spectat, si notabilis aliqua difficultas, etià prævisa, superveniat. Tamb. n. 24. si dubium oriatur de intentione se obligandi.

Tamb.

Tamb. *l.c.* Palaus, p. 9. n. 11. Sanch. n. 39. si executio voti cedat in damnum temporale proprium ipsius voventis, vel alienum reipublicæ, vel propriæ domus & familiae. Laym. *l.c.* Tambur. n. 19. Palaus. n. 15. & 16. imò si spectetur major aliqua spiritualis utilitas voventi per concessam dispensationem obventura. Tamb. n. 22. aut, si vovens in executione voti multis scrupulis vexetur: hoc enim est damnum spirituale, cui pium est succurrere. Tamb. n. 23. Si causa dispensationis sit gravis, tum ea danda est absolute: sicut & si plures leves ad constituendam unam gravem concurrant: si secus, admittenda est commutatio. Minor tamen requiritur & sufficit ad dispensandum in tempore exequendi votum, aut circa aliam ejus circumstantiam, quam ad omnino dispensandum in voto. Hinc illi, qui vovit peregrinationem in cilicio, in pane & aqua &c. ex minori causa possunt eæ circumstantiæ tolli, quam ipsa peregrinatio promissa sub illis circumstantiis.

357. Præterea dispensaturus in voto debet habere legitimam potestatem, & jurisdictionem: qualem & quidem ordinariam habent Papa in omnes fideles: Episcopus, etiam non consecratus, in suos diæcesanos: Capitulum sede vacante: Legatus Pontificis in sua provincia: pœnitentiarius summi Pontificis: Prælati Ordinum exemptorum Tamb. §. 4. n. 4. & quidem, ut Tamb. n. 7. notat, etiam respectu Novitiorum circa vota, tam in sæculo, quam in Novitiatu edita. Quinam habeant delegatam in votis dispensandi facultatem, & quantam, noverint illi ipsi, qui eam habent. Certum

est, Parochos nec dispensandi vota, nec commutandi juramenta habere potestatem: cum eam illis consuetudo nondum concesserit, ut concessit circa festa & jejunia. Tamb. *l.c.* Palaus p. 9. n. 1. Sanch. c. 38. n. 25. & l. 8. de Matrim. D. 9. n. 27. & alii: multò minùs eam habet simplex Sacerdos, Sanch. *ll. cc.* aut Abbatissæ respectu suarum monialium. Tamb. n. 9. Sanch. *cit. l. 4. c. 39. n. 7.* idque ob defectum spiritualis jurisdictionis.

358. Sed enim & hoc certum est, omnibus, Papâ inferioribus, quinque vota esse reservata, ita ut in iis solus Papa, si quidem facilis ad eum sit accessus, possit dispensare. Si enim ipse adiri non possit nisi difficulter, & causæ extraordinariæ sint, quæ urgeant hoc remedium, & moram non patiantur: poterit Episcopus ex præsumpta Pontificis voluntate dispensare: bonum enim Ecclesiæ regimen postulat, ut in ejusmodi extraordinariis eventibus sit, qui remedium adferre possit. Tamb. §. 4. n. 37. Uti & ille, cui quandoque extraordinaria in iisdem votis, saltem quibusdam, dispensandi potestas conceditur, ut in Jubilæis solet respectu trium peregrinationum. Reservata autem sunt tres peregrinationes, Romana ad limina Apostolorum, Compostellana ad S. Jacobum, & Jerosolymitana ad visitandum Domini sepulchrum; votum item Castitatis & Religionis. Quia verò reservatio odiosa est, erit strictæ interpretationis, ita ut memorata modò vota tunc tantùm censeantur reservata, cum strictè sunt talia. Palaus. p. 11. n. 1. & alii. Qualia sunt I. si sint *absoluta*: Hinc conditionalia

v. g.

v.g. si voveo religionem, si è naufragio evasero &c. reservationi non subjacent, non tantum, ut Palaus. p. 12. n. 13. Tamb. n. 31. & alii docent, ante, sed etiam post conditionem impletam, Tamb. *ibid.* Palaus. n. 15. Idem est, si votum sit disjunctivum de materia reservata, & non reservata: ut si voveas religionem, aut quavis feriâ sextâ jejunare. Palaus. n. 6. Tamb. n. 30. quod locum habet, etsi pars non reservata reddita sit impossibilis. Palaus. Tamb. ll. cc. vel etiam pars reservata fuerit electa, sine novo tamen voto. Tamb. n. 31. & alii. Idem de voto pœnali in materia reservata. Palaus. n. 15. Tamb. l. c. II. si sint perfecta. id est, si totam materiam intra terminos illius objecti complectantur. Hinc reservata non sunt vota castitatis temporalis, non fornicandi, non contrahendi matrimonium, non se polluendi, non petendi debitum conjugale, &c. Sanch. c. 20. à n. 48. Palaus. n. 1. votum item virginitatis, intelligendo solum corporis integritatem, in qua virginitas consistit: item votum de voto castitatis faciendo, aut de factis ordinibus suscipiendis. Palaus. l. c. III. si non modificata. Hinc votum nudis pedibus visitandi limina Apostolorum, non est reservatum quoad hunc modum adjectum: sicut nec votum determinatæ Religionis v.g. Franciscanorum, Carmelitarum &c. quia determinatio hujus Religionis in particulati ad votum Religionis ut sic, quod est reservatum, revocari potest potiùs ad modum seu circumstantiam accidentalem, quàm ad ipsam Religionis in communi substantiam. Quod bene notandum est: potest enim servire multis, qui postquam fecerunt

R. P. Stoz. Trib. Pœnit.

votum Religionis determinatæ, deinde verò ab eo libenter essent liberi: possunt enim hi dispensari, quoad hunc modum, ut ab eo quidem sint liberi, voto tamen interim Religionis in communi sint & maneant obstricti. Præterea Religio debet esse approbata. Palaus. p. 11. n. 3. Sanch. n. 71. IV. si sint certa, id est, de eorum valore nullum sit dubium: si enim dubium sit (undecunque tandem id oriatur) an votum sit emissum, absolute, an sub conditione, an cum sufficienti libertate aut noticia, quæ, qualis, & quanta esset voti obligatio? gravis an levis? cessat reservatio. Tamb. in Decal. l. 1. c. 3. §. 7. V. votum n. 15. sicut & si quis ad materiam reservatam voluisset se solum sub peccato veniali obligare. Palaus. n. 2.

359. Commutatio voti potest fieri vel in opus melius ac perfectius, vel in opus æquale, vel minus. In mensuranda æqualitate non est attendendum, quid in se melius, sed quid omnibus consideratis DEO sit gratius: sæpe enim opus in se melius est, non tamen DEO in præsentii gratius: talis est oratio respectu jejunii, eleemosynæ &c. unde jejuniio per votum promisso non rectè semper substituitur oratio, præsertim modica. Sanc. c. 56. n. 6. Bonac. de voto. D. 4. q. 2. p. 7. §. 3. n. 4. alii. sufficit autem, ne via scrupulis aperiatur, si opus bonâ fide judicetur esse æquale voto. Qui tamen aliquam praxin æqualitatis in commutatione votorum servandæ desiderat, eam exhibet Tamb. l. 3. in Decal. c. 16. §. 6. voto, & Sanch. à n. 1.

360. Possunt vota commutare omnes illi, qui habent potestatem, etiam delegatam

Gg gatam

gatam tantum, in iis dispensandi. Palaus p. 14. n. 4. & T. 4. tr. 25. p. 10. n. 3. Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 2. cui enim licet, quod est plus, licet utique, quod est minus. juxta Reg. 53. de Reg. juris in 6. in eodem nempe genere: plus autem est tollere voti obligationem dispensando, quam commutando. Vota tamen ipsa non debent esse reservata: tunc enim à solo reservante, vel ejus, si quem habet, superiore, vel alio habente ab ipso potestatem commutari possunt. Nec si in favorem & utilitatem tertii edita sint, ab eoque acceptata, possunt amplius, nisi bonum publicum aliud exigit, commutari; nisi ipso in cujus favorem sunt edita, consentiente: non enim huic semper gratius est, quod est melius: adeoque jus, quod illi per acceptationem acquisitum est, servandum est integrum.

361. Quando verò votum mutatur in opus melius, id est quilibet propria auctoritate. Sanch. c. 49. n. 4. Palaus de voto D. 2. p. 15. n. 2. Laym. n. 19. Tamb. §. 5. n. 3. DEO enim majus bonum est gratius, & ideo illud loco minoris acceptat. Nec ulla ad hoc opus est causa. Imò etiam quisque privatâ suâ auctoritate potest votum suum mutare in æquale: quia DEUM in opere æquè bono acceptando non esse invitum, ut credamus, ejus benignitas suadet. Tamb. n. 14. Bonac. n. 8. & alii: neque hîc opus est magnâ causâ; sufficere vel sola spes (quæ tanè nunquam deerit,) fore, ut vovens materiam subrogatam promptius, alacrius, aut cum majori devotione exequatur. Si denique fiat commutatio in opus notabiliter minus, intervenire debet aliqua dispensatio: ac proinde etiam fieri

non potest, nisi ab habente potestatem dispensandi, nec, nisi causa, quæ ad dispensandum sufficiat, adsit: alioqui ut dispensatio, ut n. 356. dictum est, ita & commutatio est nulla.

362. Quandoque vota commutantur in aliam materiam, absque ullius auctoritate interveniente: possunt enim ex speciali prærogativa Pontificis in Religionis approbata ingressum mutari omnia vota antecedentia tam realia, quam personalia. Laym. Palaus. l. cc. Tamb. n. 4. Sanch. c. 52. n. 6. & quidem, si ingressus hic fiat per solennem professionem, vi ipsius juris saltem Ecclesiastici, sine alio novo profitentis actu, Sanch. l. 5. c. 5. n. 38. vel, si fiat per vota simplicia, ut fit in Societate JESU, vi novæ voluntatis habitæ ab ipsomet ingrediente Religionem. Sanch. n. 96. quali etiam opus erit, si fiat hæc mutatio in simplicem, (qui per Novitiatum fit) ingressum in Religionem approbatam; in hunc enim mutari posse vota indicat. Tamb. l. c. & colligitur, ex cap. scriptura de Voto, etsi sint reservata. Sanch. l. 4. c. 16. n. 23.

363. Factâ autem per legitimam jurisdictionem commutatione, prioris voti obligatio omnino extinguitur, & oritur nova, ita ut materia subrogata etiam vi voti sit executioni mandanda: & quidem sub eadem culpa, sub qua prior erat præstanda. Sanch. c. 55. n. 2. Estne autem etiam posterior materia summo Pontifici reservata, si prior fuit? Palaus p. 11. n. 5. Tamb. §. 4. n. 34. Sanch. c. 40. n. 46. & alii docent, non esse: id enim, quod dici solet, subrogatum induere naturam illius, cujus loco substituitur, non habet locum

locum in odiosis. Sed quid? si materia posterior facta sit voventi inutilis aut impossibilis? an reviviscet prioris voti obligatio? non reviviscere, docent Sanch. n. 15. Laym. n. 28. Palaus. p. 18. n. 2. & alii: obligatio enim semel extincta non reviviscit juxta *L. cum ex causa C. de remiss. pignor.* & *L. qui res, §. arcam. ff. de solution.* Et gratis asseritur, commutationem fieri sub conditione redeundi ad antiquam obligationem, si vovens novam materiam subrogatam non exequatur. Voti tamen posterioris materia subrogata potest rursus commutari in aliam, nisi forte potestas commutandi limitata sit ad unam tantum vicem. Sanch. c. 54. n. 24. Et si quis à materia subrogata velit redire ad priorem, poterit id facere, etiam cum materia substituta fuit melior. Laym. n. 27. Sanch. 55. n. 26. & l. 8. de Matrim. D. 9. n. 21. Palaus. n. 8. & 10. Tamb. §. 7. n. 4. alii. etsi enim prius votum per commutationem omnino extingatur, ex benigno tamen & interpretativo DEI, qui est creditor voti, consensu, & ut fideles ad vovendum alliciantur, præsumimus, DEUM hanc nobis libertatem dedisse, & quidem ita, ut licet in alia & alia opera facta fuisset hæc commutatio, adhuc in nostro arbitrio esset, hanc vel illam ex pluribus materiis subrogatis amplecti. Tamb. l. c. Less. l. 2. c. 40. d. 16. n. 111. Palaus. n. 11. nisi forte vovens cesserit huic juri, quod fecisse censetur, si priorem materiam novo voto promisit, vel usui commutationis renuntiavit. Palaus. l. c.

364. *Juramentum, quod servare tenebar, non servavi, in re gravi semel. vel in re levi bis.* Sermo est de juramento

promissorio de re licita: si enim sit de re illicita, utique non obligat ad sui executionem juxta dicta n. 188. Fit autem juramentum promissorium vel I. soli DEO, & voto æquiparatur: vocaturque *pium*, vel II. in utilitatem ipsius hominis, & est promissio humana sub invocatione testimonii Divini, diciturque *non pium*. Materia juramenti pii est eadem, quæ voti: & ideo debet esse possibilis, licita, & honesta, & melioris boni non impeditiva. Tamb. l. 3. in Dec. c. 3. §. 3. n. 7. Juramenti promissorii non pii principaliter in ipsius hominis utilitatem facti materia est, quæcunque sine peccato potest executioni mandari. Tambur. n. 11.

365. Juramentum promissorium licitum ex natura sua parit obligationem, ut habet communis & certa sententia, eamque ex suo genere gravem; levem ex parvitate materiæ; ut si jures, te recitaturum salutationem angelicam. Imò sæpe omnino non ligat, ut pluribus exemplis monstrat. Sanch. l. 3. Mor. c. 11. n. 16. Sunt verò juramenta promissoria pia omnia, ut n. 347. de votis dictum est, ejusdem speciei, nisi sint de re aliunde etiam v. g. ex Voto, præcepto &c. obligatoria: si enim sint, plures erunt malitiæ speciei diversæ pro specifica obligationum diversitate, ac proinde etiam specialiter in Confessione aperiendæ: ut si quis vovisset, & jurasset die festo audire sacrum.

366. De tempore, quo incipit obligare juramentum, eodem modo sentiendum est, ut supra de voto. n. 351. sed neque de juramenti duratione, seu modo, quo solius temporis lapsu cessat ejusdem obligatio, aliud quam de voto tenendum

nendum est: est enim quoad utrumque hoc punctum eadem juramenti & voti ratio.

367. Sed & juramenti obligatio, etsi nullius interveniat auctoritas, cessat adhuc variis modis. I. Si res, quæ tempore juramenti editi fuit bona, successu temporis fiat illicita, vana, indifferens, impeditoria majoris boni, ad finem intentum inutilis, vel ejusdem potius destructiva &c. II. si res jurata non maneat in eodem statu, sed notabiliter mutetur: modò hæc mutatio non sit prævisa: si enim prævisa sit, juramentum adhuc valebit. Hinc qui juravit dare elemosynam magnam, ad eam non tenetur, si ipse fiat pauper: nec qui juravit puellæ, se eam ducturum, tenetur, si illa fiat leprosa, si fornicetur &c. rebus enim notabiliter mutatis, nec promissio amplius valet, consequenter nec juramentum, quod illi adjungitur. III. Si causa motiva adæquata & unica cesserit: si enim solùm causa impulsiva cesserit, manet juramenti obligatio; sicut & tunc, cum ex pluribus causis adæquatis una duntaxat cesserit, & istæ plures causæ per modum plurium sint intentæ: si enim indivisibiliter per modum unius omnes intentæ sint, tum vel unâ tantùm deficiente cessat juramentum obligare. IV. Si ita ferant conditiones, quæ in quolibet juramento promissorio tacitè ex natura ipsa, vel Juris dispositione, vel Doctorum consensu subintelliguntur, quales sunt: *si potero: salvo jure & auctoritate Superioris: manente re in eodem statu.*

368. Quod si verò ad juramenti cessationem concurrat alicujus auctoritas, ea

fit irritando, dispensando, seu potius relaxando, & demum etiam commutando. Juramenta non pia irritare possunt, quorum potestati seu jurisdictioni materia jurata subjecta est. Si verò sint pia, & soli DEO facta, possunt irritari ab omnibus, qui vota possunt irritare; si verò eadem minùs principaliter, & secundariò fiant etiam in gratiam hominis, possunt adhuc ab iisdem irritari, si vel versentur circa materiam eorum potestati subjectam (ita enim deciditur in *Cap. venie. no. de jurejur.*) vel circa contractum, vel promissionem, quæ Dominativa Prælati, Patris, Tutoris &c. potestate infirmari potest: juramentum enim sequitur naturam & conditiones actûs, cui apponitur.

369. Omnia juramenta pia possunt dispensari: quia eadem illorum cum votis est ratio. At verò si sint non pia, non possunt, si sint acceptata: quia nemo potest suo jure, quod acquisivit juramentum acceptando, privari, nisi bonum publicum aliud exigat: vel injuria præcesserit: ut si latroni jures dare pecuniam ad vitam conservandam. Imò si nondum sint acceptata, possunt, etsi coram testibus fiant, relaxari: tunc enim solius Religionis vinculum adest, quod ex causa solvi potest. *Tamb. c. 7. §. 3. n. 3.*

370. Potest autem Pontifex omnia omnium fidelium juramenta dispensare, modò in ea cadat dispensatio: qualia etiam sunt, quæ principaliter fiunt DEO; etsi minùs principaliter fiunt etiam homini: si enim principaliter fiant in utilitatem hominis, & hic ea acceptando acquisivit verum jus in rem juratam, nec Pontifex dispensat, nisi salus animæ, aut bonum

bonum publicum exigat. Reliqui verò Papâ inferiores, qui vel ordinariam, vel delegatam potestatem habent (ii verò sunt omnes, quos supra in votis dispensare posse, dixi n. 357.) possunt eorum duntaxat, in quos potestatem habent, juramenta dispensare, cum limitatione tamen paulò antè addita; & exceptis præterea juramentis Papæ specialiter reservatis, qualia sunt, quæ sunt circa materiam, quæ si voto promissa esset, Papæ esset reservata; nempe approbata Religio, castitas absoluta & perpetua, peregrinatio triplex, Compostellana, Jerosolymitana & Romana ad Limina Apostolorum. Circa quæ tamen juramenta

371. Notandum est, juramenti obligationem posse separari ab obligatione voti (vota enim communiter fiunt sine juramento) posse etiam conjungi, & si pia sint juramenta, regulariter conjungi: ea enim juramenta regulariter non fiunt sine promissione: promissio verò in materia Religiosa ordinariè fit DEO, & ideo est votum. Ad hoc autem dignoscendum spectanda præcipuè intentio jurantis. Vel enim tale opus intendit intuitu cultûs Divini; vel ut voluntatem suam in eo proposito ex alia occasione concepto firmet. Si illud, est votum: si istud, juramentum tantum. In dubio præsumendum est pro voto: quia in tali materia frequentius sic evenire solet. Quando ergo ea obligationes, juramenti & voti, in materiâ reservatâ conjunguntur, juramentum est Papæ reservatum: & tam illius, quàm voti obligatio suam retinet rationem: & ideo si votum juratum violetur, dupliciter peccatur contra Religionem: sunt enim duæ rationes specie distinctæ; unde etiam utraque

specialiter in confessione est aperienda. Quodsi autem eæ obligationes separantur; & juramento jungatur, non votum, sed simplex & nudum propositum rem faciendi, simplex etiam erit vinculum: & licet sit circa materiam aliâs Papæ reservatam, ipsum tamen non est reservatum: est enim reservatio odiosa, & ad alios casus non expressos, vel ad aliud vinculum diversum non extendenda. Tamb. n. 7. qui postea n. sequenti addit, juramenta pia per se stantia, id est, quæ sunt absque voto, posse dispensari ab habentibus potestatem dispensandi in votis: sunt enim ea juramenta votis affinia, & in communi loquendi modo habentur ut vota, & ideo, qui dat potestatem solvendi unum, censetur dare potestatem solvendi etiam alterum.

372. Eodem modo possunt dispensari juramenta principaliter in obsequium DEI facta, licet minus principaliter ob utilitatem hominis: sive is ea acceptaverit, ut ex Fagund. T. 1. in Dec. l. 2. c. 49. n. 10. docet Tamb. c. 17. n. 15. sive non; ante acceptationem enim homo in eam rem nullum habet jus acquisitum.

373. Ceterum ut dispensatio juramenti sit valida, requiritur causa justa. Est enim dispensatio actus jurisdictionis, quem dispensans nomine DEI exercet: DEUS autem dispensationem sine justa causa factam non acceptat; nec ad eam dedit licentiam. Si juramenta sint pia, requiruntur eadem causæ ad eorum validam dispensationem, quæ ad voti dispensationem requiruntur. Si autem juramenta sint non pia, causæ ea relaxandi sunt ferme hæ. I. Si ex parte extorquentis juramentum sit turpitudine, injuria &c. II. Si temerè, inconsideratè, ex passione

iræ &c. fiant. III. Si dubium sit, an juramentum valeat? an cedat in præjudicium tertii? an ex ejus observatione nascatur occasio peccandi? si enim certum sit, tale periculum nasciturum, non est opus relaxatione: per se enim cessat. Tamb. c. 7 §. 2. n. 16.

374. Juramenta pia cessant per commutationem ob eandem causam, eodem modo in substitutione materiæ, ut vota. Non pia autem principaliter homini facta in ea forma specifica, quæ res jurata est, servanda sunt; cum illi bonum æquale, vel etiam majus sæpe non sit æquæ gratum. Illud hic singulariter

375. Notandum est, materiam, in quam juramentum commutatum est, non esse præstandam sub eodem vinculo juramenti, Tamb. §. 5. n. 1. Res enim substituta nec jurata est, nec sub novo, ut pono, juramento acceptata. Aliud est in voto: nam hoc ipso, quod quis materiam acceptet, censetur eam DEO promittere, atque adeo consentire, ut vinculum prioris voti transferatur in materiam substitutam, quod in juramento non ita se habet: non enim continuo, quod quis promittat aliquid facere, censetur id sub juramento promittere, ut constat. Teneatur ergo solum ex pacto, quoad rem illam materiæ juratæ substitutam consensit. Et ideo si res subrogata sit gravis, peccabit graviter: si levis, leviter.

376. Cessat juramentum etiam remissione; tunc nimirum, cum homo, in cujus favorem principaliter factum est, vel remittit obligationem, vel promissionem non acceptat; quod quemlibet face-re posse, etiam sine causa, docet Tamb. §. 2. n. 1. promissio enim etiam jurata ha-

ber hanc tacitam conditionem: si alter velit acceptare. Imò si quis aliquid juret principaliter in suum ipsius commodum, v. g. se, cum pauper sit, petiturum à divite eleemosynam &c. potest sibi ipse hoc juramentum remittere: si enim recipiens alienum juramentum in suam utilitatem factum potest remittere, cur non idem etiam possit recipiens proprium juramentum. Tamb. n. 5. Certè Palau ait T. 2. tr. 13. D. 2. p. 17. §. 2. juramentum de non vendendo minoris posse remitti ab ipso meto jurante, quando in suam ipsius propriam utilitatem est editum: cur ergo & alia similia juramenta non possint ab eodem remitti? Notent hoc mercatores, & similes alii, quibus nihil familiarius est, quam ut jurent, mercem viliori pretio à se vendi non posse.

377. Ad hæc potest juramenti obligatio benignè aliquà interpretatione mitigari: quæ quidem, quantum materia subiecta, vel verborum usus aut proprietas permittit, strictè faciendæ est per *L. quidquid adstringendæ. ff. de verbor. obligat.* In ea autem faciendæ I. mens seu intentio jurantis est attendenda: cum enim juramenti obligatio liberè assumatur, non est ultra jurantis intentionem extendenda. Unde qui fecit juramentum non ludendi, nihil cogitans, an lusus sit moderatus, vel non; potest moderatè ludere; nemo enim, nisi aliud expressè intendat, censetur velle sibi moderatum lulum prohibere. II. Si de mente jurantis non constet, præsumendum est juxta id, quod verba juxta communem usum significant, vel materia jurata permittit vel exigit. Unde qui juravit ingredi Religionem, famulari in hospitali &c. potest ingredi quam-

quamcunque etiam minùs strictam, modò approbatam, non tamen tantùm per paucos dies &c. Laym. l.4. tr.4. c.3. n.1. Palauus T.3. tr.14. D.2. p.14. n.1. alii. III. Restrìgendum est juramentum juxta naturam actùs, cui adjungitur: accessorium enim sequitur suum principale juxta Reg. juris. 42. in 6. Unde juramentum sortitur omnes conditiones, vel restrictiões, quas propositum, aut promissio, cui adjungitur, habet vel ex loquentis mente, vel juris dispositione, vel legitima consuetudine. Hinc qui jurat non expellere conductorem domùs, vel agri &c. potest eum expellere, si biennio solutionem pensionis non præstat: juris enim dispositione potest expelli conductor, si eo tempore non pendat, quod debet. IV. Juramentum non censetur fieri in præjudicium tertii: Hinc qui juravit alteri secretum, potest, si videat id aliis nociturum, revelare iis, qui prodesse possunt. Tamb. n.7. & 8. Palauus n.28.

378. *Officium horarum Canonicarum omisi totum semel: vel: notabilem ejus partem: vel, quod Lugo de Pœnit. D.16. n. 547. Dian. p. 2. tr.12. R. 23. & alii plures ab isto relati tradunt, brevissimè: Omissione Divini Officii peccavi mortaliter bis: quia totalitas est circumstantia tantùm aggravans intra eandem speciem: ac proinde non est necessariò confitenda, juxta p.1. n.86.*

379. Esse autem obligationem recitandi horas canonicas, etiam privatim, constat ex continua praxi Ecclesiæ, & communi sensu omnium Doctorum. Est que ea I. gravis sub peccato mortali: materia enim est gravis. Et licet lex humana possit, ut suppono, etiam cum materia

gravis est, tantùm leviter obligare; gravitas tamen obligationis in præfenti colligitur potissimùm ex Clement. 1. de celebrat. Missar. juxta quam omittens Officium Divinum excommunicari potest; quæ pœna ut culpam, ita & obligationem gravem supponit. Cap. nemo Episcopos. m.11. q.3. Et licet Clementina videatur potius ad publicam Divini Officii recitationem in choro apud Ecclesias Cathedrales & Collegiatas spectare, nihilominus tamen eam etiam ad privatam recitationem pertinere, jam pridem explicavit consuetudo, quæ sanè sola, si cætera desint omnia, sufficit ad gravem obligationem introducendam; vel certè ad ostendendum, eam esse introductam.

380. Excusare tamen potest justa causa, de qua infra: & levitas materiæ: in qua assignanda alii sunt nimis laxi, alii nimis rigidi, alii demum benigni & clementes. Omnium laxissimi sunt Richardus & Angelus, qui dicuntur à peccato mortali excusare illos, qui bis vel ter intra annum omittunt Divinum Officium: si non fiat ex contemptu vel consuetudine. Sed hi non sunt audiendi: si enim omissio illius officii semel non est gravis, nunquam erit gravis: neque enim parvitas materiæ defumenda est ex ordine ad totum annum: aliàs etiam semel vel iterum omittere sacrum die festo, aut comedere carnes in Quadragesima non erit grave. Aliquid his concedi posset, si obligatio recitandi horas, audiendi sacrum diebus festis &c. attingeret totum annum & singulos illius dies indivisibiliter per modum unius, tum enim verò tolerari posset, modicum quid esse, semel vel bis vel etiam sæpiùs intra anni spatium horas omittere. Sed singulis die-

diebus suas singulas obligationes seorsim per modum plurium respondere, dicitur paulò pòst. His alii sunt minùs laxi, nempe Marchinus, & Marchantius, quorum ille apud Dianam 6.p. tr.6. R.6. iste verò apud eundem 7.p. tr.10. R.15. putant, unam ex parvis horis esse materiam levem: quibus consentit in omnem ferè laxitatem projectus Caramuel in Reg. S. Benedicti D.21. n.1408. Sed hanc sententiam innumerati auctores, ut ait Tamb. l.2. in Deca' c.5. §.2. n.11. rejiciunt, & specialiter valde exagitat Pasqualigus in 99. Canon. cent.1. q.29. improbatque sacra Congregatio Indicis apud Dian.p.11. tr.1. R.25. cuius decreto omnino standum est.

381. Alii sunt justò rigidiores, si nimirum, qui dicunt, materiam gravis seu mortalis peccati esse, si quis omittat, vel I. totum principium unius horæ usque ad finem ferè primi psalmi, ut Navar. c.10. de orat. n.44. imò in Man. c.25. n.98. ad eam minus sufficere indicat his verbis: *omittere parvam partem, putà unam dictionem, aut partem versus, etiam sine voluntate repetendi, non est plus quam veniale: quasi omittere aliquid ultra, sit peccato veniali majus.* vel II. decimam partem, ut Moneta apud Bonac. de horis D.1. q.5. p.1. n.2. vel III. tertiam partem alicujus horæ, ut Azor apud Bonac. de horis D.1. q.5. p.1. n.2. vel IV. medietatem illius, ut Reginald. l.18. n.143. Fill. tr.23. n.246.

382. Alii denique benigniores sunt, & medium tenent, dum docent, unam parvam horam esse materiam sufficientem ad committendum in hac re peccatum mortale. Et hi sunt Less. l.2. c.37. d.9. n.52. Bonac. l.c. Tamb. l.2. Dec. c.5. §.2.

n.10. Gavant. in Rubric. Breviar. fr. c.5. tit.1. n.4. & quem Diana p.4. tr.4. R.216. refert Bonartius c.19. n.12. non enim vero simile est, Ecclesiam piam matrem perpetuis gehennæ ignibus subjicere illum, qui leviozem partem omittit. Certè scopus Ecclesiæ est, per suas leges animas suavi modo ad Christum ducere: non autem illaqueare eas nimia præceptorum austeritate. Et hæc est sententia in praxi tuta, & tenenda; & meliori jure humaniorem vocare possumus, quàm Angelus suam ita indigitaverit. Qui ergo minus omittit, quàm totam parvam horam, non peccat mortaliter. Nomine verò parvæ horæ veniunt omnes præter Matutinum cum Laudibus. Ne autem quis existimet, ipsam horam parvam omittendam esse, ut peccatum mortale committatur, adeò ut quantumcunque sit, quod ex reliquo officio sparsum & per intervalla omittitur, sit peccatum tantum veniale, (hoc enim esset nimis ridiculum) sciendum est, etiam illum peccare mortaliter, qui interruptim in toto officio omittit tantum, quantum æquat unam integram parvam horam. Tamb. l.c. quia partes diversæ spectantes ad unum ejusdem diei officium coalescunt in unum, & conficiunt tandem notabilem quantitatem, seu æquivalentem uni horæ.

383. Faceffunt hîc negotium Vesperæ Sabbathi sancti: reum enim peccati mortalis facere illum, qui eas omittit, videtur esse durum, propter nimiam earum parvitatem. Sed Theologi communiter adhuc censent, etiam has esse materiam sufficientem ad peccatum mortale: quia etsi ratione quantitatis non sint magnæ, sunt tamen magnæ ratione qualitatis, quatenus

tenus sunt Hora ob certum mysterium certo tempore præscripta. His tamen non obstantibus peccati mortalis damna- re illum, qui eas omittit, non audeo Tamb. n. 11. non tantum propter extraordina- riam parvitatem, sed etiam, quod propter diem illum tantæ lætitiæ & indulgentiæ, & aliâs prolixas, quæ eo die in Ecclesia præcesserunt, preces, finis & præceptum orandi graviter non videatur lædi. Sed redeamus jam ad reliqua, quæ ad obliga- tionem Officii Divini spectant.

384. Est ergo ea obligatio II. quoti- diana, id est, quæ quolibet per annum die, nullo excepto vigeat, urgeatque, adeo ut peccet mortaliter, qui vel uno die omiserit Officium Divinum, vel notabilem ejus partem. Nec tolerandi sunt, qui apud Reginald. n. 143. ausi sunt dicere, omissionem talem non esse pecca- tum mortale, nisi fiat ex contemptu vel consuetudine. Est enim Officium Can- onicum in se spectatum res gravis: præ- ceptum autem de re gravi (nisi aliud de mente Legislatoris constet, ut sanè hic non constat) obligare graviter ex dictis n. 379. patet. Et certè si hæc transgressio ex suo genere non est peccatum mortale, ne- que tunc erit, cum ex consuetudine ite- ratur: alioqui peccata venialia ex mera consuetudine repetita facerent unum pec- catum mortale. Neque verum est id, quod ex consuetudine fit, fieri ex con- temptu: aliâs mentiri jocosè ex consue- tudine esset mentiri ex contemptu, & con- sequenter, juxta hos quidem, peccatum mortale: peccatum enim quancunque leve; imò & omissio consilii, si fiat ex contemptu formali, censetur esse pecca- tum mortale.

R. P. Stoz Trib, Pœnit.

385. III. est alligata diei, id est, ut cum die incipiat, & cum die desinat. Cum ergo dies incipiat ab una media nocte, id est ab hora duodecima unius noctis, & duret usque ad duodecimam alterius no- ctis, ita & pensum Horarum Canonica- rum persolvere debet, qui suæ obliga- tionis vult satisfacere; ut adeo qui intra totam hujus temporis latitudinem Offi- cium Divinum, vel partem illius non re- citavit, non teneatur defectum istum postero die supplere. Unde nec pridie potes hujus diei officium aut partem illius recitare; sicut nec hodie audire sacrum, ut crastino, qui erit festivus, die ab obligatio- ne audiendi sacrum, sis liber, Bonac. de Ho- ris. D. 1. q. 3. p. 3. n. 3. Reginald. n. 180. & alii, Excipiendum tamen hinc est crastinum Matutinum cum Laudibus, quod potest ex receptâ consuetudine hodie recitari. Pa- laus de Horis D. 2. p. 4. n. 3. Bonac. Regi- nald. l. cc. Less. d. 12. n. 79. & quidem horâ quartâ tam in hyeme quàm æstare, ut ex praxi communi tradit Reginald. l. c. re- ferens etiam Azorium T. 1. l. 10. c. 9. q. 5. & Suar. de Relig. tr. 4. l. 4. c. 27. n. 14. vel etiam mediâ quartâ, juxta Bonac. n. 16. vel etiam ipsâ horâ tertiâ juxta Gavan- tum in Rubr. Breviar. T. 2. f. 1. c. 5. tit. 6. n. 6. vel horâ secundâ juxta Molfe- sium & Fabrum apud Dianam p. 2. tr. 12. R. 39. imò etiam statim à meridie, præ- sertim in Quadragesima juxta quendam apud Sanch. T. 2. l. 7. c. 2. dub. 37. quod Tambur. c. 5. §. 5. n. 3. merito dicit esse ni- mis laxum, cum priora Doctorum pla- cita paulò antè dixerit esse probabilia, & quæalibet posse sequi, quod magis pla- cuerit. Nihilominus tamen crastinum Matutinum non est recitandum prius,

Hh

quàm

Stoz

ibunal
nitentia
F III
314

quàm hodiernum officium totum sit perfolutum: id enim si fiat sine iusta causa, peccatum est veniale: est enim contra intentionem Ecclesiæ, nolentis, ut prius, quam hodierni diei obligatio extracta sit, sequens impleri incipiat. Palus *p. 4. n. 4.*

386. IV. est de certo & determinato officio, ita ut in ordine ad satisfaciendum præcepto unum brevius non possit substitui in locum longioris. Quando autem queritur, an hæc mutatio aliquando sit licita, non est quæstio I. de eo, qui in itinere constitutus venit ad locum, in quo servatur alius ritus & forma, quàm domi: v. g. domi recitandum est juxta formam Romanam, quæ in loco tui adventus non servatur. Nec II. de eo, qui cum teneatur ad aliam, quàm ad Romanam formam, venit ad locum, in quo Romana forma est usu recepta; uterque enim potest sequi ritum loci, ad quem venit Bonac. *p. 1. n. 7.* Tamb. *§. 2. n. 36.* Hoc enim peregrinis commune est & licitum, ut, quemadmodum in materia de legibus docetur, sui loci legibus non teneantur in territorio alieno, sed possint, si velint, leges loci, ad quem veniunt, sectari, etsi diu & permanenter in eo non sint habitaturi. Nec III. de eo, qui in domo Religiosa exempta aliquamdiu moratur: perinde enim est, ac si extra suum territorium commoretur, & idcirco eodem cum peregrinis jure gaudet. Nec IV. de Capellanis Monialium. Hi enim ut Missam possunt legere de Sancto, quem Moniales per Proprium suum celebrant; ita & possunt officium horarium de eodem recitare: cum correlativorum seu connexorum idem sit judicium. Præterquam quòd Capellanus Monialium æquipare-

tur Beneficiario: Beneficiarius autem potest, imò juxta aliquos etiam debet, Ecclesiæ, cui adscriptus est, officium recitare, ubicunque tandem sit. Tamb. *§. 2. n. 33.* referens pro se etiam Quintanaduen. *r. 8. singul. 7.* Nec V. de Religiosis exemptis, qui utuntur Breviario Romano: hi enim ex concessione Trident. Concilii. possunt omisso officio Sancti vel feriae, quod pro illa die præscribit Romana Ecclesiæ, servare festa Diæcesana, atque adeò de illis recitare officium, non tamen tenentur, nisi sint festa Diæcesana Patronorum, & alia universalia. Tamb. *n. 5.* Palus *p. 2. n. 9.* & alii. Nec VI. de iis, qui recitant cum socio, sive ab eo ad hoc invitentur, sive non: modò aliunde id non sit veritum, Tamb. *n. 27.* Id enim videtur sequi ex natura Societatis, in quo contractu loci sunt pares in lucro. Adde, quòd id, quod lex seu privilegium disponit in uno ex correlativis, extendi solet ad alterum; cum correlativorum eadem sit ratio, *L. 16. ff. de acceptilat.* Nec VII. de Capellano Episcopi: tenetur enim hic Capellanus se conformare Episcopo quoad officium; ut declaravit Sacra Congregatio Rituum *II. Junii 1605.* Nec VIII. de eo, qui habet privilegium recitandi feria V. officium de Venerabili Sacramento, aut die Sabbathi de Immaculata Conceptione: nam & hic non mutat officium unum in aliud: sed recitat id, quod ex privilegio occurrit tali die; quod etsi sit ad libitum, nihilominus ei officium feriae vel simplicis occurrentis cedit. Idem est de eo, qui ex simili privilegio, potest die non impedita recitare Horas de Fundatore sui Ordinis.

387. Sed IX. de eo, qui, cum forma
Roma-

Romanâ utatur, eo die, quo de sancto ex præscripto esset recitandum, vult recitare de feria: vel vice versâ. Et de hoc solo præsens quæstio eventilanda est, si quidem nolis aëra verberare. Et licitam esse hanc mutationem unius officii in aliud, docent plurimi Auctores, cum his tamen limitationibus: modò non fiat ex contemptu, nec ex consuetudine & frequenter, nec sine rationabili causa; sed rarò, & ex iusta causa: aliàs agnoscunt in ea mutatione peccatum mortale, si frequenter &c. fiat; veniale verò, si rarò contingat; vel etiam nullum, si fiat ex rationabili causa; qualem putant esse etiam solam majorem devotionem erga certum Sanctum. Ratio est: quia jam impletur præceptum quoad substantiam, licet non quoad modum: substantia enim præcepti consistit in hoc, ut recitentur septem Horæ Canonice; ad modum autem spectat, ut eo die reciteretur hoc determinatum officium de tali feria, vel de tali Sancto. Hoc tamen non obstante nihilominus

388. Tenendum est, nunquam esse licitum, Officium hujus diei mutare in aliud; & eum, qui hoc scienter facit, peccare mortaliter, & præcepto Ecclesiastico de Horis minimè satisfacere Palauus D. 2. p. 1. §. 1. n. 17. Bonac. de Horis D. 1. q. 3. p. 1. n. 17. Gavant. in Rubr. Bre. iar. f. 1. c. 5. tit. 2. n. 7. Tolet. l. 2. c. 13. §. Qualitas. & alii. Ratio est: quia qui non recitat hoc determinatum officium de tali Sancto, de tali feria, constans ex his certis, & non aliis psalmis, lectionibus, Hymnis &c. non exhibet opus ab Ecclesia præscriptum; ergo non satisfacit præcepto; ad hoc enim requiritur, ut opus in sua specifica forma & ratione, & non in

alia exhibeatur, ut notum est, nec id probare pluribus oportet.

389. Ad hoc respondent adversarii, & negant, etsi aliud Officium recitetur, non exhiberi substantiam rei præceptæ; circumstantiam ejusdem operis verò non exhiberi, concedunt. Substantiam autem Officii Divini vocant illud Horarum Canoniarum compositum, quod constat ex septem horis: circumstantiam verò, quod hæ horæ constent ex his psalmis distributis per tempora, festivitates, & dies.

390. Sed facillè refelluntur. Pontifex enim dum præcipit recitationem Officii Canonici, intendit Officium non utcumque indeterminatum, & præcisè ut constans ex septem horis generatim, sed officium determinatum in particulari, constans ex his certis psalmis, hymnis, & lectionibus, prout per dies distribuuntur in Breviario: id quod satis constat ex ipsi Pii V. verbis; quæ in Bulla hac super re editâ & Breviariis præfigi solita sic habent: *Hoc nostrum Breviarium precipimus observari, statuentes, quoscunque, qui Horas Canonicas dicere debent, ad dicendum ex hujus Romani Breviarii præscripto & ratione omnino teneri, neminemque nisi hac formâ satisfacere posse*: ubi per *Rationem Breviarii* intelligitur formula Horarum, ex quibus Officium Divinum constat: per *præscriptum* verò, quòd eadem horæ constant ex iis prorsus, non autem ex aliis psalmis &c. prout in ipso Breviario per tempora & dies distribuuntur: utrumque ergo, *præscriptum* nempe, & *rationem*, substantiam & circumstantiam Pontifex suo præcepto intendit, & complexus est; quod inde potest ulterius sic firmari, An enim circumstantia sit rei præ-

Hh 2 ceptæ

cepræ tantum accidentalis modus, vel potius ad substantiam pertineat, melius & efficacius aliunde colligi non potest, quam ex fine, quem Legislator intendit, ita ut illa sit circumstantia substantialis, quæ ingreditur finis intenti substantiam; illa accidentalis, quæ in eum finem non ingreditur, seu quæ non est pars finis intenti: at qui finis, quem Pontifex in Horis Canonicis intendit præter cultum DEI, est uniformitas Officii Divini, in Ecclesia Romana: & hunc finem Pontifex non assequeretur, si ista mutatio passim, ut aliqui volunt, esset licita: signum ergo est, recitationem de tali Sancto &c. esse de substantia præcepti. Et sanè si uniformitas hæc, quæ in coordinatione Officii ex talibus psalmis &c. per tempora & dies facta consistit, esset tantum mera circumstantia accidentalis, non esset opus tot decretis Pontificum, quibus prohibetur, ne quis recitet Officium de Sancto, quamvis secundum Ritus Romanum, nisi sit in Breviario Romano Pii V. præscriptum, vel ejus Officium à Pontifice aut sacra Rituum Congregatione concessum; item ne Officia, uni Ecclesiæ pro Sancto aliquo concessa, ad aliam ex auctoritate Episcopi extendantur, ut videre est in decreto Urbani VIII. edito 28. Apr. 1628, item non fuisset opus, ut Cardinalium Congregatio specialiter, ut Gavantus l. 6. n. 1. refert, declararet, Officium de Venerabili, de Immaculata Conceptione esse concessum cum restrictione ad certum tempus, & ne recitetur in Adventu &c. Quæ omnia satis denotant Officium non utcumque septem horarum &c. sed talium ex talibus psalmis &c. compositum recitandum esse.

391. Nec novum videri debet, id, quod

alioqui tantum est circumstantia, quandoque esse de circumstantia actûs. Innumera hujus exempla passim sunt obvia. Unum produxisse sufficiat. Solet quandoque Pontifex Magnatibus concedere, ut in privatis Oratoriis, quæ in eorum arcebus, aut castellis extructa sunt, liceat diebus festis sacrum, quod fit, audire, cum expressa declaratione, ut, præter familiares necessarios, nemo alius, et si eo die in tali loco interfit Missa, satisfaciatur præcepto: ubi clarum est, ad substantiam actûs, qui est sacrum devotè audire, spectare etiam, ut sacrum non in quocunque indeterminato, sed in certo, hoc & non alio loco, audiatur, ita ut si aliter fiat, præceptum non impleatur. Quando ergo voluntas præcipientis fertur intrinsecè non solum in substantiam actûs, sed etiam in aliquam ipsius actûs circumstantiam, tunc non satis fit præcepto, si actus solus ponatur sine illa circumstantia: hæc enim tunc jam pertinet ad substantiam, cum sit objectum voluntatis, quæ hîc & nunc eodè actu fertur in objectum & illam circumstantiam; neque aliter vult objectum, nisi ut vestitum tali circumstantia. Et si ergo recitare Officium tali die de tali Sancto, vel feria sit circumstantia? sed quia Pontifex vult, ut recitentur Horæ tali circumstantia vestitæ, ideo si aliter ores, non implet in individuo hoc Pontificis præceptum.

392. Manet ergo stabilitum, hoc determinatum Officium ex talibus psalmis &c. concinnatum esse recitandum ex tanta obligatione, ut si aliud recitetur, non satisfiat. Restat nunc id agere, an talis obligatio sit gravis? & an cadat in singulos dies? Et gravem illam esse, sumitur ex dictis n. 379. Non enim so-

lent

lent Pontifices contra culpas veniales sancire peculiare Bullas & decreta, nec tam graves statuere pœnas, quales statuit Pius V. & renovavit Urbanus VIII. Nec Adversarii hinc se opponunt: hoc ipso enim agnoscunt in ea mutatione culpam ex suo genere mortalem, quod dicant, eam posse fieri levem, si mutatio illa fiat ex causa, si fiat rarò, si inæqualitas inter unum & alterum Officium non sit magna. Sed de his limitationibus postea constabit. Interim omnino

393. Censeo, hanc obligationem cadere in singulos dies: non enim est ulla, etiam vel apparens ratio, cur ab ea obligatione hic potius quàm ille, tot & non plures sint eximii? certè vel omnes sunt eximendi, vel nullus; quia causa, quæ à peccato mortali hodie excusat, sufficiet etiam ad excusandum cras, perendie, & sic deinceps: si ergo semel licet; licet etiam frequenter, etiam semper: cum singulis diebus adsit novum præceptum; sicut in Quadragesima ad jejunandum. Dian. p. 2. tr. 12. R. 3. Nec est, ut Suar. T. 2. de Relig. tr. 4. l. 4. c. 23. n. 15. vult, facienda compensatio, ut recitetur sacrorum verborum moles æqualis ei, quæ præscribitur; nam si aliud Officium recitans satisfacit, ad quid illa compensatio? si verò non satisfacit, nec compensatio juvabit. Nam ideo non satisfacit, quia non recitat, quod est præscriptum. Unde non sufficit recitare vel majus, vel æquale; sicut pro assistentia sacrificii non satisfacit, qui die festo aliud opus rependit, quantumvis majus sit, si tamen detur opus sacrificio hoc incruento majus.

394. Jam quod attinet ad limitationes, ob quas videri possit veniam mereri

illa mutatio, ut non censeatur gravis. I. est, justa causa. Sed quæro, qualis & quàm gravis debet esse causa? Si enim tanta requiritur, quanta requiritur & sufficit ad ipsam Officii omissionem, tum ea potius obligationem illius diei omnino tollet, quàm ut permittat mutationem Officii in Officium: constat enim tali causâ existente cessare obligationem. Ad quid ergo proderit illa mutatio? cur pro Officio, cujus obligatio pro nunc cessat, substituatur aliud? si autem sufficit quælibet occasio, aut commoditas occurrens ad mutationem istam aliquoties faciendam, non video, cur non sufficiat ad faciendam semper: nemo enim tam plumbeus erit, qui non possit quotidie sibi causam, qualemcunque demum effingere.

395. Dicunt ergo alii II. eam mutationem, ut à peccato mortali sit immunis, debere fieri rarò, non frequenter. Ergo ut video, qui bis tantum mutaret Officium, jam peccaret mortaliter. Nam particula *sape, multoties, frequenter*, in duobus duntaxat actibus verificantur juxta Gloss. i. in Cap. de Vita & honest. Clericorum. Sed nimis parci sunt hi, qui dum totis viribus contendunt, posse citra culpam gravem unum Officium mutari in aliud, constringunt etiam licentiam ad unum duntaxat actum. Cur non extendunt ad plures? etenim si prima mutatio non excedit culpam levem, nec secunda, nec reliquæ excedent, etiam ut conjunctim sumptæ per modum unius collectionis: non enim mera & sola actûs venialiter mali repetitio seu multiplicatio, quantumcunque frequens sit, facere potest, ut grave fiat, quod est leve; saltem cum plu-

res illæ materiæ non coalescunt in unam, simul ex præcepto debitam uno tempore, sed quælibet suum certum tempus respicit, & ejus lapsu cessat obligare: alioqui ex multis peccatis venialibus v.g. mendacis jocosis & officiosis frequentissimè multiplicatis tandem una constitui poterit materia sufficiens ad peccatum mortale: quod à nullo admittitur; & meritò. Est enim sementis plurimorum scrupulorum & perplexitatum, cum quisque metuere possit, ne fortè hoc vel illud peccatum veniale sit ultimum, ex quo cum reliquis præcedentibus consurgat materia gravis. Maneat ergo, mutationem unius officii in aliud, si semel est levis, semper esse levem.

396. Eodem modo expediendi sunt illi, qui dicunt, per frequentem ejusmodi mutationem graviter lædi finem Ecclesiæ, qui est uniformitas in precibus publicis. Nam si in prima mutatione non agnoscunt aliam, quàm venialem læsionem illius finis: nec aliam possunt agnoscere in secunda, tertia, quarta &c. cum enim nulla habeat cum altera ullam connexionem aut coalescentiam, singulæ manent peccata venialia, nec unquam constituent peccatum mortale: perinde ut, qui in quadragesima comedendo parùm carnis lædit præceptum de carnibus non comedendis; licet enim hoc per totam quadragesimam singulis diebus continuet, non tamen committer unquam peccatum mortale, quia singulæ illæ transgressiones sunt & manent leves, & cum suo unaquæque die expirat, ita ut earum objectum nunquam coalescat in unum, quod ad peccatum mortale suf-

ficiat, quantumcunque aliàs materia in fine quadragesimæ futura sit magna. Ita & in præsentis de mutatione Divini officii in aliud. Quod si adversarii admittant, ut sanè videntur debere, incauti incidunt in sententiam Lessii. *l. 2. c. 37. n. 77.* & aliorum plùs quàm triginta apud P. Georgium Gobat in *Disp. problematica 3. n. 161.* docentium, servari substantiam præcepti, quodcunque officium Breviarii concessi dicatur: quam tamen ceu justo laxiorem & consuetudini Ecclesiæ repugnantem, ut apud P. Gobat. *n. 886.* videre est, communiter non probant: in quo nec videntur servare doctrinæ consequentiam, ut apparebit, nisi fallor, si quis ea, quæ hæcenus dicta sunt, perpendent: omnia enim eò tendunt, ut monstrant, obligationem recitandi hoc determinatum officium semper esse levem, si semel est levis: prout etiam paulò supra dictum est: neque enim consuetudo, quantumvis inveterata, ullum peccatum ex suo objecto leve extrahit è genere aut specie venialium, quod bene est notandum & sæpius inculcandum. Suar. *l. 3. de leg. c. 28. n. 9.* Sanch. *l. 1. Mor. c. 5. n. 2.* Bonac. *de peccat. D. 2. q. 3. p. 5. n. 14.* Palau. *T. 1. tr. 2. D. 2. p. 9. §. 2. n. 2.* quin imò nec frequens transgressio legis arguit ejusdem contemptum. Suar. Bonac. Sanch. *ll. cc.* Et licet id, quod alioqui leve est, si ex contemptu formali fiat, peccatum grave evadat, manebit tamen leve, si contemptus absit. Itaque etsi mutatio unius officii in aliud ex levi fiat gravis, si ex contemptu contingat, manebit tamen levis, si ex contemptu non fiat.

397. Sed ego huic tam largæ sententiæ nunquam potui assentiri: sed neque dum possum. Persisto ergo in eo, quod n. 388. dixi, videlicet, illum, qui pro uno officio dicit aliud, præcepto non satisfacere, quia non præstat id, quod est præceptum; & si scienter hoc faciat, peccare mortaliter; quia violat grave præceptum. Dixi: *si scienter id faciat*, quia si ex inculcata inadvertentia id faciat, à peccato excusabitur; nec ad quidquam aliud tenetur, si intra totum vigentis & currentis obligationis tempus nulla erroris commissi memoria occurrat: si enim intra illud tempus occurrat, tenetur illum errorem corrigere ab eo loco, in quo eum deprehendit, & reliquum officium, quod tali diei respondet, profequi & absolvere. Et si verò valde laudabile sit, id, quod per errorem vel etiam sponte recitatum est, repetere totum, sufficit tamen ea dumtaxat repetere, quæ ad proprium ipsius diei officium pertinent, quamvis sit solum hymnus, aliqua lectio, Antiphona, oratio in horis. Less. l. 2. c. 37. n. 77. Bonac. de horis D. 1. q. 3. p. 4. n. 6. Tolet. l. 2. c. 13. §. qualitas. Ex dictis

398. Inferitur I. Illum, qui vel scienter vel per errorem etiam inculpatum hodie recitavit Officium, quod primum aliquo ex posterioribus diebus recitandum erat, v. g. de S. Joanne Baptista, omnino obligatum esse ad idem officium de novo repetendum illo ipso die, quo verè occurrit. Lugo in Respons. Moral. l. 5. d. 8. n. 2. & 14. referens etiam Villalobos l. p. 17. 22. n. 3. quia Ecclesia dum præcipit officium, illud non præcipit, ut semel in anno dicatur, sed ut determinatè di-

catur hoc & non alio die: ergo quitali die non recitat hoc determinatum officium de S. Joanne, præcepto Ecclesiæ non satisfacit, quia verè non exhibet, quod est imperatum. Nec excusari potest, quod de eo Sancto jam hodie per errorem etiam inculpatum recitaverit: per hoc enim obligationi, quæ primum cras urgebit, non satisfacit; atque adeo cras iterum de S. Joanne tenetur recitare: perinde ut si quis per errorem quantumvis inculpatum hodie jejunavit, aut sacrum audivit, & à servilibus abstinuit, existimans esse, cum tamen non sit, diem jejunii, aut festivum tenetur cras, cum verè erit dies jejunii, aut festivus iterum jejunare, audire sacrum, & abstinere à servilibus.

399. Inferitur II. Illum, qui hodie non recitavit officium legitimum v. g. de S. Matthæo, non teneri illud cras repetere, imò nec posse cum effectu satisfaciendi hodiernæ obligationi. Lugo. n. 5. quia obligatio recitandi de S. Matthæo erat alligata huic diei: ergo illo transacto cessat: sicut si vigilia sit hodie, & tu bonâ fide putans esse primum cras, non jejunas, non obligaris cras ad jejunandum: sicut nec ad sacrum cras audiendum, si tu hodie illud non audieris, bonâ fide ratus, diem festum hodie, cum tamen sit, non esse, sed primum cras futurum.

400. Inferitur III. Multò minùs rectè facere illum, qui ex devotione, quantumvis non vulgari erga S. Apolloniam Patronam in dolore dentium recitat officium de eadem Sancta Ritu, qui aliàs simplex est, duplicis, quia qui recitat officium totum de Virginibus, recitat officium

Sforz

ibunal
ritentia
F III
314

Pficium longè diversum ab eo, quod hodie v.g. tali feria vel fortè etiam die Dominica, si quidem in eum incidat nona Februarii dies S. Apolloniæ sacra, recitandum erat, ut notum est; ergo non satisfacit præcepto Ecclesiæ; in ordine enim ad satisfaciendum huic præcepto perinde est non recitare, quod præceptum est, ac recitationem omnino omittere. Sed etsi demus ejusmodi mutationem ritus simplicis in duplicem vacare culpâ mortali, adhuc tamen erit illicita, quia contraria Pio V. præcipienti, nullam in officio faciendam esse additionem: notabilis autem & magna esset additio, si ritus officii, quia alioqui simplex est, & maxima ex parte ferialis, mutaretur in ritum duplicem & festivum. Ut taceam, ritum testis non privatâ, sed supræmæ sedis Apostolicæ auctoritate tribui posse, ac debere. Gavant. in Rubr. Breviar. f. 2. c. 2. n. 25. Meminerint ergo hi devoti, meliorem esse obedientiam, quàm victimam. Sed jam

401. Transeamus ad eos, qui sunt obligati ad recitandas horas canonicas. Et hi sunt. I. qui etsi sacris non sint initiati, habent tamen beneficium Ecclesiasticum, modò non sit tam tenue & macrum, ut saltem tertiam sustentationis honestæ partem non terat. Tamb. l. 2. in Decal. c. 5. §. 1. n. 24. Non est autem obligatio recitandi horas toties, quot quis habeat beneficia. Bonac. de horis. D. 1. q. 2. p. 4. n. 27. & idcirco etiam qui negligit eas horas, committit unum tantum peccatum: nisi fortè præter beneficium habeat adhuc alium titulum. v.g. Ordinis sacri; hunc enim Bonac. q. 5. p. 1. n. 4. duplicis peccati mortalis reum

constituit: sed unius tantum reum esse mitius tradunt Palaus. D. 2. p. 1. n. 3. Diana. p. 2. rr. 12. R. 22. & p. 4. rr. 4. R. 219. & alii. quia etsi tituli diversi sint, principaliter tamen eandem virtutem Religionis respiciunt. Porro incipit obligatio hæc statim à die possessionis pacificè adeptæ. Bonac. p. 5. n. 1. imò ab hora, in qua possessio capta est. Gavant. f. 1. c. 4. n. 5. & alii. II. Initiati sacris Ordinibus, & quidem statim ac ordinati sunt subdiaconi, tenentur ad onus Divini officii ab ea hora, quæ in Choro tunc temporis dicenda esset. Azor. l. 10. c. 13. q. 17. Bonac. n. 10. & alii apud ipsum. Quodsi anticipent recitando horas, prius quàm initientur, tenentur eas iterum recitare. Bonac. n. 11. quia obligationi nondum contractæ non satisfacit per anticipatam solutionem, nisi specialis conventio, de qua tamen hic non constat, inter creditorem & debitorem id permittat. III. Regulares, iique soli professi tam mares, quàm feminae choro addicti, ad idem onus adstringuntur, saltem ex usu & consuetudine passim receptâ, & vim legis gravis habente. Incipit in his obligatio ab hora editæ professionis, ut in similibus dictum est paulò antè. Dixi autem I. soli professi: ad excludendos Novitios, qui nomine Religiosi non veniunt, cum de odiosis seu oneribus agitur: nec pro illis est consuetudo. Palaus. D. 2. p. 1. §. 3. n. 1. Dixi II. ad chorum deputati: ad excludendos in primis fratres Laicos seu Conversos, qui non ad chorum, sed ad ministeria temporalia deputati sunt. Deinde ad excludendos etiam quoscunq; alios Religiosos, choro non mancipatos; quales præter alios sunt Religiosi Societatis

JESU,

JESU, qui ad horas canonicas non adstringuntur prius, quam sacris ordinibus sint initiati.

402. Sunt tamen nihilominus causæ, quæ ab obligatione recitandi heras canonicas excusent. I. Est carentia breviarii; quæ si culpabilis sit, v.g. quia abiecasti breviarium, aut domi reliquisti cum prævisione te alibi nullum reperiturum; eo solum tempore peccas, quo reliquisti vel abiecasti, reliquis autem diebus, quibus Breviario cares, non peccas amplius, quia illæ omissiones non sunt voluntariæ. II. Infirmitas: quæ tamen ut excuset, non debet esse levis: hæc enim non adfert morale impedimentum; sed nec debet esse necessariò gravissima: non enim pia Mater Ecclesia cum tanta severitate nobiscum agit: sufficit, si sit notabilis, hoc est, talis, ut ex recitatione officii imminuat aliquod in valetudine malum non parvæ considerationis, v.g. cruditas stomachi, magnus dolor aut gravedo capitis, virium lassitudo &c. Tamb. in Decal. l. 2. c. 5. §. 8. n. 13. Quod si dubium sit, consulatur Medicus, Confessarius, aut Superior, & eorum judicio stetur. Bonart. de horis l. 2. c. 38. n. 13. Quod si & hi dubitent, liber eris ab horis: non enim teneris te gravi periculo exponere. Palaus, p. 6. n. 10. Tamb. l. 1. in Dec. cap. 3. §. 7. V. horæ Canon. n. 2. & alii. Neque ex eo, quod æger cum aliis loqui, aut fabulas & historias profanas legere possit, rectè inferitur, eum etiam cum DEO posse vel debere loqui per recitationem officii: hoc enim mentem collectam requirit, quod ægris difficile accidit; illud autem mentem ægri distrahit. Tamb. l. 2. c. 5. §. 8. n. 14. III. Con-

R. P. Stoz Trib. Penit.

valescentia ex gravi morbo v. g. febris: cum enim imbecillitas illa sit vera infirmitas, pia Mater Ecclesia per aliquod tempus requiem ab officio concedere putanda est: in his autem diebus numerandis non est rigidè procedendum, sed benignè pro gravitate præteritæ infirmitatis & præsentis difficultatis. IV. Cæcitas, aut alia oculorum mala, eaque haud levis dispositio: si tamen occurrat dies, cujus officium integrum memoriâ quis retineat, debet id recitare. Palaus, n. 11. Bonac. D. 1. q. 6. p. 2. n. 6. Dian. p. 4. tr. 4. R. 11. & p. 5. tr. 6. R. 16. & alii. Non tamen tenetur recitare integrum commune aut speciale officium, quod hoc die non occurrit, etsi illud memoriâ teneat. Escobar. tr. 5. Exam. 6. n. 61. quia Ecclesia præscribit variationem officii per ferias, & Sanctorum solennitates. V. occupatio repentina, & gravis, quæ omitti nequit, aut differri sine aliorum offensione, estque tam longa, ut tempus, quod recitationi officii sufficiat, totum sibi vendicat. VI. surdus tamen non excusatur, cum per se legere possit. An autem seipsum audiat, nec ne, parùm refert; cum facilè percipere possit, quid dicat. Præterquam quòd non sit necessarium, seipsum audire. Azor. T. 1. l. 10. c. 11. q. 4. & alii, rati sufficere solam verborum articulationem, licet ab ipso etiam recitante percipi nequeant. VII. Iter etiam longum aliquot dierum facientes, aut gravibus laboribus aut negotiis intenti non excusantur, nisi fortè ita lassati sint, ut horas, quas in vespèrum distulerunt, non possint, nisi cum magna difficultate recitare: quia hæc lassitudo infirmitati comparatur. Ita Coto-

lius,

Stoz

ibunal
nitentia
E M
314

nius, quem refert & sequitur Bruno Neuf-
ser. *de horis. D. 14. q. 9. n. 19.*

403. Quicumque autem legitime ex-
cusatus est ab obligatione recitandi offi-
cium canonicum, non tenetur I. audi-
re alium id recitantem. Bonac. *p. 1. n. 8.*
Navar. *c. 11. de orat. 6.* quia præceptum
est de recitando, non de audiendo.
Nec II. alium, qui sui loco dicat, con-
stituere. Suar. *de horis. l. 4. c. 28. n. 12.*
Bonac. *n. 7.* onus enim recitandi officium
est personale. Nec III. alias preces, quas
facile possit, v. g. rosarium recitare. Bo-
nac. *n. 8.* & plures alii apud ipsum, hæc
enim compensatio nullo jure præcepta
est. Nec IV. mente dumtaxat aut visu
percurrere, si voce non possit. Quia
Ecclesia præcipit recitationem, non ut-
cunque, sed vocalem. Nec V. horas,
quas hodie non dixit, cras supplere. Bo-
nac. *n. 6.* & alii; cum enim sit onus al-
ligatum diei, ejus obligatio cum ipso die
transit, & extinguitur. Nec VI. qui so-
lus non potest recitare horas, potest ve-
ro cum socio, sibi eum adfiscere, etsi
alioqui facile possit. Sancius *in select. D.*
15. n. 2. Tamb. *l. 2. in Decal. c. 5. §. 8. n. 11.*
& solitus sit adhibere socium. Palaus.
D. 2. p. 6. n. 13. facultas enim admittendi
socium, etiam sponte se offerentem, est
aliquod privilegium: privilegiis autem
tantum utimur, quando volumus. Quæ
ratio locum habet etiam in beneficiatis:
quare & hi eximendi sunt ab obligatione
adhibendi socium.

404. Et quoniam incidit mentio de
socio recitandi horas, pauca de eo hinc
addere opportunum videtur. Quare I.
modus alternandi horas est licitus. Fill.
17. 23. c. 7. n. 240. Suar, *c. 25. n. 2.* Bo-

nac. *q. 3. p. 2. §. 1. n. 5.* Patet ex usu &
conluetudine, quæ toto orbe Christiano
recepta est, atque in rebus incertis inter-
pres certissima. *Cap. Cum dilectus, de*
consuetudine, quod verum est sicut in
aliis rebus, ita etiam in Ecclesiasticis,
ex *Cap. Ecclesiasticarum. dist. 11. II.* Non
est necesse, ut socius, qui adhibetur, sit
ad recitandum obligatus: satis est, si sit
etiam Laicus. Suar. *Fill. n. 60.* Bonac. *n.*
6. tum quia ita in choro fit, ex quo ad
privatam recitationem translatus est iste
alternatim dicendi horas modus: tum
quia consuetudo sic habet. III. si uter-
que socius sit ad recitandum obligatus,
quique suam partem ita recitare debet,
ut alter eam & audire & percipere pos-
sit; cum enim unus alterius socii partem
physicè non recitet, debet eam moraliter
recitare & suam facere, quod ex be-
nigna Ecclesiæ concessione fit auscultan-
do. IV. si plures sint futuri socii, labo-
rem recitandi horas ita partiuntur, ut
duos constituent choros, in quorum uno
unus etiam esse potest, in altero reliqui:
vel ita, ut uterque chorus constet ex æ-
quali sociorum numero, v. g. hinc tres,
& inde etiam tres. In quo tamen non est
necesse, ut singuli singulos audiant, per-
cipiantque. Bonac. *n. 9.* Illud observa-
re debent, ne, si duo, siue plures si-
mul recitent, ita festinato percurrant
Psalmos, ut dum unus chorus suam par-
tem nondum absolvit, alter suam jam in-
cipiat: hoc enim si in quantitate nota-
bili fieret, chorus ita festinans peccaret
mortaliter: cum enim illam partem au-
dire non possit, non potest etiam in ea
cum altero choro communicare, & con-
sequenter juxta consuetam Ecclesiæ pra-
xin

xin nec recitare. Bonac. n. 3. Reginald. l. 18. c. 11. n. 146. Tamb. §. 3. n. 8. sed Sacerdotes bene morati raro quoad hanc præoccupationem peccant mortaliter; quia ea semper levis est, & solum in aliquibus vesicularum initiis contingere solet. V. sufficit, si una pars recitet antiphonas, capitula, responsoria, lectiones & orationes; altera verò pars hæc eadem solum audiat. Reginald. c. 12. n. 158. Fill. l. c. Bonac. n. 11. & alii: hic enim modus etiam in choro observatur. Excipe, quæ secretò dici solent, ut *Pater, Ave, Credo* & similia: hæc enim à singulis dici debent. Suar. de horis. l. 4. c. 25. n. 5. Fill. n. 241. VI. si plures quàm duo simul recitent, non possunt versus sigillatim juxta numerum sociorum ita partiri, ut unus solus possit dicere unum versum, alter alterum, tertius tertium, & sic deinceps, cæteris audientibus. Reginald. Fill. l. c. Tamb. §. 4. n. 23. Bonac. n. 10. Suar. n. 3. & alii. Hunc enim tertiatim v. g. dicendi horas modum Ecclesia nec in choro permittit. Aliud est de lectionibus: hæc enim singulæ juxta numerum Sociorum à singulis dici possunt, cæteris attentè audientibus; nam & hoc usus Ecclesiæ habet. Suar. n. 4. Azor. T. 1. l. 10. c. 7. q. 9.

405. Sed dubium modò superest: An, qui legitime impediens non potest totum officium recitare, potest partem, ad eam dicendam obligetur? Suar. c. 28. à n. 22. §. n. 27. Bonac. p. 2. n. 7. & alii putant, quemlibet teneri ad eas horas, quas commodè potest recitare; sive illæ majorem, sive minorem Divini officii partem constituent. Sed hæc sententia est nimis rigida, & perplexitatibus

plena: quis enim infirmorum v. g. determinet, quot horæ sint grave nocumentum allatura? aut quis affirmet unam solum horam ex parvis notabiliter obfuturam sanitati &c. His ergo anxietatibus, quibus benigna Mater Ecclesia suos filios utique non intendit implicare, ut obviam eatur,

406. R. Eum, qui majorem officii Divini partem recitare non potest, potest autem minorem, ad neutram obligari: & e contrario eum, qui minorem non potest, potest majorem, obligari ad majorem, omisâ licet minori. Azor. c. 13. q. 4. §. 5. Less. l. 2. c. 37. d. 9. n. 54. Escobar. tr. 5. exam. 6. c. 5. §. non potest, Palaus. D. 2. p. 6. n. 9. Tambur. in Decal. l. 2. c. 5. §. 8. n. 3. & alii: tum quia ita consuetudine videtur receptum; consuetudine autem non est melior legum interpretis: tum quia major pars trahit ad se minorem, non autem vice versâ: tum quia sic suavius redditur onus recitandi horas, & scrupulis minùs obnoxium. Ceterùm minorem officii partem Navar. de orat. c. 11. ait esse solum Matutinum; Laudes verò cum reliquis horis majorem. Garzias de beneficiis. T. 1. p. 3. c. 1. n. 222. quem refert & sequitur Joan. Sancius in select. D. 15. n. 1. ait, Matutinum & Laudes simul esse partem, si non majorem, saltem potiorem. Id quod etiam Escobar. l. c. sentit. Sed inter sententias à S. D. N. Innoc. XI. prohibitas est 54. quæ docet, eum, qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil teneri.

407. Non est autem hoc loco omitendum, quod habet Sancius n. 2. & probat

robat Palaus. n. 7. Tamb. n. 10. Diana. p. 2. r. 12. R. 43. eum, qui non potest notabilem ac principalem horæ partem recitare non esse obligatum ad reliquum ejusdem horæ partem solvendum: sine ea enim parte non subsistit hora canonica; & ideo qui potest solos Psalmos Matutini recitare, non verò lectiones, non tenetur Matutinum, etiam feriale recitare, quia psalmi sine lectionibus non constituunt substantialiter Matutinum juxta formam à Pio V. præscriptam. Sancius, Palaus, Tamb. l. cc. Diana. l. c. & p. 9. r. 16. R. 48. Idem est de eo, qui Psalmos horarum scit, nescit verò capitula, & orationes: nam neque hi Psalmi sunt substantialiter horæ canonice juxta Pii V. formam.

408. Hic tamen excipiendus est unicus casus, nempe cum quis in Subdiaconum ordinatur: etsi enim novus hic Subdiaconus primo suæ ordinationis die non teneatur recitare majorem Divini officii partem, nihilominus tamen tenetur minimum ad Vesperas & Completorium ob præceptum superveniens & cadens super eas horas, quæ sine respectu ad reliquas sunt capaces gravis obligationis. Qui tamen hunc Subdiaconum vellet à toto onere pro eo die liberare, Authorem haberet Brunonem Neufferum *ir. de horis. D. 12. n. 2. &*, quem Diana p. 10. r. 11. R. 16. refert, Leandrum. Sed hoc est contra generalem Ecclesiæ consuetudinem, & idcirco nec deducendum in praxin particularem.

409. Denique qui manè tempore adhuc ad dicendas horas opportuno, toto reliquo illius diei tempore legitime impediendum à recitatione prævidet, te-

netur manè prævenire, & si impedimentum exigat, totum officium anticipatò dicere; & vicissim, qui prævidet tantum vespere suppetere tempus, quod horarum penso per solvendo sufficiat, tenetur vespere recitare: quæ est multò probabilior sententia; quia præceptum, quod intra tempus currentis & vigentis obligationis occurrit, debet, quando potest, impleri. Sic qui videt, se non posse sacro, quod horam non à ultimam legitur, interesse, tenetur alicui priori, cui nempe potest, interesse; & vicissim, qui nullum ex prioribus audire potest, tenetur audire ultimum. Tamb. *de imped. commun. c. 2. §. 4. n. 39. & alii communiter.* Neque verum est, quod aliqui putant, quamlibet horam ita certo temporis affixam esse, ut una cum illo etiam cesset obligatio horam ei correspondentem dicendi. Hinc qui manè prævidet fore ut, post prandium vel ob accessum febris, vel ob inhabilitatem ex convivio contrahendam, non possit vespere cum completorio dicere, tenetur eas anticipatò dicere ante prandium.

410. *Horas Canonicas interruptim recitavit.* Matutinum à Laudibus, etiam tota nocte, etsi nulla causa subsit, separari posse, usus & praxis etiam timoratorum habet. Non est tamen necesse, etsi laudabiliter fieri possit, Matutinum ita separatim absolvere cum oratione diei, nisi in Nativitate Domini, ubi id expressè præscribitur: nec Laudes inchoare cum *Pater noster & Ave*; cum nulla de his exstet Rubrica seu consules, seu dirigens. Bonac. *D. 1. q. 3. p. 3. n. 14.* Azor. *l. 10. c. 8. q. 4.* Tamb. *l. 2. in Decal. c. 5. §. 3. n. 11.* ex Sanch. *l. 7. consil.*

consil. c. 2. d. 20. n. 2. Et idem alio-
qui dici posset, dum reliquæ officii par-
tes aliqua de causa interrumpuntur, quod
tamen hæcenus nemo dixit. Sed & ho-
ræ reliquæ ab invicem etiam longo tem-
pore separari possunt. Sermo ergo est
de una eadémque hora; & quaeritur: An
inter ejus partes fieri possit interruptio?
v. g. si quis inchoato jam Matutino vo-
cetur ab amico ad ludum, negotia, &
similia, vel ad assistendum ægroto ani-
mamagenti? Omnes fatentur hanc in-
terruptionem fieri posse; quantum au-
tem temporis inter partes abruptas in-
tercedere possit, non conveniunt. Ali-
qui putant, duarum; alii summum trium
horarum spatio non posse esse longio-
rem; & tanta si fuerit, peccatum esse
mortale, si pars jam recitata & abrupta
sit notabilis, & non denuo repetatur.
Sed Tamb. *lc.* & alii, quos refert, exi-
stimant nocturnum à nocturno, psalmum
à psalmo, versum ejusdem psalmi à ver-
su posse tam intra, quam extra chorum
(si scandalum absit, & rubricarum con-
temptus) quamcunque longo tempore
separari, modò intra tempus, quo ob-
ligationi quotidianæ recitationis satisfieri
solet ac potest, persolvantur; quia ex
una parte non obstante eâ interruptione
intra latitudinem temporis, quo præcep-
tum impleri potest, totum Officium
persolvitur: ex altera verò parte non ap-
paret gravis irreverentia in eâ interruptio-
ne, ut apparet in interruptione Missæ;
hæc enim non est sola oratio, sed sacri-
ficium, cui plus debetur. Forma autem
Sacramentorum si notabiliter interrup-
patur, redditur irrita, quia amittit suam
significationem: at verò psalmi, imò

versus ejusdem psalmi adhuc suum inte-
grum sensum retinent, quamcunque lon-
go tempore ab invicem separentur. Esset
autem ejusmodi separatio, si sine causa
fieret, peccatum duntaxat veniale, quia
consuetus orandi modus non servaretur.
At si causa aliqua adsit, v. g. itineris, ne-
gotii supervenientis, charitatis, imò &
Eutrapeliæ, id est, affabilitatis, neque
culpa levis committeretur. Tamb. *ibid.*
Hinc qui crastinum Matutinum capisset
recitare hodie, posset ex causa aliqua in
qualibet illius parte cessare, & reliquam
differre in crastinum: nec esset obliga-
tus quidquam ex parte jam recitata re-
petere, etiam tunc, cum eam interrup-
tionem fecisset animo de novo incipien-
di.

411. *Horas Canonicas recitavi ordine
in: c. 50. bis.* Ordo, quo recitandæ sunt
horæ canonicæ, habetur in *Cap. Pres-
byter Dist. 91. & Cap. 1. de celebr. Mis-
sar.* & est iste: ut prius recitentur Ma-
tutinum & Laudes: dein Prima, Tertia,
& sic deinceps. Hic ordo (secluso scan-
dalo & contemptu) non obligat gravi-
ter; cum non sit de substantia officii.
Culpa tamen venialis erit, si fiat sine
causa rationabili. Navar. *de orat. c. 21.
n. 30.* si verò fiat cum causa, omnino nul-
la Tamb. *n. 12.* Hinc qui manè non
habet ad manus, nisi Diurnum, potest sine
serpulo peccati, etiam venialis, recitare
horas, domi recitaturus Matutinum ejus-
dem diei; ea enim carentia Breviarii est
causa sufficiens: qualis etiam est, si quis ab
amico invitetur ad recitandum Primam,
cum ipse nondum recitaverit Matuti-
num.

412. *Horas Canonicas recitavi tempore
inde-*

P.
indebito semel. Tempus debitum, quo horæ sunt dicendæ, est totum illud, quod ab hora 12. unius noctis fluit usque ad horam itidem duodecimam alterius noctis. Et ideo, licet, si quis intra spatium istud horas recitet, satisfaciatur, nihilominus tamen horæ ipsæ totum hoc tempus ita inter se partiuntur, ut Matutinum cum Laudibus & reliquis horis vendicet sibi tempus Matutinum: Vesperæ verò & Completorium pomeridianum. Noveris tamen, istud non esse terminum finiendæ, sed solum non differendæ obligationis. Sive autem hoc tempus anticipetur, sive invertatur, ita ut quod priori tempore recitandum erat, recites posteriori, & vicissim, si ex aliqua causa v. g. majoris commoditatis in studiis continuandis, parandâ concione &c. id facias, omni omnino culpâ vacabis: si verò sine causa tempora singulis horis canonicis assignata non observes, peccabis venialiter. Intra latitudinem tamen culpæ venialis, majus peccatum est postponere, quàm anticipare: illud enim negligentia, istud verò providentiæ adscribitur. In quadragesima Vesperæ dici possunt privatim post prandium. Cum Rubrica feria IV. Cinerum nullum præceptum imponat. Qui Matutinum crastinæ diei dicturus est hodie, ut juxta n. 385. potest, præcisè ex eo, ut cras suavius & mollius dormire possit, peccat venialiter. Navar. de orat. c. 3. n. 54.

413. *Horas canonicas abscissis, imò etiam omissis verbis recitavi ter.* Si hæc abscissio aut omissio verborum sit voluntaria, & in materia notabili, est peccatum mortale; veniale, si materia sit levis, Tamb. n. 4. si sit involuntaria propter

inadvertentiam, aut nimiam figuræ balbutiem, aut inveteratam & incorrigibilem consuetudinem, excusari potest à peccato. Tamb. n. 6. Nec refert, unde ea verborum omissio proveniat: sæpe nimia linguæ præcipientia illius est causa. Ex abscissione verò syllabarum, etiam cum voluntaria est, non adeo frequenter constituetur materia gravis.

414. *Horas canonicas loco distractionibus obnoxio recitavi, quater.* Et si perinde sit, quo loco, etiam sordidissimo (de quo Tamb. §. 6. n. 2. cum Palao T. 2. tr. 7. D. 2. p. 4. pronuntiat, illum, qui temerè & sine delectu talem locum ad horas canonicas, aut alias preces recitandas eligit, peccare venialiter) recitentur horæ; tamen venialiter peccabit, si quis eligat locum distractionibus valde expositum; quale est v. g. publicum forum aut platea, ubi frequens est hominum concursus, clamor, aut strepitus profanus, aut quo habentur fervidæ aut clamoræ Disputationes v. g. Philosophicæ; hoc enim loco, qui recitat Officium Divinum, exponit se manifesto periculo plurimarum distractionum, & juxta probabilem aliorum sententiam præcepto etiam non satisfaciendi: cum igitur quisque teneatur officium attentè, sine distractionibus etiam merè internis (si de præcepto Divino loquamur) recitare, teneatur etiam ea cavere, quæ possunt attentionem impedire.

415. *Horas canonicas situ corporis indecenti recitavi ter.* Et si perinde sit, quo situ corporis recitentur horæ, cum nulla de hoc extet lex; tamen cavendus est etiam hic contemptus & irreverentia; qualis esset, si quis sine necessitate decumbens,

cumbens, vel sub immodestâ corporis positione temerè & sine delectu recitaret: aliàs à peccato veniali non erit immunis, eùm aliquam modicâ in DEUM irreverentiâ suspicionem arguat. Sedere verò, eùm standum; stare aut sedere, eùm ex præscripto Rubricæ genuflectendum est, si absque contemptu fiat, non excedit culpam venialem: imò Bonac. p. 6. n. 1. & Palauus t. 22. p. 10. n. 14. putant, omnino nullum esse peccatum, eùm Rubrica non præceptum, sed solùm consilium dare videatur.

416. *Officium defunctorum, quod nuper secundâ Novembris recitandum erat, omisi.* Est hoc officium pars, & quidem notabilis officii illius diei; & ideo, qui Romano Breviario utuntur, tenentur illud eo die sub peccato mortali recitare. Est sententia communissima, Neque enim Pontifex, dum ob varia vitæ hujus negotia sustulit obligationem recitandi Officium defunctorum sub peccato, comprehendit officium illius diei. Unde & dies secundâ Novembris in Calendario & Martyrologio vocatur commemoratio defunctorum. Potest ex diurna Germaniæ praxi, & jam pridem contra Rubricas præscriptorum defunctorum officium recitari post secundas diei omnium Sanctorum Vesperas. Imò Tamb. §. 2. n. 14. probabile judicat, non esse obligationem ullam eo die recitandi officium defunctorum; eùm Rubrica, quæ eas preces præscribit, non sit præceptiva (neque enim verbo obligationem significante utitur) sed solùm directiva. Videri potest Diana p. 2. rr. 12. R. 42. & p. 4. rr. 4. in fine quæst. un. ubi longam de hac materia instituit Disputationem.

417. *Litanias omnium Sanctorum in*

feriis Rogationum omisi semel. Etiam hæc ex communissima sententia & Cap. Rogationes de Consecr. Dist. 3. sunt pars & quidem notabilis officii illius diei: & ideo quæ omittit, peccat mortaliter. Idem est de Litanis in festo S. Marci. Sunt alligatæ diei, ita ut non possint pridie cum Laudibus conjunctim dici, ut de officio defunctorum dixi. Ita contra Gavant. in Rubric. Breviarii. f. 6. c. 16. n. 6. docet Tamb. §. 5. n. 7. tum quia in Rubrica nihil est, ex quo colligi possit, dictas Litanias anticipari posse: tum quia Litanie privatim recitandæ succedunt in locum assistentiæ ad Processionem; ergo sicut processio nequit anticipari, ita nec Litanie: tum quia pro Litanis expressè habetur, eas hodie recitandas esse, ut videre est in Rubrica ad festum S. Marci; quæ particula in Officio defunctorum non habetur. Unde eùm tam in festo S. Marci, quàm in feriis Rogationum dicitur, Litanias ab iis, qui Processioni non interfunt, recitandas esse *Post Laudes*, illud *Post* hunc sensum habet, ut idem sit, quod suo tempore, id est, crastino die, si hodie dicantur Laudes de S. Marco, vel crastinâ Rogationum feriâ.

418. Ceterùm ut clericus assistentiæ ad Processionem satisfaciat, & exinde liber sit à Litanis privatim recitandis, non est satis, quòd corpore duntaxat præsens sit, de reliquo confabulationibus, legendis & narrandis novis, aliisque tractandis intentus, ita ut, quid circa Litanias fiat, prorsus ignoret; hæc enim est præsentia merè materialis, & perinde se habet, ac si Clericus Processioni omnino non interfuit: neque enim dici potest præsens alicui rei, dum ad aliud attendit. L. Co-

ram

P.
111
Poe

ram Titio. ff. de Verbor. signif. Et possumus in hujus rei confirmationem exemplum petere & adducere ab obligatione, quam Canonici habent, assistendi Officio Divino in Choro; hi enim etsi physicè præsentés sint, moraliter tamen & humano modo non sunt; si actiones externas internæ attentionis impeditivas exercent; & idcirco neque suæ obligationi satisfaciunt, neque quotidianas distributiones suas facere possunt. Ita etiam ii, qui physicè præsentés sunt Processioni, dum tamen ea, quæ dixi, exercent, formaliter, & morali ac humano modo non interfunt; adeoque meritò censeri possunt, processionem omnino omittere; nimirum rem cum substantiali defectu peragere, idem est, ac eam omittere. Et hinc talis fabulator &c. Clericus tenetur adhuc privatim dicere Litanias, si quidem suam conscientiam peccato gravi nolit onerare. Notent hoc Canonici, & alii Clerici, qui etsi eo duntaxat, quo dixi modo interfunt, putant tamen, se rem gessisse præclarè. Errant hi, errant! ut ergo securi sint in conscientia, debent Litanias ita alternatim dicere, ut una pars canendo præeat, altera respondendo subsequatur; vel certè ita dum alii alternant Litanias, alii devotè & attentè audiant; si quidem hoc mos ita ferat.

419. *DEO pro acceptis beneficiis ingratus sui bis.* Ut ingratitude vitium meliùs declaretur, paucis, quodnam gratitudinis officium sit, aperiendum est. Itaque gratitudinis est. I. agnoscere, & æstimare beneficium, saltem ex affectu conferentis. II. Benignè illud acceptare; speciem enim contemptiùs vel exiguæ æstimationis habet repudiatio. III. Gratias agere;

quamvis Magnates erga homines vulgares hoc non soleant. IV. accepti beneficii meminisse; & illud suo loco & tempore laudare. V. Beneficium re vel obsequio referre; sed non statim. Qui enim, ut Seneca *l. 4. de Beneficiis in fine* ait, festinat reddere; non animum habet grati hominis, sed debitoris; non enim videtur æstimare id, quod in beneficio est præcipuum, nempe gratuitum Benefactoris animum: ita enim solvit, ac si ille non gratias, sed intuitu securæ compensationis dedisset. His oppositi sunt ingratitude gradus; nam I. beneficium non agnoscit, nec æstimat; sed potiùs vilipendit. II. Beneficium dissimulat; non agendo gratias. III. Beneficium non retribuit, sed potiùs malum pro bono reddit. IV. Beneficium vituperat. V. Beneficium loco maleficii habet; qui est summus ingratitude gradus. Ingratitudo itaque erga DEUM. I. est, non conari Divina beneficia obsequio & cultu pro modulo compensare. II. Ratò vel nunquam gratias agere. III. Ratò vel nunquam beneficiorum Divinorum meminisse. IV. Malum pro bono reddere. Huc spectat omne peccatum; quodlibet enim est ingratitude erga DEUM, sicut & inobedientia; repugnat enim illi obligationi, quæ, ratione beneficiorum à DEO acceptorum, obstringimur ad cavenda illa, quæ eum offendere possunt. V. extenuare, negare, vel vituperare beneficia DEI. Quò spectat, negare beneficium Redemptionis, & Gratiæ necessitatem, quod Pelagiani fecerunt. VI. Illa loco maleficii habere & æstimare; quod damnati faciunt, & nonnulli scelerati homines, qui potiùs pro maleficio quàm beneficio

ficio habent, quòd à DEO non sinantur perpetuò hoc mundo & ejus deliciis frui.

420. Ceterùm ingratitude alia est formalis, alia materialis. Formalis est, quæ oritur ex directa intentione, beneficium vel Benefactoris animum vilipendendi, ne ratione beneficii videaris ei obnoxius. Hoc modo ingrati sunt, qui beneficium vel animum benefactoris extenuant, aut finistrè interpretantur, ne videantur ei quidquam debere, aut ne cogantur esse grati, agendo gratias, aut ne impediatur à malo rependendo. Est peccatum ex suo genere mortale; potest fieri veniale vel ex defectu plenæ advertentiæ, vel ex parvitate materiæ, ut si beneficium sit parvum, vel ab homine privato proficiscatur; nolle enim hominis privati beneficium agnoscere, parùm incommodi videtur illi adferre, sepositâ ejusdem offensâ. Less. l. 2. c. 47. d. 3. n. 16. §. 19. Materialis est, quæ non procedit ex illa, quam dixi, directâ & expressâ intentione vilipendendi beneficium, sed citra omnem contemptum vel omittit debitum gratitudinis officium, vel aliquid contra benefactorem committit: quæ est circumstantia generalis, nec peccatum mortale, nisi ex accidenti, ut si benefactori indigent ex charitate reddendum sit beneficium, & omitatur. Less. n. 18.

421. *Artem divinatoriam exercuisse mel.* Ea est, cum mediis illicitis aut modo indebito futurorum contingentium notitia (quæ alioqui soli DEO propria est) quæritur; sive fiat per somnia, sive per aquam, sive per stellas aut carmina & similia: & ideo hæc non sunt specialiter in confessione explicanda juxta dicta p. 1. n. 65. nisi intercedat pactum cum dæmo-
R. P. Stoer Trib. Pœnit.

ne, idque vel expressum, vel tacitum: de quo *ibid.* n. 66. Huc spectat, Zingaros de sua aut aliorum fortuna consulere: de quo *ibidem*.

422. *Superstitiosa exercui ter.* Ad verum DEI cultum duos spectant, nimirum I. ut colatur verus DEUS; contra quod peccant idololatræ, magi, malefici, & divinatores: de quorum ultimis jam aliquid *num. precedenti* dictum: de prioribus videri possunt Sanch. l. 1. Mor. c. 38. n. 41. Fill. tr. 24. à c. 7. & alii. II. Ut verus DEUS colatur modo debito, ex cujus defectu consistit cultus falsus, & superfluus. Cultus falsus est, quando res non sacra habetur pro sacra; vel quando Minister non sacer fungitur officio Ministri consecrati. Hac ratione peccant, qui falsas Reliquias exponunt pro veris; qui falsa miracula prædicant; qui ministrant in ordinibus non susceptis. Sanch. l. 2. c. 2. à n. 15. & alii. Hæc ex suo genere sunt peccata mortalia. Laym. l. 4. tr. 10. c. 1. Sanch. c. 37. & alii. Cultus superfluus est, qui à consuetudine Ecclesiæ abhorret; veluti nolle die Sabbathi fila ducere in honorem B. Virginis, cum tamen interim alia ferivitiæ præstes; die Solis ne minimum quidem lignum findere; eodem die jejuna- re, cum alii non jejunent; die communionis nolle incedere nudipedem &c. Huc spectat adhibere sub sacrificio cærimonias contra consuetudinem Ecclesiæ v.g. formare plures cruces, pluries dicere *Alleluja*, dicere *Gloria*, vel *Credo*, cum non est dicendum &c. etsi fiat ex devotione (hæc enim corrigenda est) quia sunt præter consuetudinem Ecclesiæ. Huc etiam spectat Missam audire, non tamen nisi ante Solis ortum, cum certo

certo numero, situ, & ordine cereorum; vel Sacerdotis, qui vocetur Joannes; vel qui habeat staturam Christi &c. quia hic cultus ex se est inanis, & ad excitandum spiritum inutilis. Hæc sunt ex genere suo peccata tantum venialia: imò sæpe nulla ob simplicitatem vel ignorantiam.

423. *Vanam observantiam exercui bis.* Est hæc observantia superstitio, quæ commoditates humanæ & variæ corporum mutationes quærentur non à DEO, sed per media inutilia, & à DEO non constituta. Est peccatum mortale ex suo genere, nec potest fieri veniale ex parvitate materiæ; quia ejus deformitas consistit in hoc, ut effectus, qui propriè DEI est, demonis potentiæ adscribatur. Potest fieri veniale; vel quia non adhibetur certa fides, licet timeatur ita esse, vel futurum; vel quia intercedit bona fides & ignorantia: modò hæc non sit crassa, nec adsit dolus, ut, si monitur à Parocho, vel aliis, quibus tenentur credere, nolint desistere, vel suborto dubio non inquirent veritatem, Less. d. 10. n. 65. & 66. & alii.

424. Exempla vanæ observantiæ magis obvia sunt, sumere potionem vel bolum ad scientiam aliquam subito acquirendam; gestare Amuleta, ligaturas & involuera falsis characteribus consignata contra vulnera, vel subitam mortem, vel ad conciliandam invisibilitatem, impenetrabilitatem, amorem &c. ex casu fortuito conjicere de eventu v.g. sibi aliquid mali vel boni eventurum, ut: si manè domo egrediens pedem offendas, ideòque domum regrediaris metuens iter infestum fore; si egresso foras prima occurrat virgo, & idcirco putes, diem fore

sterilem & infelicem, prosperum verò & fecundum, si meretrix: quæ exempla & alia affert S. Augustinus à Lessio n. 65, relatus; dies aliquos habere tanquam faustos, aliquos etiam infastos, & idcirco negotium omittere, v.g. die Veneris nolle ungues refecare; faminarum carminatricum benedictiones & preces ad morbos depellendos adhibere; projicere statuam alicujus Sancti in flumen, ut pluat; credere, Missas defunctis non prodesse, nisi legantur septem cum septem candelis certi coloris, & septem elemosynis; certo festo v.g. S. Joannis certa orare, vel festo S. Matthiæ hederæ folia aquæ imponere, ut cognoscatur, cui debeant nubere: quibusdam precibus, imaginibus, vel characteribus aut crucibus tribuere certam & infallibilem vim v.g. evadendi hostem, expellendi morbos, non moriendi sine confessione, non incedendi in infortunium &c. vide Sanch, c. 40. à n. 28.

425. Potest autem vanitas observantiæ ex variis signis deprehendi. I. ex insufficientia causæ adhibitæ ad effectum; si nempe nec habent naturalem virtutem, nec de supernaturali legitime constet. II. Ex admixtione falsæ vel vanæ, & ad eum effectum inutilis, tanquam tamen necessariæ circumstantiæ; v.g. si flagellatio fieri debeat certâ horâ, numero, manu, flagro serico; si nomina adhibeantur ignota, vel characteres peregrini, verba & facta falsa, vel apocrypha, v.g. Christum habuisse febrim, spasnum &c. item si ponatur vis in certo modo scribendi, v.g. Evangelium S. Joannis à virgine, oriente Sole &c. si certæ insufflationes adhibeantur, certus situs, motus &c. III. Ex ipsarum vilium personarum, & sæpe de male-

maleficio suspectarum conditione. IV. Ex modo operandi, ut si opus causam applicet in loco ita distante à passo, ut juxta Philosophiam communiter receptam causa in subjectum tam distans non possit operari: secus est, si sub opinione sit, an possit, necne. V. Ex certa formula verborum, quæ si etiam manente eodem sensu mutantur, putantur vim nullam habere.

426. Quod si ex his circumstantiis deprehendi nequeat, an effectus à bono vel malo Angelo, vel causa naturali procedat, in dubio standum est pro causa naturali & in favorem operis judicandum, non esse superstitiosum & à dæmone: dubia enim in meliorem partem sunt explicanda. Quod equidem verum arbitror, si dubium hoc oriatur ex eo, quod non constet, an effectus excedat vires naturales: cum enim innumera agentium naturalium vires nos lateant, non est, quod ex eo, quod virtus illa dubia sit, eam causam naturali negemus; nec est absque necessitate vel ad miraculum, vel ad occultam boni malive Angeli operationem recurrendum. Quod si verò constet, effectum esse supra vires causarum naturalium, in dubio habendus is est pro superstitioso, etiam cum verba sacra adhibentur, nisi maxima operantis sanctitas, vel alia urgentissima indicia suadeant, eum à DEO vel bono Angelo provenire Sanch. n. 44. Ex quibus

427. Patet, non facile superstitionis damnandas quasdam observationes, quas ex devotione populus Christianus bonâ fide frequentat, de quibus non constat, an sint superstitiosæ, si nihil alioqui malum annexum habeant, & bona fide exerceantur.

Talis v.g. est, quod panis & alii cibi in parasceve Crucifixò admoveantur, morborum remedia futuri; de qua re Gretserus de Cruce l. 2. c. 62. Talis etiam videtur, quod res quædam certæ majorem quandam vim & efficaciam habere putentur in certis Sanctorum festis collectæ, vel adhibita: de quo Laym. c. 4. n. 4.

428. An autem vanitas istarum superstitionum populo sit manifestanda, dubium est. Tann. T. 3. D. 5. q. 7. n. 47. etiam apertas superstitiones, si bona fide absque expressâ dæmonis invocatione exerceantur, & nulli alioqui sint perniciosæ; privata quidem admonitione non sine debita cautione improbandas esse, ne plus alioqui obsit correptio, quam profit; dum prius populus ob bonam fidem nihil, aut saltem tantum venialiter peccavit; postea sublatâ ignorantia in eadem re peragenda peccat mortaliter. Præstat ergo homines rudes, qui bona fide & ex devotione aliquem Ritum ab Ecclesia non receptum observant, v.g. circa templum alicujus Sancti ter jumentum circumducunt, aliquando in sua simplicitate relinquere cum difficulter abducantur ab eo, quod bonâ fide à suis majoribus acceperunt.

429. Ceterum expedit, imò necessarium est, superstitiones in particulari explicare in confessione, saltem nunc, cum, quod frequenter contingit, novam speciem v.g. sacrilegii, continent. De reliquo, si nulla circumstantia specifica concurrat, satis erit dicere, ut supra, *exercui superstitiosa &c.* Tamb. l. 2. c. 1. §. 5. n. 15. Reginald. l. 6. c. 4. n. 114. ita ut non sit necesse dicere: *semel per pyromantiam, bis per hydromantiam, ter per necromantiam &c.*

P
111
Poe

430. *DEUM tentavi semel.* Non est fermo de tentatione, prout idem est, ac inductio ad malum seu peccatum; hujus enim DEUS est incapax: sed prout idem est, ac experimentum capere de alicujus perfectione, viribus &c. Est ergo tentatio DEI dictum vel factum, quo quis experimentum capit de Divina perfectione, v.g. potentiâ, sapientiâ, justitiâ, misericordiâ &c. an videlicet ex verè infint DEO. Sanch. *l. 2. Mor. c. 34. n. 1.* Palaus *17. 17. D. 2. p. 1. n. 4.* Est duplex, una formalis & expressa, altera, tacita & interpretativa. Formalis est, cum quis expressâ & directâ intentione aliquid facit ad sumendum de DEI perfectione experimentum; ut, si petat miraculum, quo innotescat, Catholicam fidem esse veram; si te precipitem des è turri, vel in puteum salias, ut experiaris, an DEUS sit misericors, ut non sinat te lædi. Conjungitur quandoque cum infidelitate, ut si procedat ex dubio pertinaci de Divina aliqua perfectione, num ea DEO verè infint. Tacita est, quando aliquid fit absque expressa intentione capiendi experimenti de Divina quapiam perfectione; illud tamen, quod fit, ejusmodi est, ut suâ præ naturâ ad nihil aliud referri possit, quàm ad sumendum de Divina perfectione experimentum; ut si quis velit à cibo abstinere totis quadraginta diebus ad imitationem Christi; aut periculo se committat, è quo vel nullo modo, vel non nisi miraculosè possit eripi; vel si media naturalia omitat, sperans à solo DEO effectum, v.g. in morbo periculoso respiciens medicinam, petensque ac sperans ab eo solo sanitatem. Less. *l. 2. c. 45. d. 1. n. 4.* Item si homo rudis sine causa & necessitate velit absque

præparatione concionari, sperans à DEO sibi suggerendos esse conceptus.

431. Formalis tentatio DEI est ex genere suo peccatum mortale, in quacunque etiam materia; quia continent tum dubitationem de perfectionibus Divinis, quæ in gravem DEI contemptum redundat; tum etiam magnam irreverentiam, curiositatis agendo cum DEO, tanquam cum ludione aut fautore curiosorum.

432. At verò tentatio DEI interpretativa, cui dubitatio illa non est conjuncta, plerumque est peccatum duntaxat veniale ob imperfectionem actûs, ignorantiam, inconsiderationem, vel parvitatem periculi. Imò sæpe nullum, quando scilicet justa causa subest, v.g. DEI instinctus, necessitas, vel pia utilitas. De reliquo est etiam ex suo genere peccatum mortale. Huc pertinent vulgares purgationes, quæ solent fieri ferro candenti, vel aquâ fervente, in quibus expectatur iocolumitas ope Divina, extraordinario modo præstanda, quæ reprobandur *Cap. Omnibus, & Cap. Consulisti. 2. q. 4.* Item purgationes, quæ fiebant duello, in quo expectabatur, ut DEUS partem innocentem tueretur; quod damnatur *Cap. Monomachiam ibidem & Cap. 1. & 2. de purgatione vulgari. & à Concilio Trident. Sess. 25. c. 19. de reform.*

433. Expressa DEI tentatio specie differt ab interpretativa. Suar. *de relig. T. 1. rr. 3. l. 1. c. 3. n. 6.* Sanch. *n. 11.* Palaus *n. 7.* Illa enim procedit ex dubio de perfectione Divina, ejusmodi dubium continet malitiam specie distinctam contra fidem. Et licet non procedat ex tali dubio, tamen speciali modo repugnat reverentiæ erga DEUM; & ideo adhuc differt specie ab inter-

interpretativa, & est specialiter in confessione explicanda. Suarez, l.c.

§. II.

Peccata operis contra proximum.

434. *Parentes torvo vultu ferè semper intuitus sum, Etiam asserè allocutus, ac si eos odio haberem.* Est hoc contra amorem, quem parentibus debemus, & peccatum mortale. Tolet. l. 5. c. 1. Tambur. in Decal. l. 5. c. 2. §. 2. n. 4. Bonac. in 4. precept. Dec. D. 4. p. 3. n. 3. Navar. in Man. c. 14. n. 11. & alii. *Manum ad percussendum patrem vel matrem sustuli semel: vel: isdem injuriosè minatus sum.* Repugnat hoc reverentia, quam parentibus exhibere tenemur: & est peccatum mortale. Tolet. l. c. Bonac. D. 6. p. 2. n. 4. Tamb. n. 12. Fill. tr. 28. c. 1. n. 17. & alii. *Patrem vel matrem leviter percussi semel.* Etiam hoc est peccatum mortale: quia injuria hoc ipso, quod parentibus inferatur, censetur continere gravem malitiam. Fill. l. c. Tamb. l. cc. Navar. n. 12. si tamen filius id agat ad necessariam sui defensionem, non peccat. Covar. in cap. Rayntrius. de testam. n. 9. Idem est ad defendendam patriam vel rem publicam, cujus pater est hostis: bonum enim privatum cedit publico, & Patriæ plus quam parentibus sumus obstricti. *Parentes graviter contristavi semel.* Peccat mortaliter, qui parentibus notabilem maestitiam affert. Reginald. l. 20. n. 24. *Parentes ob eorum paupertatem, vilem statum conditionem, ex contemptu nolui recognoscere semel.* Et hoc reverentia paternæ repugnat, & quidem graviter. Bonac. Tamb. n. 17. Azor. p. 2. l. 2. c. 2.

9. 10. At si non ex contemptu id fiat, sed ad vitandum aliquod incommodum finitæ opinionis, vel detrimentum in vita, honore, aut pecunia, non erit peccatum mortale, dummodo iis filii nihilominus succurrant in rebus necessariis. Tamb. Fill. l. cc.

435. *Parentibus non obedi vi quater.* Et quidem I. si id fiat in iis, quæ spectant ad bonos mores, est peccatum mortale, speciatim in confessione declarandum; ut si filius præcipienti parenti, ne scortetur, ne ludis prohibitis vacet, ne noxias familiaritates foveat &c. non obediat. Quod si pater non præcipiat, sed solum suam interponat auctoritatem, replicatâ etiam admonitione, ipsa inobedientia non erit mortalis. II. si contingat in iis, quæ ad domus gubernationem spectant: hæc si levia sint, obligatio obediendi est tantum levis; gravis verò, si sint gravia, maxime si accedat contemptus, vel pertinax obstinatio. Ceterum in iis, quæ ad negotium animæ & salutis æternæ pertinent, filius est sui juris, nec tenetur obedire, quantumvis exaggerent & multiplicent parentes sua præcepta. Et ideo filii etiam in vitis parentibus (si non egeant; de his longè aliter discurrendum, ut videre est apud Auctores) possunt ingredi religionem; & parentes ipsi, si vel vi, vel dolo, vel fraude aut metu abstrahant suos liberos ab ingressu ad religionem, peccant graviter; & tenentur suum filium sic impeditum in pristinum libertatis statum restituere. Legi potest Epistola S. Hieronymi ad Heliodorum, ubi gravissimis verbis ostendit, DEO in his plus obediendum esse quam hominibus. Deinde etiam in matrimonio contrahendo non potest filius impedi-

diri à parentibus: etsi enim peccet graviter, si contra voluntatem parentum indignam; familiæ futuram opprobrio ducat, matrimonium tamen tenet, nec potest idcirco exhereditari. Quod si tamen parentum consilium exquirat, nec consensum impetret, potest contrahere eum se digna: quia electio status est omnino libera, Less. l. 2. c. 40. n. 43. Sanch. l. 4. Mor. c. 15. Fill. n. 20. Unde ad istam electionem non requiritur facultas parentum, nisi ex quadam decentia.

436. *Præceptoribus* (vel pædagogis) non exhibebitur debitum honorem & reverentiam ter. Possunt hujus rei exempla esse, quæ supra de Parentibus dixi, præsertim autem, si discipuli non obediunt mandatis Præceptorum in materia spectante ad bonos mores. Et potest hæc inobedientia esse peccatum mortale, vel veniale pro ratione materiæ, in qua versatur præceptoris voluntas.

437. *Negligenter studui: Scholarum, aut studiorum tempore lusu vacavi*, vel otio semel. Potest esse grave vel leve, prout fuerit obligatio studendi, vel profectum scholasticum procurandi. Haud dubie enim si filius multo tempore in Academia versetur, & in recessu ab ea ad ædes paternas nihilo doctior sit, quam fuerit in accessu, gravi peccato se obstringit, quia verè sumptus, eosque non leves fecit frustra: perinde est, ac si eam pecuniam sit verè furatus.

438. *Subsannavi alterum semel.* Subsannatio est actus, quo quis alterius honorem violat cum intentione ipsum confundendi, vel inducendi erubescerentiam non sine perturbatione pacis internæ, & tranquillitatis animi; & contingit, cum quis

motu corporis, vel membrorum v.g. naso rugato; labiis extensis &c. ludibrio aliquem habet. Ab hoc specie non differt irrisio & illusio: differt tamen, quòd subsannatio factis; irrisio verbis fiat. Bonac. de resur. D. 2. q. 5. p. 1. n. 15. Est peccatum mortale ex suo genere, Bonac. n. 2. Nec tamen una ab altera differt specie, nisi ratione alterius circumstantiæ adjunctæ; si enim fiat in Sanctos, continet malitiam irreligiositatis; impietatis, si fiat in parentes &c. Et sunt hæc circumstantiæ speciatim exprimendæ in hunc modum, *Subsannavi Sanctos semel; parentes bis &c.* Potest tamen subsannatio & derisio fieri peccatum veniale vel ex defectu plenæ advertentiæ, vel ex levitate materiæ; si defectus & contemptus sit parvus. Quandoque etiam nullum peccatum, ut si fiat moderatæ correctionis causâ cum debitis circumstantiis, vel ob convenientem recreationem vel jocum, opportuno loco, & tempore, ac festivè cum debita moderatione, sine derisi contemptu & offensione, in quo tamen diligens cautio est adhibenda.

439. *Alterius confessionem sciens legi semel.* Confessionem alterius scripto consignatam studio legere, grave peccatum est. Reginald. l. 24. c. 6. n. 121. præsertim si peccata gravia seu infamantia continentur: si enim moraliter certus sit (quod tamen vix contingere potest) non nisi minutissima & minimè infamantia eo scripto contineri, tunc si ex mera curiositate legat, non est censendus plus quam venialiter peccasse. Laym. l. 5. tr. 6. c. 14. n. 19. An autem hic teneatur sigillo, quod est confessionis, nondum desinio. Quid quid verò sit, certissimum est, eum teneri sigillo

figillo, seu secreto naturali arctissimo; cuius tamen obligatio ob parvitatem materiam minuitur; imò si bonum publicum exigat, etiam tollitur. Et hinc licet, qui peccata mortalia lecta aliis evulgat, peccet mortaliter; solum tamen venialiter peccat, qui venialia ex tali scheda cognita manifestat. Laym. *l.c.* quin & ab omni peccato excusatur, si ejusmodi evulgatio ad publicum bonum conservandum sit necessaria. Interim tamen nec Judex, nec Prælati ex sola tali noticia ad criminis inquisitionem aut punitionem procedere potest; imò si processus jam sit institutus, rescindi debet, & pro infecto haberi. Laym. *ibid.* Lugo *de Just. Diss.* 37. *sect.* 12. *n.* 147. & *seqq.* Atque hoc secreto obligatur etiam is, qui schedam Confessionis casu & ignorans legit; licet enim talis non peccet, cum incipit legere, teneri tamen, postquam advertit, qualis sit scriptura, abstinere; alioqui si pergat legere peccabit.

440. *Litteras alienas aperiri, & legi sine rationabili causa, & absque invito vel expresso illius, à quo vel ad quem scriptæ sunt, consensu semel: vel brevius: aperiri & legi injustè.* Aperire litteras alienas & legere, illo, à quo vel ad quem datæ sunt, rationabiliter invito, est peccatum mortale. Navar. *in cap. Sacerdos. de Pœnit. d. 8. n.* 10. & *ii.* & *in Man. c. 18. n.* 53. Reginald. *n.* 11. & *alii,* & quidem apud quosdam Religiosos, etiam reservatum, si litteræ sint à subdito ad superiorem, vel vice versâ, & dolosè retardentur, quò minus ad eum, ad quem sunt destinata, perveniant, vel aperiantur, licet iterùm claudantur & mittantur. Suar. *T. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. c. 18. n.* 13.

Idem est de litteris, si adhuc clausæ legantur ad candelam vel solem: tum quia ex tali lectione sequuntur eadem incommoda: tum quia apertio litterarum est prohibita propter lectionem; ergo si hæc sequitur etiam sine apertione, erit illicita: tum quia quæ in fraudem legis fiunt, à lege prohibita censi debent. Ceterum ejusmodi litterarum apertio & lectio verè mortale est peccatum, quando timeri potest, futurum inde notabile damnum infamiae, aut quodcumque aliud; vel quando justè timeri potest, eà vià deveniri posse in notitiam alicujus rei, quam secretam esse multùm expediat; vel quam is, à quo, vel ad quem mittuntur litteræ ita clausæ, optat vel maximè esse occultam; & damnum, quod ex ejusmodi apertione verè ac re ipsa sequitur, retarciendum est, sive illud sit in bonis futuræ, sive corporis &c. Et licet nullum inde sequatur nocumentum, tamen ipsa injuria, quæ fit aperiendo litteras, tanta esse potest, ut nihilominus attentà qualitate rei, quam quis vult esse secretam, pertingat ad culpam mortalem.

441. Potest verò hæc apertio vel lectio alienarum litterarum quandoque esse tantùm venialiter mala, vel ob inadvertentiam actûs, vel parvitatem materiam, ut si res contenta sit exigui momenti, quàmque adeò parvi æstimet tam scribens: quam accipiens litteras: hoc enim peccatum, si nihil aliud accedat, nec prudenter timeatur, solius est curiositatis. Navar. *l.c.* Lugo, *de Just. D. 14. n.* 148.

442. Imò quandoque omni culpa vacat eadem apertio & lectio, ut si fiat I. tempore

P tempore belli ad avertendum damnum exercitus, reipublicæ. Sic princeps potest aperire litteras non tantum hostium, sed etiam aliorum, quæ tempore belli ex finitimis hostium locis veniunt. Idem etiam possunt ministri Principum, quoties bono publico judicant esse necessarium. Navar. l. c. Reginald. n. 120. Teneantur tamen hi ministri secreta, quæ legerunt, non propalare perinde ac alia secreta. Imò si certò scirent, nihil in talibus litteris contineri, quod esset reipublicæ damnosum, tenerentur desistere ab earum lectione, quia illud solùm licitum est, quatenus est necessarium ad bonum publicum conservandum. Et idcirco etiam non plus possunt legere, quam quantum ad hunc finem sufficit. Reginald. l. c. Quin & privatus potest alienas litteras aperire, ex quibus justè timet, aliquod sibi aut proximo damnum parari, ut illud fugiat, aut impediatur. II. Superiores Regularium possunt suorum subditorum litteras (modò non mittantur ad superiorem majorem, vel talem, quem statuta eximant, nec ab eo veniant) licitè aperire & legere, sive ex Religionis statuto, sive ex consuetudine. Dian. p. 3. tr. R. 55. III. si ejus, qui mittit litteras, vel ad quem mittuntur, accedat tacitus vel expressus consensus, ut cum amicus litteras ad amicum, vel socium missas aperiat, ne illius negotia gravem jacturam patiantur, vel ut melius peragantur: bonà interim fide credens, nihil iis contineri, quod is, ad quem mittuntur, velit ab altero ignorari, sed potiùs talem apertionem placitaram. Navar. ad cap. cit. Sacerdos. de pœnit. dist. 6. n. 10. & seq.

443. Quodsi litteras dilaceratas, & ab ipsomet Domino in locum publicum abjectas recolligas, & junctis partibus legas, à peccato saltem mortali excusant te Laym. l. 3. tr. 3. p. 1. c. 4. n. 4. & alii, quia hæ litteræ pro derelictis habentur. Nihilominus tamen Reb. de just. p. 3. l. 9. q. 7. n. 8. & alii putant, ejusmodi collectorem peccare graviter & leviter, pro ratione damni &c. ex litteris sic collectis & lectis secuti: & merito; non enim talis projectio in publicum videtur esse signum sufficiens, quòd, qui sparsit, velit talia fragmenta habere pro derelictis, & esse primò occupantis, ut iis possit pro suo libitu uti: aliàs licitum quoque esset, fragmenta Confessionis Sacramentalis scripto consignata in publicum projecta colligere & legere, quod non est ulla ratio admittendum. Vide P. Gobat in perdoctio suo Quinario tr. 5. c. 19. n. 80. & in experient. tr. 7. n. 857.

444. Ex occasione prædictorum obiter moneo, fas non esse, publicum instrumentum aut chirographum creditoris de præstata solutione, testimonium de nobilitate, doctoratu &c. amissum suppleri substituto in locum prioris, quod deinceps pro autentico & originali habeatur: esset enim ejusmodi praxis reipub. tam perniciofa, quam ulla alia. Covar. var. resol. c. 2. n. 3. quem refert & sequitur Laym. n. 3. quibus adde Sà V. sol. farins. Mendo.

445. Furtum grave commissi semel, leviter. Non est hic necessariò dicendum, quantum id fuerit, quod furto ablatum est v. g. an decem, triginta, octoginta &c. floreni fuerint; est enim hæc circumstantia merè aggravans, quam Confessio

fessionis materiam necessariam, non esse, jam p. 1. n. 86. dixi, Tamb. in *Meth. Conf.* l. 2. c. 8. §. 1. n. 1. Multò minus necessarium est dicere, an fuerit aurum, vel argentum, aut pannus aut aliud simile: modo explicetur, an fuerit quantitatis notabilis. Reginald. l. 6. n. 114.

446. Quanam verò materia in genere furti notabilis sit, sufficiens ad constituendum mortale? quæ modica nullo jure seu naturali, seu divino, aut humano definitum est; & idcirco iudicio viri prudentis decidendum relinquitur; quæ enim indefinita relinquitur à lege, arbitrio viri boni sunt definienda. L. 1. ff. de jure delib. & cap. de causis, de offic. deleg. Variæ ergo de hoc sunt sententiæ; quarum aliæ sunt nimis laxæ, ut eorum, qui cum Bannes apud Tamb. in *Decal.* respectu ditissimi Regis admittunt centum aureos; aliæ nimis rigidæ; eorum nempe, qui cum Navar. in *Man. c. 17. n. 3. lit. F.* dimidium Julium vel unum, vel etiam duos admittunt: aliæ mediæ, & moderatæ; & hæ ipsæ adhuc valde diversæ, aliis plus, aliis minus requirentibus, ut videre est apud Lugo de *just. D. 16. s. 2. n. 22.* Alii reducunt has sententiæ ad duas fere classes, quarum una gravitatem materiæ in furto delumit ex respectu ad diversas circumstantias, præcipuè personarum, quibus aliquid furto auferitur, scilicet, an sint divites, an pauperes &c. altera absolute & absque respectu ad has vel illas circumstantias.

447. Verùm ego cum Tamb. n. 1. & Reginald. l. 23. c. 1. n. 18. existimo, in definienda quantitate mortalis furti necessario attendendum esse ad perso-

R. P. Stoz Trib. Pœnit,

nam, seu Dominum rei ablatæ, & ad rem ipsam ablatam: furtum enim in duobus fundatur, videlicet in detrimento, quod proximo infertur, & in ejusdem rationabili involuntario, seu displicentia seu molestia, quam proximus ob rem ablatam, percipit: in quo ipso duo adhuc sunt attendenda, quorum unum est, quàm res ablatæ Domino fuerit necessaria; alterum, quanti idem eam rem æstimaverit: si enim ea res nequæ necessaria est Domino, neque is eam magni facit, non censetur gravis fieri injuria per eam ablationem. Unde minus requiritur ad furtum mortale respectu pauperis, quàm respectu divitis; quam enim quantitatem homo dives parvi facit, alius, qui est mediocris fortis seu fortunæ, magni æstimat; & quam hic parvi, pauper magni facit. Ad discernendum autem, quam quisque quantitatem pro magna habeat, putem, potissimum attendendum ad id, quod cuique pro sua persona & conditione sufficiat ab hominem non infimæ sortis sustentandum per integrum diem: talis enim quantitas humano modo non solet reputari modica.

448. Itaque materiam ad furtum mortale sufficientem, secluso omni alio externo damno, iudico, esse unum circiter aureum: respectu communium personarum quatuor vel quinque regales seu julios: respectu demum pauperum, unum vel duos julios. Est autem julius juxta nostram monetam Germanicam decem assium seu crucigerorum, quorum sexaginta conficiunt unum florenum, in Imperio Romano usitatum. Addidi autem *Circiter, & Vel,* quia quantitas hæc non potest statui mathematicè, sed moraliter

Ll

raliter

Stoz

Bunald
nitentia
F III
314

raliter tantum; perinde ut nec iusta pretia consistunt in indivisibili, nisi sint à lege vel consuetudine taxata. Hinc cum malitia & gravitas furti dependeat fere à qualitate personarum, non censenda est quantitas esse parva, nec ab ipsis contemnenda, per quam possint comparare sibi bona ad personales suos usus notabiliter utilia. Et quia, quoad pauperes & personas mediocri fortunæ, quantitas proposita videtur sufficere, ad se iuxta conditionem suam honestè uno die sustentandum; respectu verò personarum divitum ad alios usus, quia licet si spectes usum personalem ipsarum, non multum noceat surreptio unius aurei, notabiliter tamen nocet, si spectes alios usus, ad quos per talem quantitatem notabiliter juvarentur, v.g. ad solvendum servo stipendium, aut ad subveniendam alteri cuiusdam domesticæ necessitati &c. Neque si illi abundant, flocci faciunt rerum suarum abusum, sed eas non minus tutas esse volunt ab injuria, quam velint alii. Et hæc de quantitate furti mortalis: quæ minorem qui assignaret, nimis durus esset, quòd ob rem tam parvam peccati mortalis, atque adeo æterni supplicii reum constitueret: qui verò majorem assignaret, in qua daretur excusatio à mortalitatem aperiret ad furtum liberioris perpetranda.

449. Nec solum in furto attendendum est ad qualitatem ipsius personæ, sed etiam ad voluntatem ejusdem, quàm ei surreptio displiceat & adversetur; sicut enim potest in furto fieri peccatum veniale ratione parvæ materiæ, ita etiam ex imperfectione invitæ voluntatis domini peccatum veniale fieri potest, quod

alioqui mortale foret. Nam ad acceptiorem, in qua consistit natura furti, perinde requiritur, ut ipsa fiat domino invito, ac ut sit rei alienæ: quod bene notandum est uxoribus, liberis, domesticis, inter quos etiam amici sunt reputandi; in his enim major quantitas ad furtum mortale, requiritur, quam in extraneis.

450. Et quoniam furta minuta frequentissima sunt, quæ à fidelibus ad Sacrum poenitentia tribunal perferuntur, idcirco, ut, quid de his tenendum sit, sub unum conspectum dem, rem sic accipe. I. qui rem exigui valoris surripit, cum adhuc animus surripienti in notabili quantitate, v.g. qui cum surripit nummulum plumbeum, voluit furari aureum, peccat mortaliter, non enim id, quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur, ut ex S. Hieronymo habetur. *l. 9. c. 6. cap. fin.* II. qui animo furandi magnam quantitatem, incipit furari modicam, in singulis peccat mortaliter; voluntas enim tendit in objectum grave: singula tamen illæ acceptiones non habent gravem furti externi malitiam. III. qui sine dicta intentione successivè pervenit ad materiam notabilem, peccat mortaliter ultima acceptione: nisi vel inter hanc & priores acceptiones intercedat mora notabilis, ratione cujus lapsus non videatur graviter ferre ultimum furtum, vel ante eandem ultimam acceptionem habuerit quis seriam voluntatem restituendi priorum furtorum materiam: propter ejusmodi enim retractationem ultima illa surreptio nullam amplius cum prioribus habet connexionem, & ipsa in se est levis. *Dian. p. 3. tr. 6. R. 25.* Idem est, si quis in aliis materiis in unam coalescen-

lescentibus, ante ultimam actionem, quâ completur sufficiens ad peccatum mortale materia, de prioribus culpis doleat, & restituendi habeat voluntatem. IV. qui ex industria & consilio congregandi magnam summam à diversis modicum quid furatur, peccat mortaliter, v. g. utendo staterâ vel mensurâ dolosâ, accipiendo à pluribus modicam gabellam &c. modus enim iste augendi rem suam humana societati valde repugnat, & est omni reipublica bene instituta apprimè perniciosus, quin & DEO exosus juxta illud *Proverb. 20.* Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile est apud DELIM. V. si plures communi consilio simul vel successivè faciant uni eidemque personæ plura furta parva, quæ simul sumpta graviter noceant, peccant singuli mortaliter; singuli enim sunt causa totius damni. At si singuli seorsim & independentè ab aliis modicum quid furentur, nullus eorum, etsi furti ab aliis commissi sit conscius, peccat mortaliter, nisi fortè videat simul ab aliis modicum accipientibus vastari v. g. vineam, exhausti ærarium &c. ratio enim tunc dicitur, singulos graviter obligari ad abstinendum, nisi enim singuli prohiberentur graviter, damnum gravissimum inferretur domino. VI. qui, postquam pervenit ad materiam notabilem, committit rursus furta levia, peccat in singulis mortaliter, si memor prioris furti, & cum possit, nolens illud restituere, furetur: quia voluntas in posterius furtum non fertur solitariè, sed simul cum præcedente summa, quæ gravis est. VII. Furta esculentorum, & poculentorum, quæ à famu-

lis committuntur, si sint de rebus ordinariis claudi non solitis, & in proprium commodum auferantur, non autem ut vendantur, etsi paulatim perveniant ad notabilem quantitatem, non sunt peccata mortalia, quia tunc censetur dominus tantum quoad modum, non quoad substantiam invitus. Sanch. *l. 7. Mor. n. 31.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 8.* Less. *l. 2. c. 12. n. 48.* qui tamen *n. 50.* monet Confessarios, nefacile in furtis etiam minutis dissimulent, sed pro conditione & capacitate personarum, semper aliquam restitutionem injungant, quæ fiat vel reddendo eandem rem, si extet, vel pretium rei; vel jubeant majori obsequio, quàm ex contractu teneantur, compensare, ut hoc modo ab hujusmodi peccatis absterreantur. VIII. Famuli tenentur ex lege charitatis, ne res dominorum per fures auferantur, impedire, si facile & sine notabili suo damno possint: ex justitia verò solus ille, cui cura penùs custodiendæ demandata est: qui proinde solus ad restitutionem tenetur. Less. *c. 15. n. 74.* Laym. *tr. 2. c. 5. n. 7.*

451. Sed jam redeamus ad principium, & quid furtum sit, quale peccatum, & quotuplex, paucis explicemus. Est ergo furtum rei alienæ acceptio domino rationabiliter invito. Est peccatum ex suo genere mortale: potest fieri veniale ex parvitate materiæ, & ex imperfectione voluntatis invitæ. Imò potest esse omnino nullum, ut si dominus sit irrationabiliter invitus, quod contingere potest, cum quis in extrema necessitate constitutus accipit id, quod ad eam depellendam sufficit, & requiritur: imò hoc casu omnino non est furtum. Pri-

S 702

Gunnal
nitentia
E M
3 14

ma enim rerum divisio facta est ea conditione, ut, si necessitas occurreret, antiquum suum statum recuperarent, & de novo, saltem quoad usum, inciperent esse communes pro articulo præsentis necessitatis. Quod si aliquis necessitatem etiam extremam patiat in bonis, quæ natura non voluit esse omnibus communia, qualis est status nobilis aut opulentus, non poterit propria auctoritate alteri quidquam surripere, quod ad eum statum conservandum est necessarium. Lugo *D. 16. de just. f. 7. n. 160.*

452. Præter varias furti divisiones duæ sunt præcipuæ & huc faciunt. Una est in furtum simplex & qualificatum. Simplex est, quod supra definitum est, & nullâ circumstantiâ, quæ speciem mutet, vestitum. Qualificatum est, quod eum circumstantia alia & quandoque tali, quæ etiam speciem mutet, conjunctum est: & est præcipuè duplex, sacrilegum, & violentum; istud est, quod fit per quandam violentiam, & dicitur Rapina; illud verò tripliciter fit. I. Cùm res sacra v.g. calix consecratus, in quocunque loco existat, surripitur. II. Cùm res sacra, v.g. idem calix, vel res Ecclesiæ propria, v.g. pecunia ex loco sacro, nempe ex Ecclesia, furto sublegitur. III. Cùm res profana quidem est, sed Ecclesiæ per modum custodiæ singulariter tradita; vel per modum pignoris, depositi, mutui &c. accommodata. In aliis casibus ratio sacrilegii in furto non reperitur: & ideo si quis alicui diviti in Ecclesia esistenti crumenam, aut sellam ad majorem ejusdem commoditatem in Ecclesia positam furetur, non committit sacrilegium: sicut nec is, qui Parocho,

quancunque demum rem, quam ille proprio, non Ecclesiæ nomine, possidet, turatur: & ideo non debet ista, nisi ut simplex furtum confiteri. At verò furtum sacrilegum unum ab altero non differt specie. Tamb, *l. 2. in Actib. Conf. c. 5. §. 2. n. 5.* Et idcirco sufficit dicere; *Sacri egum furtum grave commissi semel.* Et quoniam rapina etiam continet circumstantiam specificam, ideo & hæc specialiter est manifestanda in hunc fere modum. *Rapinam in re gravi commissi semel.*

453. *Vectigal defraudavi bis.* Sermo est de vectigali evidenter justo: si enim vel certum sit, vel probabile, vel etiam dubium tantum, esse injustum, in conscientia non esse solvendum, etiam cùm petitur, communis est sententia. Vectigal ergo justum eo modo solvendum est in conscientia, quo lex illud imponens obligat. Lugo *D. 36. f. 4. n. 39.* Potest autem ea lex condi vel I. ita, ut solvatur vectigal, licet non petatur; vel II. ita, ut nemo teneatur id solvere, nisi petatur; vel III. ut obliget solum ad penam, si fortè quis deprehendatur id non solvisse. Quoniam autem modo lex hæc de facto obliget, non est facile dicere. Existimem, omnino probabile esse, eam legem in conscientia sub peccato non obligare, cùm sit pœnalis, saltem mixtum: communis autem sententia habet, leges pœnales etiam mixtas, præsertim civiles, sub peccato non obligare. Nihilominus tamen consilium Molinæ apud Lugo *n. 43.* observandum est, nimirum monendum esse populum ad solvenda tributa, & bene de iis judicandum, & antefactum omnino consulendum, ne defraud-

fraudentur : post factum verò & tributum jam defraudatum, posse defraudatorem à restitutione excusari.

454. *Salarii defectum tacite compensari semel.* Salarium est merces laboris, & deberur famulis, & operariis, quamdiu laboraverint, aut per ipsos non steterit, quin, postquam conducti sunt, laboraverint. Nec ferè major querela est, quam ministrorum, qui Principibus aut aliis magnatibus suam locaverunt operam, se non habere competens salarium. Sed hi in memoriam revocent, salaria, etiam cum justa sunt, non consistere in indivisibili, sed suam habere latitudinem, ita ut eorum alia consistant in summo gradu, alia in medio, alia demum in infimo.

455. Jam si quis convenit cum domino de pretio justo, licet infimo, non potest sibi facere compensationem, quia nulla ipsi irrogatur injuria. Bonac. *de restit.* D.3. q.7. p.4. n.3. Hinc factores, qui cum domino vestis convenerunt de justo pretio, quamvis infimo, non possunt absque ipsius voluntate, saltem præsumptâ, retinere sibi reliquias notabiles panni vel serici titulo modici pretii. Dian. p.3. tr.6. R.16. § p.4. R.176.

456. Quod sitamen stipendium sit infimo, sed adhuc justo, minus, duo sunt præcipuè consideranda. I. an famulus, sciens eam tenuitatem, nihilominus spontè, & verò etiam cum precibus, ut admittatur, nullo singulari ipsius domini conductoris commodo, paciscatur de eo stipendio; tenetur enim tunc eo esse contentus, nec potest quidquam amplius petere, aut tacite compensare: sicut enim merces, ita & operæ ultroneæ vilescunt. Bonac. D.3. *de restit.* q.7. p.3.

n.6. Laym. l.3. tr.3. p.1. c.1. n.10. Quod si verò famulus dura necessitate compulsus consentit in tam tenue stipendium, quia nimirum nunc non est, cui suam operam majori pretio locari possit, nec is, cum quo nunc agitur, plus dare vult, stipendium ex justitia supplendum est usque ad æquivalentiam, præsertim si istius famuli opera fuit ipsi necessaria & valde utilis. Less. l.2. c.12. d.10. n.63. Bonac. *de restit.* D.1. q.ult. p.2. n.16.

457. Considerandum est II. an cum tenuitate stipendii conjuncta sint alia emolumenta, eaque non modica, quibus servitium præstitum vel præstandum videtur sufficienter compensari, v.g. commoditas studendi, opificium, artem musicam, seu vocalem seu instrumentalem &c. addiscendi, spes promotionis ad majora officia, beneficium &c. hæc enim sunt magno æstimabilia, & idcirco merito venire possunt in partem stipendii. Quod si jam famulus tali domino suam locet operam cum animo tale aliquod emolumentum percipiendi, & dominus hanc famuli mentem advertat, ex justitia tenetur supplere, si famulus nihil eorum, quæ speravit, percipiat: quia hoc tacite in contractum venit. Less. *loc. modò* interim id sedulo caveat famulus, ne intendat hoc pacto dominum obligare ad procurandum beneficium Ecclesiasticum: hæc enim esset Simonia. Less. c.24. d.4. n.26. Quando verò famulus obsequia, stipendio majora, velit gratis liberali animo, ex pietate &c. præstare, dominus ex justitia illi nihil debet, sed solum ex gratitudine. Bonac. D.1. q.ult. p.2. n.15. § D.3. q.7. p.4. n.5.

458. Sed quid si famulus nullo sui laboris

boris determinato pretio suam alteri ad-
dicat operam, sed in Domini arbitrio re-
linquat, poteritne Dominus dare, quod
lubet? Non poterit: tenetur enim dare
saltem infimum; cum famuli mens nullo
modo sit, ut Dominus quantitate pretii
determinet ex mero suo arbitrio, sed ex
æquitate, quæ omnino requirit, ut detur
saltem infimum justum. Less. n. 24. Bo-
nac. *dist. p. 4. n. 10.*

459. Nec est stipendium, etsi famu-
lus propter morbum, quo detinetur, la-
borare nequeat, diminuendum pro tem-
pore infirmitatis; si quidem consuetudo
& conventio id ita ferat. At seclusa ista
consuetudine vel conventionem non est sol-
venda merces pro tempore morbi: quia
stipendium solvitur ob operas quotidia-
nas. Bonac. n. 13. & alii, quos refert. Ne-
que enim Dominus tenetur ex iustitia fa-
cere expensas in ægrotum famulum; non
enim ullo jure constat, hanc obligatio-
nem, seclusa consuetudine aut pacto, ad
Dominum spectare, modò famulus non
existat in extrema vel gravi necessitate;
tunc enim Dominus tenetur saltem ex le-
ge charitatis famulo ægro subvenire. Bo-
nac. *l. cit.*

460. Quin nec famulo, qui termino
nondum elapso decedit à famulatio, de-
betur tota merces, sed tantum pro rata
temporis præteriti, nisi pactum vel con-
suetudo aliud permittat; aut etiam com-
pensatio damni, quod Dominus ex præ-
maturato isto discessu patitur, exigat: tunc
enim vel totum stipendium negari potest,
vel saltem quantum respondet damno il-
lato. Bonac. n. 12.

461. Ceterum, si operatio, famulo, vel
cuicumque alteri officiali non omnino cer-

tum sit, stipendium constitutum esse infra
infimum justæ mercedis gradum, non po-
terit ex rebus Domini facere compensa-
tionem: quia in dubio, an aliquid ex iusti-
tia debeatur, non habet locum compen-
satio, ut Fill. *tr. 36. c. 6. n. 103.* Less.
dicto dubio 10. n. 48. & alii communiter
merito docent. Quando autem constitu-
tio mercedis clarè injusta est, tunc enim-
verò poterit fieri tacita compensatio. Fill.
n. 105. Less. n. 63. Bonac. *D. 1. de restit.*
quib. p. 2. n. 16. Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1.*
n. 10. Tolet. *l. 5. c. 15.* qui insuper rectè
monent, id locum duntaxat habere, cùm
modus alius justam mercedem commode
impetrandi non superest (nam si talis
modus superpetat, peccabit quidem occul-
tè accipiendo, sed ad restitutionem non
tenebitur. Tolet. *l. c. & alii.*) nec plus
accipiatur, quàm debetur, neque scanda-
lum aut aliud grave incommodum alteri
sequatur. Longè aliter docuerunt illi,
quorum sententia est propositio 37. inter
69. à S. D. N. Innocentio XI. prohibi-
bitas.

462. Eodem modo discurrendum est
de filio v. g. mercatoris, vel cauponis,
qui administrat bona parentis: nam &
hic, seclusa alia seu tacita seu expressa con-
ventionem, potest à patre exigere salarium,
perinde ut alius extraneus, cui quoad hoc
comparatur, & si id impetrare non possit,
vel exigere non ausit, potest clam accipe-
re. Dian. *p. 4. tr. 4. R. 66.* & alii: quod
Laym. *cit. tr. 4. c. 8. n. 6.* judicat probabile,
& ipsi etiam Confessariis favorabile est,
ut cum tali filio familias mutuus agant,
nec facile urgeant ad restitutionem, nisi
ultra æstimationem sui laboris aliquid
acceperit.

463. Ne verò isti, qui queruntur sua stipendia esse justo minora, seipos, velut suspecti in propria causa iudices, decipiunt, & a qua illis patefiat ad iustam stipendii determinationem, ea non est stipendium arbitrio relinquenda, sed ex loci, in quo ejusmodi operarii, famuli vel officiales occupantur, consuetudine communiter recepta taxandum. Id ergo censetur esse iustam stipendium, quod alii ejusdem sortis & conditionis operarii, famuli &c. communiter accipiunt; seu quando non desunt quàm plurimi alii, qui sponte nulla necessitate &c. compulsi intervenire velint pro eodem stipendio: res enim tanti valet, quanti aestimatur: vel quando de tanto pretio liberè convenitur inter herum & famulum. Less. c. 24. d. 4. n. 23. Bonac. d. 3. q. 7. p. 4. n. 9. Fill. tr. 36. c. 6. n. 102. & seq. sicut enim contractus praesumitur celebrari juxta loci consuetudinem, ita etiam taxari pretium rerum, v.g. laborum à famulis exhibitorum. Illud interim extra aestimationem non est dimittendū, quod etiam jam supra insinuavi, quòd, sicut multitudo vendentium minuit pretium mercis, ita & multitudo cupientium suam alteri operam lassare, quantitatem stipendii seu mercedis. Molin. T. 1. tr. 2. D. 83. Valq. de restit. c. 5. §. 1. d. 10. quos refert & sequitur Laym. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 10. quibus adde Lessium c. 12. d. 10. n. 63.

464. *Auxilium pretii ex rebus alienis venditis comparati mihi servari ter.* Sunt quibus Dominus vestem, libros, aut simile quid vendendum committit, designato pretio: & hi *proxenetae* vocantur; suamque domino venditori operam exhibere possunt, vel gratis, vel constituta

mercede pro labore & diligentia in venditione rei adhibenda, vel cum expreso vel tacito pacto de retinendo excessu. Si primum, proxeneta nec excessum pretii ex re vendita comparati retinere potest, nec quidquam aliud ex iustitia exigere. Si secundum, iterum non potest retinere illum excessum. Nec refert, quòd dominus pretium designaverit: non enim ideo proxeneta praesumere potest, dominum velle ipsum excessum, velut laboris & industriae praemium relinquere, cum de mercede sit utrinque conventum: & designatio pretii videatur solùm facta, ne res minori pretio vendatur, non autem ne majori, si forte occasio terat: hic enim debet esse sensus mandati. Si tertium, potest retinere excessum pretii. Tacitum autem pactum intervenire censetur, si dominus commiserit proxenetae venditionem nullo pro ejus labore & diligentia stipendio promisso: censetur enim pro stipendio concedere id, quod ultra pretium designatum acquisitum est, modò non nimium excedat diligentiam, & laborem; non enim mens domini videtur esse, de excessu nimis magno retinendo, sed de eo, qui industriae & labori respondeat. Less. l. 2. c. 21. d. 19. n. 138. Bonac. D. 1. de restit. q. 2. p. 6. n. 16. Fill. tr. 35. c. 6. à n. 144. Lugo D. 26. de just. s. 9. n. 199. & seqq. Palaus tr. 32. D. 4. p. 16. & alii. Quando autem famulo res committitur vendenda, tenetur excessum domino referre, si ordinariam duntaxat & moralem industriam adhibuit in vendendo; ad hanc enim ex famulatu tenebatur: si autem per industriam extraordinariam rem pluris vendidit, quàm communiter valeat, potest retinere, quod superest, ut pote

fru-

fructum suæ industriæ. Tamb. *de sacrif.* l.3. c.1. §.5. n.16. prope finem. Bonac. *D.1. de restit.* q.2. p.6. n.19.

465. Quodsi verò proxeneta rem illam pretio à Domino indicato sibi compararet, & postea suo nomine plus venderet, non faceret contra Justitiam, ac proinde nec ad restitutionem obligaretur: quia eam justo pretio sibi à Domino comparavit, & postea justo pretio suo nomine vendidit. Bonac. n.17. nisi fortè Dominus expressè ei mandasset, ut rem venderet tanti, quanti intra latitudinem justii pretii vendi posset: tunc enim teneretur eam diligentiam adhibere, & rem illam eo pretio, quod alii obtulissent, sibi vendicare. Less. n.139. Fill. n.146. Ut autem sciri queat, an mediator ille rem suo vel mandantis nomine vendere voluerit, videndum est, quo animo fuerit, voluissetne rem illam, si quocunque casu vel tempore periret, sibi potius, quàm alteri perire; hic enim animus indicio esset, illum rem, utpote sibi emptam, suo, non alterius nomine vendidisse. Lugo n.152. Ex quibus breviter

466. Patet, quid sentiendum sit de sartoribus, quibus, cum ex mandato alterius emunt pannum vel fericum pro veste conficienda, mercatores solent aliquid de pretio remittere: poterunt enim sartores eam partem retinere, si sincerè ac fideliter agant negotium illius, pro quo mercem emunt, neque apud alios mercem æque bonam minori illo pretio reperissent. Lugo n.153. Fill. n.149. Dian. p.1. tr.8. R.26. Bonac. n.15. Aliud est, si ejusmodi mandatarius rem mandantis non gerat utiliter, v.g. si accedat ad officinam alicujus, ibique rem majori pretio

emat, quàm empturus fuisset, si ad alterius officinam accessisset: tunc enim teneretur incrementum pretii restituere, eò quòd infcio & invito illo, cujus negotium suscepit, infideliter egerit: cum mandatum illi commissum intelligatur, ut minoris emat, quantum potest. Bonac. l.c. Idem est de œconomis, & quibuscunque aliis seu famulis seu ancillis ad forum missis, ut cibaria &c. emant: nam & hi non possunt sibi servare eam pretii partem, quam post nundinationem ex pretio astimationis detraxerunt.

467. *Rem furtivam emi semel.* Si quis id bona fide faciat, de vitio rei nihil sciens, vel dubitans, non peccat quidem emendo; tenetur tamen rem illam restituere, si adhuc apud emptorem extet in se vel æquivalenti; vel certè in quantum factus est ditior. Quodsi autem mala fides intercessit in ea emptione, emptor & peccavit, & æquè tenetur ad restitutionem faciendam, vel Domino rei, ut Bonac. q.4. p.1. n.1. docet, et si pretium solum non esset recuperaturus; vel, quod Lugo *D.17. s.2. n.37.* Dian. p.2. tr.3. *Miscell. R.4.* & alii docent, ipsi fur, ut ab eo recuperet suum pretium; quia non constituit rem pejori loco, quàm fuerit antè, & consequenter Domino non infert damnum. Ex quibus obiter

Patet, eos, qui à sartoribus emunt fragmenta panni seu vestium, peccare: ut Villalob. apud Dian. p.4. tr.4. R.176. tradit; licèt Sanch. apud eundem Dian. excuset eos, qui ista emunt à sartoribus magistris, eò quòd his plerumque detrahatur plus à mercede justa, quàm mereantur ista fragmenta, adeoque licitè ea retineant.

468. Pecunias à parentibus ad necessaria comparanda (vel ad victum, ad libros emendos) collatas in notabili quantitate inutiliter consumpsi semel: v.g. in lusus, comotationes &c. Et est ipsis facienda restitutio, si constet, eam profusionem contra ipsorum voluntatem esse factam.

469. In lusu defraudavi alium re gravi semel: re levi ter. Ludus est certamen quoddam susceptum ad competentem animi oblectationem, cui, ne omnino langueat, adjungi quandoque solet pactum vel contractus, ut victori res ab utroque exposita cedat. Ex natura sua non est illicitus, si debita concurrant conditiones, & aliunde non interveniat scandalum, aut justa prohibitio, aut nulla se iniquitas misceat, aut peccandi occasio. Condiciones autem ad ludum justum & licitum requisitæ sunt fere hæc. I. est, ut ludens possit liberè disponere de re, quam ludo exponit: aliàs non poterit dominium rei illius in alium transferre. Et ideo qui à Religioso, non potente alienare, lucratus est, tenetur restituere. Laym. l.3. tr.4. c.21. n.5. & alii. II. Ut alter alterum ad ludum non pertrahat per vim, opprobria, dolum, aut aliam injuriam. Bonac. D.2. de restit. q.3. p.2. n.1. Tamb. l.8. in Decal. tr.2. c.9. §.1. n.5. Lugo de just. D.31. f.2. §.2. n.28. Less. l.2. c.26. d.2. n.9. aliàs qui metu incusso alterum ad ludum pertraxit & lucratus est, tenetur restituere. III. ut ludens non utatur fraudibus: de qua conditione postea pluribus. IV. ut utriusque colludentis sit æqualis conditio: in contractibus enim servanda est æqualitas, nisi contrahentes cedant suo jure. Et ideo qui ludendi peritiã alterũ longè superat, cer-

R. P. Stoz. Trib. Penit.

rúsque adeò mortaliter est, se lucraturum, non potest lucrum acquisitum retinere; etsi nullam aliam fraudem, vel simulationem, quã alium ad ludendum induceret, adhibuerit. Lugo §.4. n.46. Dian. p.4. tr.4. R.186. & p.7. tr.9. R.29. Bonac. n.4. Si tamen imperitior alterius colludentis excessum, vel ab eo monitus, vel alia ratione nõrit, & nihilominus velit ludere, Dian. p.7. tr.9. R.31. Bonac. l.c. & alii communiter docent, peritiorẽ posse lucrari, quia scienti & volenti nulla fit injuria. Sed Lugo n.50. id non admittit, nisi ex circumstantiis præsumatur spontanea donatio, uti præsumi potest, si res sit parva, vel quando alter generosus, & liberalis est, vultque eã jaçturã ludi delectationem emere.

470. Ceterum fraudes, quibus inter ludendum utimur, aliæ sunt licitæ, aliæ illicitæ. Illæ sunt, quæ vel ex mutuo consensu, saltem tacito, vel juxta regulas ludi, aut consuetudinem receptam adhibentur; & numerantur fere hæc. I. si quis advertens, se certò lucraturum, auget sponsonem, vel, ut augeat adversarius, simulat metum. II. si quis sciat, se inferiores chartas habere, atque ideo se vincendum, potest simulare, & augere sponsonem, ut alter timeat, & recuset, ac relinquat ipsi, quod erat appositum. III. si inspiciat chartas alterius ex sola ipsius negligentia, & absque fraude. IV. Potest tacere, si videat alterum in numerandis signis errare, aut plures accipere chartas, quàm deberet: ob quem excessum debeat postea perdere, quod est appositum. V. si inter ludendum disceat à tergo nõsse chartas, quas antè non signavit, nec novit. VI. Potest quis numerare pauciora pun-

M m

ta,

cta, quàm habet, &, postquam adversarius exhibuerit plura, potest ipse licitè exprimere, quæ habet, & sic lucrari. Lugo *n. 34.* Dicast. *de just. l. 2. D. 5. d. 3. n. 9.* Diana *cit. p. 7. tr. 9. R. 43.* & alii.

471. At verò fraudes illicitæ sunt. I. Si quis chartas occultis notis designet, ut eas à tergo dignoscat. II. Si plura puncta in se numeret, vel pauciora in adversario. Si tamen videat, adversarium non omnia puncta numerare, quæ si numeraret, lucraretur, non tenetur illum admonere; hæc est enim lex ludi, ut error proprius noceat erranti. Sed nec circumstantes tenentur ex justitia de illo errore monere, nisi ea cura illis esset demandata. Lugo *n. 36.* Bonac. *n. 2.* & alii, quos Diana *R. 44.* refert. III. si primum locum ex industria occupet, quando non ad se, sed ad adversarium atinebat: & is multum confert ad lucri eventum. IV. si defraudet numerando pecuniam, ludo perditam, & debitam. V. si arte componat chartas, ut non casu, sed ex certa dispositione sibi meliores obveniant. VI. si dicat & fingat, se habere chartas, quas non habet, & adversario credente & non curante, sua fictione vincat. VII. Si ex industria ita se componat, ut sui adversarii chartas videre possit: secus, si casu & ex negligentia adversarii eas videat. VIII. Si ab aliquo circumstantium per signa accipiat notitiam de chartis adversarii, ut videlicet scire possit, quando debeat acceptare, vel recusare adversarium, augentem sponsonem. Lugo *n. 35.* de quibus etiam Diana *R. 44.* & *seqq.* videndus est. Qui his fraudibus utitur, tenetur restituere saltem id, quod est iniquè lucratus. Bonac. *n. 6.*

472. Denique etiam preces & alia pia opera v.g. pro animabus purgatorii solvenda proponi possunt, modò in iis postea persolvendis debita reverentia adhibeatur. Lugo *f. 1. n. 5.* Bonac. *p. 1. n. 8.* Diana *R. 41.* Nec est, si preces in ludo honesto utrinque solvendæ proponantur, periculum ullius simoniæ incurrendæ; sicut esset, si uno preces proponente, alter quid temporale solvendum proponeret: rem enim spiritualem pro spirituali commutare, non est prohibitum, nisi de Jure humano in certis materiis, v.g. in beneficiis.

473. *Detrahentibus fama aliena in re gravi aures præbui semel: in re levibus.* Qui est causa gravis detractionis, tacite vel expressè ad eam alterum impellendo ac movendo, peccat mortaliter contra charitatem & justitiam: contra charitatem quidem, quia infamanti præbet scandalum. Arg. *cap. Ille, qui & seqq. 22. q. 5.* contra justitiam verò, quia dat causam injustæ infamationis. Lugo *de just. D. 14. f. 8. n. 123.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 3. n. 14.* Bonac. *de restit. D. 2. q. 4. p. 11. n. 1.* Fill. *tr. 40. c. 4. n. 121.* Less. *l. 2. c. 11. d. 4. n. 39.* Quod si tamen utrique exiguum detrimentum à delinquente inferatur, veniale tantum peccatum est: sicut & si quis arbitretur, detractionem fore levem, detractor verò præter intentionem erumpat in gravem. Laym. *l. c.*

474. Quin & is, qui, etsi non sit causa detractionis, eam tamen auditâ delectatur, peccat ex suo genere mortaliter contra charitatem: hoc enim ad odium spectat, si delectatio de jactura alienæ famæ per se & directè in eam tendat. Bonac. *n. 4.* si verò per accidens ob detrahentis facun-

facundiam, rei novitatem, est peccatum veniale. Bonac. n. 5. Laym. l. c.

475. Quod si verò auditor neque sit causa injusta infamationis, neque eà audità delectetur, adhuc peccat mortaliter contra charitatem, si, cum absque gravi suo incommodo possit, non impediatur, vel redarguatur, sive expressè, sive tacitè; quod fit v. g. discedendo, sermonem avertendo, vultum tristem exhibendo; nam aquilo dissipat pluviam, & facies tristes linguas detrahentium. Proverb. 25. At si non impediatur, vel ex verecundia rationabili ob auctoritatem detrahentis, vel ex metu alicujus non levis mali, sibi alioqui certò vel probabiliter eventuri; vel quia non sperat, se sua admonitione quidquam profecturum, omnino non peccat. Bonac. n. 7. Lugo à n. 126. Quod autem attinet ad delectationem de detractione, debet se accusare, ut n. præc. dixi: de inductione verò ad detrahendum, ut paulò post de scandalo dicetur.

476. Cum proximo rixatus sum semel. Rixa vulgariter confundi solet cum contentione, sed non rectè: hæc enim in verbis consistit, illa in factis proximum lædentibus; & definiri solet: altercatio factis, quibus unus alterum lædere conatur, exercita, v. g. in lutum projiciendo, cædendo pugnis &c. unde est quoddam bellum auctoritate privata susceptum. Est peccatum mortale ex suo genere, saltem ex parte invadentis. Fill. tr. 28. c. 9, n. 201. nam ex parte invasi vel nullum est peccatum, si sit ad justam sui defensionem, nec excedat modum inculpatæ tutelæ: vel solùm veniale, si eum modum excedat parùm: si enim excedat notabiliter, erit etiam mortale. Fill. n. 202. Po-

test quoque fieri veniale ex parvitate materiæ, ut fit, cum parvi pueri inter se pugnis decertant. Coninch. de charit. D. 32. d. 1. n. 1. Discordiam gravem seminavi semel: levem quinquies. Quid discordia fit, & quale peccatum, n. 145. expliatum est.

477. Inimicitias graves seminavi semel: leves ter. Est autem inimicitia nihil aliud, quàm odium, quo personæ alicui malum volumus, vel quia nobis molesta est, & vocatur odium abominationis; vel præcisè quia malum ipsius est; & vocatur odium inimicitia. Utrumque est ejusdem speciei, & ex suo genere peccatum mortale: fit veniale ex defectu advertentia, vel parvitate materiæ.

478. Et quoniam occasio ita fert, addamus pauca de dilectione inimicorum. Itaque tenemur I. Inimicos non tantum non odio prosequi, sed etiam eos positivè amare: id quod Matth. 5. v. 43. expressum est his verbis: Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros. Hinc de malo inimici non licet gaudere, quia malum ipsius est, v. g. non possumus gaudere, hostem insigni clade esse ad internecionem delerum; præcisè ex eo, quod strages ista sit ipsi illata: hoc enim est peccatum mortale, cum malum sit magnum. At verò de eadem clade gaudere idcirco, quia per eam à Republica remotum est tam grave flagellum, non est peccatum: quia gaudium non tendit in cladis illationem, sed liberationem à malo, quod alioqui incumbebat Reipublicæ. II. Tenemur inimico in necessitate constituto succurrere: & III. eum à generali affectu, & beneficiis, quibus alios prosequimur, non excludere. Coninch. de charit. D. 24.

Mm 2

d. 6.

P
d. 6. n. 85. Suar. *de charit. D. 5. f. 5. n. 7.*
Et alii: nam neque DEUS inimicos suos à generali affectu omnes salvandi, & communibus beneficiis, quæ humano generi præstat, excipit: facit enim Solem suum oriri super bonos & malos, Et ideo peccat, & quidè ex genere suo mortaliter, qui, cum orat pro aliqua comunità, excludit inimicum, nolendo illum esse participem suarum precum. Si tamen causa justa aliud suadeat, non est illicita ea exclusio à communibus beneficiis. Sic si eleemosyna impertienda non sufficiat omnibus, possunt excludi calumniatores: tunc enim excludis inimicos, non quia inimici sunt, sed quia non potes omnibus succurrere. Coninch. *n. 87.*

479. At verò specialia benevolentiae, amicitiae, & familiaritatis signa nemo tenetur inimico exhibere. Coninch. *n. 89.*
Et alii apud ipsum: quia nemo plus tenetur diligere inimicos, quam alios: sed aliis non tenemur semper specialia benevolentiae signa exhibere; ergo nec inimicis. Hinc I. qui dissolutam amicitiam aut familiaritatem, quam cum altero habuit, non vult illum alloqui, salutare, aut in pristinam familiaritatem admittere, non tenetur: sicut nec tenetur inimicum ægrotum invisere, mæstum solari, hospitio excipere &c. hæc enim sunt signa benevolentiae particularia, quæ communiter non solemus omnibus exhibere. Coninch. *n. 91.* Suar. *n. 8. § 9.* Laym. *l. 2. c. 4. n. 2.* Quodsi autem inimicus prius te salutet & alloquatur, non solum contra urbanitatem, sed etiam contra charitatem est, non resalutare. Bonac. *d. 3. de char. q. 4. p. 3. n. 4.* modò, ut idem notat, saluatus non sit longè emi-

nentioris conditionis. Imò si petat veniam, debes eam dare, & injuriam illatam remittere. Bonac. *n. 5.* cum Reginaldo *l. 17. n. 124.* Valen. *T. 3. D. 3. p. 3.* & aliis, quos refert. Regulariter verò is, qui potius offendit, debet veniam & reconciliationem petere. Bonac. *n. 6.* Quodsi tamen negatio reconciliationis ex odio vel vindicta procedat, nec læsus ab eo proposito velit desistere, peccat mortaliter, nec absolvendus est à Confessario, donec deponat odium. Bonac. *n. 3.* Sæpe etiam omisio illa conjunctum habet scandalum non leve, quod similiter ex obligatione gravi auferendum est.

480. II. Etsi decens sit, & christiana charitati conforme, satisfactionem pro injuria illata condonare, quod docent Azor & alii apud Bonac. *n. 5.* læsus tamen ad id non est urgendus importunè; quia cum judex possit injuriantem punire, etiam læsus potest id ipsum petere: modò sine animo vindictæ vel odii; sicut enim non licet vindictam privata auctoritate sumere, ita neque licet aliquid ex odio vel spiritu vindictæ facere. Bonac. *n. 5.* Nihilominus quia pauci sunt, qui sua jura coram iudice prosequi possint, secluso affectu odii, vel vindictæ; idcirco omnino suadenda iis est sententia Azorii. Et licet injuria ex animo condonanda sit; nemo tamen tenetur eò conniti, ut ex memoria pellatur, cum id sit valde difficile, & quibusdam etiam impossibile, ut ex Silvestro *V. Charitas. q. 6.* notat Laym. Alia est ratio parentum, Prælatorum &c. hi enim possunt correctionis causâ subditos in se peccantes à communibus beneficiis, & amoris indicis excludere. Laym. *n. 2.* modò id non fiat ad longum tempus, aut cum scandalo.

481. *Proximum graviter delinquentem non correxi semel.* Correctio fraterna est admonitio per se primò ordinata ad proximum à peccato revocandum. Est actus vel misericordiæ, vel Charitatis Theologicæ secundùm diversa motiva, ex quibus procedit. Darur de ea verum præceptum. Palauus *D.3. p.1. n.2.* Suar. *D.8. s.1. n.3.* & *T.4. de relig. tr.10. l.10. c.7. n.10.* Est affirmativum, ac proinde juxta communem sententiam non semper obligat, sed certò tantùm tempore, certisque circumstantiis concurrentibus, quarum aliæ se ex parte materiæ, seu peccati corrigendi; aliæ ex parte personæ corrigentis; aliæ ex parte personæ corrigendæ tenent.

482. Ex parte materiæ requiritur I. ut peccatum sit commissum. Palauus *p.2. n.2.* colligitur ex illo *Matth. 18.* & *Luca 17.* ubi dicitur, si peccaverit, non si peccaturus est; his enim tacitè insinuatur, correctionem supponere lapsum. Nihilominus si proximus in solo peccati periculo constitutus sit, adhuc id impediendum est, non quidem vi correctionis, sed vi defendendi honoris divini & boni proximi. Palauus *l.c.* Suar. *T.4. de relig. tr.10. l.10. c.8. n.3. & 8.* Coninch. *D.28. d.3. n.35.* & alii. II. ut peccatum nondum sit emendatum, aliàs correctio esset inutilis. Tanner. *T.3. D.2. q.5. d.4. n.78.* Suar. *D.8. s.2. n.1. ex communi.* III. Ut constet, peccatum esse commissum. Tanner. *n.79.* Palauus *p.4.* Coninch. *d.6. n.87.* Suar. *s.3. n.1.* aliàs non poteris corrigere, Nemo privatus, etiam Confessarius, tenetur, imò nec potest in aliorum delicta inquirere. hoc enim esset nimis odiosum, & natum ad alios turbandos, variatque suspiciones & indignationes excitandas.

Prælati tamen & pastores suorum subditorum delicta investigare non prohibentur: ratione enim officii hanc facultatem acquisierunt. Modum autem, quem Prælati in subditorum vitam inquirentes debent servare, fusè explicat Lessius *l.2. c.19. d.12.* Judicia tamen temeraria, & suspiciones vanæ, ne in hoc misericordiæ genere bona existimatio, proximo debita, temerè lædatur, diligentissimè sunt cavendæ.

483. Ex parte corrigentis requiritur I. potentia, ut nimirum possit corrigere. Poterit autem quisque, etiam privatus, etiam peccator corrigere; omnes enim tenentur jure divino: & sola Sacramentorum administratio requirit in ministro gratiam. II. ut nullum tum ipsi corripienti, tum aliis notabile damnum, cujus meritò potior habenda sit ratio, immineat ex ea correctione. Tann. *n.79.* Palauus *p.6. n.1.* Coninch. *d.6. n.124.* Bonac. *cit. q.4. p.7. n.11.* Dian. *p.4. tr.4. R.228.* & *p.7. tr.3. R.26.* tam gravis enim obligatio repugnat suavitati legis Christi; non est ergo fidelibus imponenda, nisi fortè in extrema vel quasi extrema necessitate æternæ damnationis proximi: de qua re videndus est Palauus *n.4.* & Diana *cit. p.7. tr.3. R.27.*

484. Ex parte denique corrigendi requiritur I. ut sit probabilis spes secuturæ emendationis. Tann. *n.83.* Suar. *s.3. n.2.* & 3. Palauus *p.5. n.1.* & 3. *ex communi:* aliàs correctio esset otiosa, imò & nociva, cum non in utilitatem, quàm detrimentum proximi cessura esset. Si dubium sit, an profutura sit; certum autem non nocituram, adhuc est adhibenda. Palauus *n.5.* Coninch. *n.92.* Dian. *p.3. tr.5. R.93.*

& p. 4. tr. 3. R. 72. omittenda autem in dubio, an sit nocitura. Suar. n. 3. Coninch. n. 93. Palaus n. 4. Dian. p. 7. tr. 3. R. 22. & alii; extra quidem articulum mortis, in hoc enim corrigendus est proximus, etsi timeatur, ut evadat deterior. Palaus n. 6. Coninch. n. 94. Suar. l. 6. II. ut correctio censeatur esse moraliter necessaria, ita ut non sit probabile, peccantem sine ea aliunde, vel à se vel ab alio emendandum. Tan. n. 83. Coninch. n. 115. Palaus p. 6. n. 5. Suar. n. 7. Unde si delinquens sit homo alioqui timorata conscientia, qui speretur facile surrecturus, nec in periculo ulterius ob meam omissionem peccandi constitutus, non teneor illum corrigere; nam sola perseverantia in peccato commisso, non inducit obligationem corrigendi proximum. Palaus p. 2. n. 6. Coninch. n. 117. Dian. R. 11.

485. Jam si prædictæ conditiones concurrant, correctio est omnino adhibenda, & quidem statim. Suar. n. 8. *ex communi*: nisi causa justa suadeat illius dilationem, v. g. si ipse sit, proximum alio tempore fructuosius emendandum. Palaus p. 6. n. 6.

486. Est autem obligatio adhibendæ correctionis fraternæ ex suo genere gravis. Potest fieri levis ex parvitate materiæ, si nimirum materia sit levis: nulla, si vel una ex conditionibus prædictis desit, aut pudor vel verecundia mereret. Suar. n. 5. Palaus. n. 2. Diana p. 4. tr. 4. R. 228. Navar. c. 14. Man. n. 26. Debet tamen hic pudor & verecundia esse gravis, quam etiam cordatus nequeat facile superare: nam ob levem pudor-

rem non est facile omittenda correctio, aliàs nunquam fieret. Si enim in communibus necessitatibus tenetur etiam privatus corrigere peccantem, etsi sit delinquendus, aut aliam levem injuriam passurus; multò magis debet, licet pudorem patiat. Coninch. n. 126. Ex quibus omnibus breviter. Patet, privatum aliquem non facile peccare mortaliter, si omittat correctionem ex aliquo timore: quia facile sibi persuadet, & sæpe probabiliter, se vel nihil effecturum, vel alterum sine sua opera emendandum. Coninch. n. 127. Dian. p. 4. tr. 4. R. 228. & p. 7. tr. 5. R. 61. & alii.

487. Est denique aliquis ordo in fraterna correctione servandus, & quidem ille ipse, quem Christus *Matth. 18.* præscripsit, videlicet I. ut peccatum corripias secretò. II. Si hæc privata monitio non sufficiat, coram testibus. III. Coram Ecclesia, id est, Prælati, & Pastoribus. Potest tamen hic ordo quandoque prætermitti: & quidem I. si delictum sit publicum. II. si quis suo jure cessasset, ut possint sua delicta immediatè ad superiorem deferri; ut cedunt quidam nonnulli Religiosi, præsertim Societatis JESU, quorum constitutiones etiam quoad hoc à summis Pontificibus approbatæ sunt, Tann. n. 106. Suar. f. 6. n. 8. Diana p. 3. tr. 2. R. 37.

488. *Importunis vexationibus creari alteri molestiam, ter: vel concitati ad impatentiam semel.* vexationes si verbis fiant (ut plerumque solent) inter peccata oris recensenda sunt sub nomine verborum charitatem proximi offendentium. Sunt vexationes plerumque tantùm peccata

cata venialia: possunt fieri mortalia, si iis proximus ad peccatum mortale concitetur.

489. *Totam curam animarum Capellano reliqui, ita ut nihil eorum, quæ ad eam spectant, ipse unquam egerim.* Est hæc commissio contra finem residentie in propria parochia. Est etiam contra rationem totius officii Parochialis; qui enim aliquod officium gerendum suscipit, simul etiam tacite obligat suam personam ad proprias illius functiones præstandas: & nisi crederetur id facturum, nunquam ad illud officium eveheretur; nunquam enim Princeps constitueret gubernatores urbium, provinciarum &c. præfectos arcium &c. qui putantur non per se, sed per alios, licet æquè dignos, vel forte etiam digniores administraturi. Unde Parochus, qui licet in loco sui beneficii commoretur, non tamen ipse suum officium in persona præstat, ex mente Concilii Trident. non est censendus residere, ut notat etiam Sylvester V. *Residentia, in principio*: idem enim est inutiliter adesse, quod abesse, ut apud Barbos. *de Parocho c. 8. n. 40.* docet Carranca *de Resid. Episcop. c. 3.* Et ideo non immeritò in *cap. Inter corporalia, de Translat. Episcop.* dicitur, illam Ecclesiam viduam esse, quæ licet Episcopum habeat, (idem est de Parocho) inutilem tamen perhibetur habere: quis autem inutilior illo, qui cum alicui ministerio exercendo sit addictus, eorum tamen, quæ ad illud spectant, agit nihil: & ideo tales verè non sunt Parochi, sed umbra potiùs & simulachra Parochorum: & cum in re gravi desint suo officio, peccant mortaliter, & in conscientia non sunt securi. Nec obstat,

quòd juxta 72. *Regulam juris* censeatur quis per se facere, quod per alium sibi substitutum facit; hoc enim tum tantum verum est, cum alicujus cura & industria non eligitur ad personale munus, sicut eligitur in Parocho. Unde in *Cap. quia nonnulli, de Clericis non resident.* dicitur: Cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc quærat persona, quæ residere in loco, & curam ejus valeat per seipsam exercere. Nihilominus tamen possunt Parochi ad majorem suam quietem suis Capellanis, consuetudine ita declarante, multa & magis ardua committere, velut nocte surgere, multas audire Confessiones, procul ire ad ægrotos & similia; dummodo tamen iis non utantur, tanquam hominibus, qui portent pondus diei & æstus, sed ut sociis laboris. *Postev. de officio curati, c. 1. n. 10.*

490. *Abeneficio, quod habeo, diu & ultra tempus concessum absui.* Parochi tenentur, ut Palaus *tr. 13. D. 5. p. 1. ex communi* tradit, jure tam Divino, quam humano in loco sui beneficii parochialis residere, & peccant graviter non residendo: ille tamen, qui mox est reversurus, non censetur à sua Ecclesia abesse, juxta *L. Postliminium, §. captivis, & L. nihil, ff. de captivis & postlim. revers.* Unde tempus, quo Parochus à sua Ecclesia abesse potest, debet esse breve; quale est non tantum paucarum horarum, sed etiam duorum aut plurium, etiam octo dierum; imò ut scrupulus omnis procul esset, Concilium Trident. *sess. 24. c. 12. de reform.* determinavit tempus, & censuit, respectu totius anni modicum esse, quod est duorum mensium,

fium, siue de in hoc spatium continetur, siue interpoletur. Quod si Parochus ultra hoc tempus abesse velit, necessaria ad id est specialis licentia expressa, (neque enim tacita sufficit, nisi causa sit notoria, & moram accedendi ad Episcopum non patiatur,) ab Episcopo etiam obtenta (non enim sufficit eam præcisè petere) Palus p. 5. n. 6. & quidem in scripto: aliàs erit nulla. Palus n. 8. Causa verò, ob quam hæc licentia dari potest, debet esse gravis, qualis est I. Christiana charitas. II. urgens necessitas. III. obedientia debita maioribus, Papæ videlicet aut Episcopis. IV. evidens Ecclesiæ, cui quis præest, aut reipublicæ, utilitas: desumptæ sunt hæc causæ ex Concilio Trid. Sess. 23. c. 1. & explicantur à Laym. l. 4. tr. 2. c. 6. n. 4. & 5. Interea tamen dum Parochus abest, substituendus est alius vicarius idoneus, vel ab ipso Episcopo, si istius ad eam absentiam licentia sit necessaria; vel ab ipso Parocho, si ad breve à jure concessum tempus absit: optimum fuerit, si vicinum Parochum substituatur; licet enim ordinariam jurisdictionem non habeat, nisi in suum gregem, jurisdictionis tamen delegandæ est capax. Sanch. l. 3. de Matrim. D. 31. n. 11.

491. *Ad confessiones meorum subditorum excipiendas non accessit, licet fuerim rogatus & vocatus semel.* Hæc est una ex nobilissimis officii pastoralis partibus; & ad eam explendam Parochus habet gravem obligationem, & quidem toties, quoties subditi justam causam confitendi habent, & opportuno tempore vel loco petunt. Laym. l. 5. tr. 6. c. 13. n. 2. Suar. D. 32. f. 1. n. 4. & alii.

Quia tenetur Parochus ex suo officio non deesse subditis, quærentibus grande & spirituale gratiæ & reconciliationis cum DEO commodum, & salutis remedium, quale ex Confessione provenire solet. Nihilominus tamen quia successu temporis Religiosi Mendicantes in partem laborum pastoralium ingressi sunt ex indulto Pontificum, varia privilegia iis concedentium, fideles omnes pro sacro tribunali audiendi; non potest hinc ulla esse difficultas: possunt enim omnes fideles hujusmodi Religiosis suam manifestare conscientiam, etiam invito & contradicente Parocho, ut communiter docent: quidquid aliqui reclamant, non attendentes, seu auctoritati, quam Pontifex velut summus Ecclesiæ Pastor & Rector habet in omnes fideles, haud parùm derogare.

492. *Evcharistiam petentibus negavi quater.* Parochus Evcharistiæ Sacramentum suis subditis tenetur administrare, & quidem non tantum tunc, quando subditi tenentur illud recipere, ut in articulo mortis, & tempore paschali; sed etiam quoties illud rationabiliter petunt: hoc enim pastorale ipsius officium exigit, ita ut si illi hinc desit, peccet mortaliter. Hinc tamen Sancius in *selectis* D. 47. n. 10. & alii monent, subditos extra mortis articulum non debere esse nimis importunos, vel in frequentia petendi, vel tempore valde intempestivo, v. g. concubia nocte; vel cum præstat, Parochum tunc aliud agere, v. g. concionari: tunc enim si Parochus hoc Sacramentum neget, excusabitur à peccato mortali; sicut etsi semel aut iterum neget vel differat, nisi fortè subditus petat ex gra-

vi causa, v. g. festi solennis, gravis tentationis, longi itineris &c. Neque excipiens est dies parasceves: nam & hoc die fidelibus etiam sanis Evcharistiam porrigendam esse, si petant, tradunt Laym. l. 5. tr. 5. c. 4. n. 7. Fill. tr. 5. c. 4. n. 106. Dian. p. 4. tr. 4. R. 237. Sancius in *selectis* D. 22. n. 20. Quodsi Parochus hoc Sacramentum (idem est de Pœnitentia) non neget quidem, ostendat tamen se adeo difficilem & asperum, ut subditis præbeat occasionem toties non petendi, quoties aliàs petissent, peccateo modo, quo peccaret, si omnino negaret. Possu. de offic. curati c. 5. n. 9.

493. Ad egrotos, vel ad moribundos etiam vocatus non accessi: vel certe nimis serò, ut moribundo amplius prodesse non poterim. Inter personas miserabiles, quarum singularem curam Parochi gerere debent, sunt vel maxime illæ, quæ morbis affliguntur, vel sunt morti proximæ. Tenetur ergo Parochus ex visui officii sollicitudine inquirere in ægros suæ Parochiæ, ut tempestivè possit eorum salutem consulere. Valent. T. 3. D. 3. q. 4. p. 3. §. Porro eorum. Laym. l. 5. tr. 4. c. 5. n. 6. Palau. tr. 21. p. 20. n. 1. Si quos ergo deprehenderit periculosè decumbere, Sacramenta Confessionis, Communionis & extremæ Unctionis iisdem ministrabit, si petant: sin, persuadebit prudenter & serò, ut admittant; invitis enim, dum rationis usum habent, Sacramenta non sunt administranda: sufficit autem implicita petitio, si de Evcharistia & extremæ Unctione sit sermo: de Pœnitentia quid teneri possit, jam sup. à n. 57. dixi. Ceterum animabit morituros ad mortem, & præibit iis frequenter ad eli-
R. P. Stoz Trib. Pœnit.

ciendos actus fidei, spei, charitatis, contritionis perfectæ &c. Commendationem animæ orabit suo tempore; importunitatem domesticorum avertet, ne terrenis affectibus impediatur ægri bonam dispositionem. Non est tamen necesse, ut ægro bene disposito dies noctesque usque ad ultimum halitum assistat; aliud est de indispositis aut graviter tentatis, quos non facile deseret. Postquam æger sensibus defecit, melius est orare ferventer cum adstantibus pro moribundo, quàm stentorea voce vel frustra, vel non sine gravi molestia ægri, & fortè etiam circumstantium in aures inclamare. Ex metu verò irregularitatis contrahendæ non omittet quædam charitatis opera, qualia sunt vertere infirmum ex latere ad latus, transferre ex lecto in lectum &c. hæc enim irregularitas, si qua est, non potest esse alia, quàm ex defectu lenitatis: quæ tamen, ut Filliuc. tr. 19. c. 10. n. 278. Dian. p. 3. tr. 5. R. 79. §. 80. & p. 11. tr. 2. R. 63. Tambur. de censuris l. 10. tr. 4. c. 15. §. 13. n. 7. §. 17. Reginald. l. 30. tr. 2. c. 9. n. 102. & innumeri alii docent, non incurritur, nisi ab iis, qui ex officio, quod gerunt, quoquo modo concurrunt ad alterius necem. Quodsi ergo Parochus suo ægros invisendi officio notabiliter desit, peccat mortaliter: sicut & tunc, cum ex ipsius culpa accidet, ut æger ex hac vita decedat, Sacramentis necessariis non præmunitus. Anima ægri de ipsius manu requiretur, & gravissimum super caput suum accumulabit iudicium.

494. Non sum concionatus, cum potui ac debui sexies. Parochus tenetur concionari, & populum, quæ ad salutem necessaria

Nn

cessaria

cessaria sunt, docere: hoc enim spectat ad ipsius officium. Suar. *T. 1. de Relig. tr. 2. l. 2. c. 16. n. 7.* Possévin, *de offic. curati c. 3. n. 1.* & reliqui communiter. Sumitur ex Trident. Concil. variis locis. Est autem hæc obligatio personalis, ut, nisi aliud obstat impedimentum, aut rationabilis causa, ab ipsa pastoris persona sit implenda; cui, si Parochus præcisè ad suam quietem velit id munus temper aliis exercendum committere, non satisfacit. Non est autem hæc obligatio tam personalis, ut non possit ex mente Concilii & legitima causa in alium idoneum transferri. Cujusmodi causæ sunt I. inhabilitas dicendi. II. consuetudo, quæ saltem in Germania habet, ut in nonnullis locis officium prædicandi separetur à beneficio parochiali, & stabiliter atque ex fundatione alteri Sacerdoti detur: quo casu Parochus ab officio concionandi est immunis, nisi fortassis in defectum teneatur. III. speciale Pontificis indultum, ex quo munus prædicandi alteri committi possit. Sic Religiosi mendicantium Ordinum, qui sunt velut subsidiariæ copię in auxilium Parochorum missæ, stabiliter pro Parocho concionari possunt: quo tamen casu convenit, ut ipsi quoque Parochi quandoque concionentur. Licet autem teneatur Parochus concionari, non est tamen certum tempus huic obligationi implendæ designatum: ne autem tam necessario & utili officio ullus desit, aut id iustorariùs exerceatur, Concil. Trid. *Sess. 5. c. 2. & Sess. 24. c. 4.* determinavit saltem singulos dies Dominicos, aut solenniores festivos: ubi tamen non videtur adeo rigorosè præcipi, ut Parochus graviter peccet, nisi singulis diebus festis

& Dominicis concionetur: non enim Concilium utitur verbis tantam obligationem indicantibus; sed tantum mandat, ut faciant illis diebus & aliis per quadagesimam & adventum, si ita opportunum duxerint. Debet ergo Parochus hoc officium non negligere, sed omnino curare, ut, quantum fieri potest, non omitatur; pro singulis autem illis diebus non est præceptum rigorosum, ut consuetudo interpretatur. Suar. *l. c. Palaus tr. 8. D. 2. p. 4. n. 5.* Bonac. *de præcept. D. 5. q. un. p. 2. n. 28.* At si uno integro mense, vel duobus, aut tribus in uno anno omitat concionem, peccat mortaliter; quia grave damnum infert populo, si tanto tempore privetur celestis doctrinæ pabulo. Palaus *l. c.* Bonac. *n. 31.*

495. *Doctrinæ Catechetica tradende exiguam vel omnino nullam curam habui.* Et si in hoc puncto à Concil. Trident. *Sess. 24. c. 4.* pro Parochis nihil sit statutum; nihilominus tamen eosdem ad docenda fidei Christianæ rudimenta obligatos esse, docent Laym. *l. 2. tr. 1. c. 9. n. 4.* & alii. Officium enim Parochi est, ut parvulis frangat panem celestis doctrinæ, & eorum, quæ scitu necessaria sunt, ignorantiam ex suorum subditorum mentibus evellat: & praxis ita interpretatur. Peccat ergo Parochus mortaliter, si in hoc notabiliter deficiat: deest enim in re gravi & necessaria; sub interminatione censurarum, si negligentia aut omisso sit magna, id est, si nunquam, aut non nisi rarissimè doceatur Catechismus. Si tamen faciat, quod in se est, vocando pueros, monendo parentes, ut mitant liberos ad catechismum; Parochus videtur esse excusatus; sed torpere non

non debet, aut esse negligens, quin semper urgeat prudenter, invocando etiam, si sit opus, magistratum læcularem. Sed hoc tradendæ doctrinæ catechetice onus, quod alioqui Parochis incumbit, multum est levatum, dum Præceptores, Ludimoderatores, parentes ipsi in se suscipiunt hanc curam, ut liberi bene instruantur.

496. Huc spectat peccatum *scandali*, quod est actio vel omissio minus recta, id est, vel mala, vel mali speciem saltem apparentem habens, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis, seu, quod idem est, peccandi vel mortaliter, vel venialiter. Duplex est, activum & passivum: Activum in eo, qui dat scandalum, reperitur, & propriè tale est. Passivum verò in eo, qui scandalizatur, reperitur; & propriè non est scandalum, sed potiùs ipsa ruina spiritualis seu peccatum proximi. Et aliud est pusillorum, aliud pharisaicum: illud est, cum proximus ex alterius opere sumit occasionem ruinæ, quia fragilis est: istud est, cum proximus nullo dato activo scandalo, ex propria malitia & perversa voluntate ruit, ut olim Pharisei condemnando Christum, quod manducaret cum peccatoribus, benefaceret aliis etiam in Sabbatho &c. Pusillorum scandalum quisque (si sine suo gravi incommodo possit,) tenetur impedire, omittendo etiam actiones ex se quidem honestas, sed respectu ignorantis speciem mali habentes. Sumitur ex illo 1. *Corinth.* 8. ubi Apostolus, *si esca*, inquit, *scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum.* & Christus ipse *Matth.* 17. iussit Petrum solvere didrachma, licèt ipse lege solutus es-

set: charitas enim exigit, ut alterius infirmitati indulgeamus. Pharisaicum non est necessariò vitandum: esset enim nimis grave, si ob aliorum malitiam essent omittendæ actiones alioqui honestæ, vel saltem non illicitæ. Non enim æquum est, ut cum damno proprio spirituali, imò & temporali consulatur alterius malitiæ; id quod satis constat ex illo *Matth.* 15. ubi Christus Phariseorum scandalum non curans: *sinite, inquit, illos; caeci sunt, & duces caecorum.*

497. Sed ut ad scandalum activum redeamus, id duplex est, directum unum, alterum indirectum. Directum est, cum quis alterum expressè & ex proposito inducit ad peccatum, id est, ideo aliquid facit, ut alter peccet, v.g. si quis suadeat, ut alter furetur, fornicetur, omittat die festo sacrum &c. quod potest dupliciter contingere: vel ex formali odio ipsius proximi, nimirum expressè & ex formali intentione desiderando ejus ruinam spirituales (quod gravissimum est peccatum, in hominibus rarum, in diabolis frequentissimum) vel non ex odio proximi, sed ex affectu propriæ commoditatis, vel alterius finis ex peccato proximi alicui obvenientis, v.g. voluptatis carnalis, ut si quis faminam sollicitet ad turpia. Et potest hoc scandalum committi, et si nullum in altero sit periculum lapsus, ut patet in Petro, qui, cum *Matth.* 16. iussit Christo, ut mortem subterfugeret, meritis est audire: *vade post me Satana: scandalum es mihi.*

498. Scandalum indirectum est, cum quis aliquid, quod ex se aptum natum est ad causandum alterius peccatum, operatur, licèt eam ruinam expressè non intendat;

rendat; ut, si quis turpia coram aliis loquatur, pingat, exhibeat: item si Clericus domi suæ aliam feminam suspectam populo, vel licet eam domi suæ non teneat, cum ea tamen nimiam aliam familiaritatem; et si absit omne peccatum vel peccandi periculum. Ad hoc scandalum duo requiruntur: unum est, ut vera ruina spiritualis in proximo vel subsequatur, vel probabiliter subsequatur prævideatur. Alterum est, ut nulla sit justa causa ponendi vel omitendi opus, ex quo illa alterius ruina videatur secutura. Atque utrumque hoc ad scandalum indirectum ita requiritur, ut, si alterutrum eorum desit, cesset etiam ratio istius scandali. Et ideo si ex alicujus dicto, facto nihil aliud præter admirationem aut rumorem in videntibus excitetur, non est scandalum. Suar. *D. 10. f. 1. n. 1.* Sancius in *Select. D. 48. n. 45.* quia admiratio, rumor & suspicio de delicto, si fundamentum non præbeas, non est peccatum. Similiter nec scandalum reus erit, qui coram aliis exercet actionem, ex se quidem & natura sua inductivam ad peccatum; sed hi in bono tam firmi sint, ut visus aliorum peccatis non censeantur ad peccatum permovendi, nec ad malum tam projecti, ut ipsos aliorum peccata immutent vel pervertant. Sanch. *l. 1. Mor. c. 6. n. 7.* Bonac. *de peccat. D. 2. q. 4. p. 2. §. 11. n. 43.* Sancius *D. 46. n. 11.* Palaus *D. 6. p. 1. n. 4. §. p. 4. n. 5.*

499. Ceterum scandalum directum semper est peccatum, & quidem ex suo genere mortale, & si quis actionem ad peccandum inductivam coram aliis eo animo exercent, ut affectus cuiusque præsentium conditioni proportionatos exci-

tet, præter malitiam scandali contrahit etiam specialem malitiam illiusmet peccati, ad quod proximus inducitur, v. g. furti, adulterii, incestus, blasphemæ, detractionis. Tanner. *T. 3. D. 2. q. 6. d. 8. n. 97.* Suar. *cit. D. 10. f. 2. n. 2. §. 3.* Palaus *p. 1. n. 7. §. 8.* Estque hæc circumstantia specialiter in Confessione explicanda in hunc fere modum: *Proximum directè induxi ad omitendum die festo sacrum: ad non jejunandum, cum teneretur: ad alterius (vel aliorum) famam coram uno (vel pluribus) ledendam graviter &c. semel.*

500. Dixi autem supra *ex suo genere:* potest enim fieri veniale ex parvitate materiæ, ut si peccatum, ad quod alter inducitur, sit tantum veniale; tunc enim inductio ad illud, quantumvis alioqui ex directa ejus ruina intentione proveniat, culpæ venialis limites non excedet; quo enim titulo peccati mortalis damnetur, etiam alterius ruina spiritualis, sed levis, directè intendam? certè si ego ipse studio, & ex malitia peccem venialiter, intendamque meam istam ruina spiritualis, nemo me peccati mortalis arguet. Est enim damnum hoc in genere damnorum spiritualium non grave, sed leve tantum: neque enim comparatio damni spiritualis facienda est cum damno temporali; alioqui peccaret mortaliter, qui brevem aliquam orationem, salutationem Angelicam alteri promissam omitteret; privaret enim illum bono spirituali, quod quolibet bono temporali longè majus est & præstantius. Bonac. *n. 10.* Lugo *de just. D. 9. f. 2. n. 18.* Palaus *p. 2. n. 3.* Atque ex his obiter illud deducet, eum, qui coram aliis graviter peccat,

pra-

prævidens illos inde ruinæ tantum venialis occasionem accepturos, in ratione scandali tantum venialiter peccare, neque teneri hanc circumstantiam in Confessione specialiter explicare, licet peccatum ipsum, quod fuit levis illius ruinæ occasio, utique manifestandum sit. Gravitatis enim scandali sumitur ex ruina proximi; quæ proinde cum in proposito sit tantum levis, non poterit esse gravius ipsum scandalum. Sanch. n. 10. Bonac. n. 11.

501. Jam verò quod ad scandalum indirectum attinet, etiam ipsum est speciale peccatum charitati proximi oppositum. Laym. l. 2. tr. 3. c. 13. n. 5. in fine, Suar. n. 5. Lugo Disp. 6. de Pœnit. s. 4. n. 159. Tambur. in Meth. Confess. l. 2. c. 1. §. 17. n. 102. & alii. Neque enim ad hoc scandali genus requiritur, ut formaliter intendatur, sed solum ut causetur ruina spiritualis in proximo: alioqui nunquam vel rarissime contingeret hoc scandalum. Nemo enim vel non nisi raro tam perversus est, ut, dum peccat, expressè petat ruinam spiritualem proximi, præcipuè propter ipsam: & tamen peccatum scandali frequentissimum est, necesse enim est, ut scandala veniant.

502. Sed enim scandalum indirectum præter propriam malitiam non continet malitiam illius peccati, ad quod proximus inducitur, Lugo l. c. Tamb. n. 105. & alii: quia per hoc scandalum nulli alteri obligationi contravenitur, præterquam charitatis, quæ obligat hominem ad averendum malum spirituale proximi, cum faciliè & sine ullo notabili incommodo, seu proprio seu alieno, & cum spe securi profectus potest. Et ideo qui spurcissimo suo sermone &c. pluribus scanda-

lum præbuit, non debet personarum scandalizatarum numerum vel conditionem explicare; modò, quod omnino necessarium est, ut Lugo s. 3. n. 141. bene docet, explicetur, an uni tantum vel pluribus scandalum sit datum: alioqui non satis explicaret quis numericam peccati differentiam, cum, si dicturus esset, scandalizavi alterum, Confessarius intelligeret, unum duntaxat hominem scandalizatum esse, cum tamen plures sint scandalizati: scandalum enim uni datum individualiter differt à scandalo pluribus dato.

503. Est autem & hoc scandalum peccatum ex suo genere mortale: potest fieri veniale ex parvitate materiæ: nullam ei, præter propriam, inesse specificam malitiam, jam paulò antè dixi. Quæ doctrina tam Confessariis, quam pœnitentibus valde est notanda, cum utrisque sit perquam favorabilis. Lugo l. c. Tamb. in Meth. Conf. l. 2. c. 1. §. 17. n. 105. & seqq. & alii: quidquid Dian. p. 3. tr. 4. R. 114. frustra reclamet, graviter excandescens in Confessarios, qui in scandalo indirecto neque speciem peccati, neque conditionem aut numerum personarum scandalizatarum exprimenda curant, vocans eos cæcos, & duces cæcorum: sed hæc censura & excandescencia utique nimia est, cum solido fundamento sit destituta. At scandalizans speciem sui operis, ex quo prævidebat securam ruinam proximi, utique debet, si quidem ipsum graviter malum fuerit, explicare in hunc fere modum. *Mea turpi locutione* (vel alio peccato, quod, ut modò dixi, exprimendum est,) *causa fui semel, ut unus* (vel plures) *in peccatum grave* (vel leve)

leve) rueret: vel brevius & melius; *Mea turpi locutione &c. uni* (vel pluribus) *gravi* (vel levi) *scandalo fui ter.*

504. Nihilominus tamen circumstantia scandali seu inductionis ad peccandum non est in confessione necessariò explicanda, si explicato actuprincipali sufficienter etiam ipsa censeatur intelligi, quod plerumque contingit in peccatis tam inducenti quàm inducto communibus, ita ut non nisi operâ utriusque conjunctâ committantur, quale est, v.g. fornicatio aut confabulatio tempore Missæ. Bonac. *de pœnit. D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 20.* Palaut *tr. 23. p. 9. n. 12.* Lugo *D. 18. de pœnit. s. 4. n. 142.* Tamb. *in eodem libro c. 7. §. 4. n. 25.* Sed hoc intellige, si actus ipse, ad quem alter inducitur, subsequatur: si enim hic re ipsa non subsequatur, vel non nisi post longam & notabiliter interpositam moram, inductio ipsa est explicanda.

505. Sed enim illud hoc loco addendum videtur, nempe scandalum indirectum non esse ita malum, ut, si justa aliqua causa subsit, non liceat agere vel omittere, ex quo quis videat (modò non intendat) alterius ruinam spiritualem secuturam: esset enim nimis dura & gravis obligatio; imò & præcepto charitatis de peccato proximi impediendo minùs conveniens: id enim, utpote affirmativum, more aliorum similium præceptorum, non obligat in omni casu. Unde non teneor cum notabili meo damno abstinere à publico, v.g. ab aditu Ecclesiæ, aut cum magno meo dedecore ab ornatu corporis competente, vel etiam superfluo, (qualis est, fucare faciem) adhuc tamen honesto, etsi videam, aliquos ea occasione

spiritualiter ruituros; modò ut dixi, id semper caveam, ne eam ruinam intendam. Hæc ex communi sententia.

506. Multò minùs ob scandalum merè passivum, seu, quod idem est, pharisaicum omitti debet opus, quod est in præcepto; imò & in consilio tantum, ut est audire sacrum die profano, aut honestæ alicui, & quidem etiam publicæ recreationi operam dare: at ob scandalum pusillorum in particulari, v.g. Petri, Pauli, (nam ob metum scandali, secuturi in aliquo vel etiam pluribus ex communitate in genere seu indeterminatè, abstinere, esset nimis difficile, & scrupulis plenum) debet utrumque opus, consilii nempe & præcepti, omitti aut differri, saltem aliquoties, quia si sæpe esset & hoc nimis durum & grave. Plus tamen requiritur ad permitendum scandalum pusillorum, quàm pharisaicum. Et universim si nulla causa rationabilis adsit, non est licitum, quidquam facere, ex quo alterius, quantumvis præter meam intentionem, ruina spiritualis prævideatur secutura: quisque enim ex charitate tenetur, si facile possit, peccatum proximi impedire.

507. Scandalum directum nunquam est licitum. Est communis. Repugnat enim legi naturali, quæ dicit, nemini esse nocuum aliquid, præsertim spirituale, inferendum. Et hinc actioni malæ nemo unquam ex causa etiam urgentissima potest cooperari, si ea intrinsecè mala sit, ita ut, dum fit, malitia ab ea non possit separari.

508. At verò, si actiones indifferentes sint, hoc est, tales, quas licèt quis videat, alterum malè & cum peccato exercituum, possit tamen, si velit, etiam sine peccato

cato exercere, licitum est, ex justa causa ad eas concurrere, præsertim si cooperatio sit remota tantum. Est communis; fit enim, quod est utile, & alter bene facere potest; quod si ergo id non faciat, sibi imputet. Quò verò propinquior est tua ad alterius peccatum cooperatio, eò gravior causa requiritur. Ex quo varii casus resolvi poterunt: speciatim verò ex dictis obiter

509. Infertur, neminem absque peccato scandali posse alteri suadere minus malum facere, facturo aliàs liberè majus: quia illius peccati, quod suades, verè causas, & positivè ac directè proximum ad illud inducis; ergo peccas. Quod si verò ad utrumque ita paratus sit ac determinatus, ut alià vià diverti non possit, suaderi posse minus malum, communiter docent auctores relati à Dian. p. 3. tr. 5. R. 37. eò quòd tunc suadeatur minus peccatum, non quidem quatenus malum est, sed quatenus bonum, id est, majoris peccati impeditivum: ex duobus enim malis minus eligendum est. Sed hi non placent, cum ad Rom. 3. dicatur, non esse faciendâ mala, ut eveniant bona; neque bonum dici possit, cui adjuncta est malitia, licèt non suadeatur ut malum; neque unquam necessarium sit, ex duobus peccatis alterum eligere, secluso casu perplexitatis, de quo aliàs. Itaque cum Tanner. T. 3. D. 2. q. 6. d. 8. n. 102. existimo, verba talium suavorum non esse accipiendâ, ut sonant, quasi consilium contineant aut suasionem, sed in sensu permissivo, quasi dicerent, si utrumque malum non vis vitare, saltem cave majus: quod est suadere omissionem majoris mali cum permissione minoris.

510. His omnibus pro coronide addendum est, posse aliquem, si is, cui inferendum est malum, possit ad eam actionem dare licentiam, etiam juvare injultum aggressorem; v.g. si Petrus determinatus sit, Paulum occidere, vel pecunias furari, poteris Petrum in furto committendo juvare: non enim illa actio, ut à te procedit, est illicita: procedit enim ex consensu saltem tacito ipsius Pauli dantis tibi facultatem, ut Petrum nolentem ab utraque injuria, furti & homicidii, abstinere, etiam juves furari, ad impediendum nimirum majus malum. At in illis actionibus, ad quas alter licentiam dare non potest, non potes iniquum aggressorem juvare. Et ideo Petrum in mutilando Paulo non potes juvare, licèt juxta sensum paulò antè dictum suadere, hoc est, permittere possis. Palau de charit. D. 6. p. 6. n. 8. apud quem per plura puncta videre est alia plura, ad præsentem de scandalo materiam pertinentia.

§. III.

Peccata operis contra meipsum.

511. Ex aliquo facto vanam gloriam (laudem, vel favorem hominum) quasi viter: v.g. simulavi devotionem, ut aliorum oculis placerem; confessus sum & communicavi, ut parentibus, Confessario, Prælato, hero &c. placerem. Spectant hæc ad hypocrisim, quæ nihil aliud est, quàm simulatio virtutis & sanctitatis, quam aliquis fingit se habere, cum non habeat, & occultare vitium, quod habet, quasi non haberet, idque ex intentione captandæ apud homines gloria. Et hæc est propriè dicta Hypocrisis. Satis autem est,

est, si modo hic proposito explicetur: neque enim necesse est speciatim exprimere, quale opus fuerit, quod factum est ad gloriam vel laudem captandam. Ad vanam quoque gloriam spectat, appetere laudem ex eo, quod vel malum est, vel non dignum laude. Porro Hypocrisis (quocunque fine, etiam bono fiat, v.g. si quis fingat virtutem, ne alios scandalizet) semper est peccatum, & quidem ex se tantum veniale. Less. *l. 2. c. 47. d. 6. n. 45. Toler. de septem peccatis. c. 9. & alii.* Potest fieri mortale I. ratione finis graviter mali: ut si quis fingat se justum, veritatis Doctorem, ut falsam doctrinam seminet: quod faciunt hæretici, præsertim Ministri; item si eadem simulet, ut ad dignitatem aliquam v.g. Ecclesiasticam indignus promoveatur. II. ratione nocimenti, ut si quis fingat in aliqua scientia v.g. medica, juridica, aliquem se esse, & magnum, cum sit vel nullus, vel modicus; hi enim cum simulant se tales esse, alliciunt suam famam alios, ut ad ipsos accedant, non tamen nisi cum gravi nocimento corporis & crumenæ, cum auxilium, quod simulatores illi ob incertiam ferre non possunt, ab iis non sint relaturi. III. Si simul involvat contemptum sanctitatis vel religionis internæ, quo modo multi politici hujus temporis sunt Hypocritæ: solum enim curant, ut exterius videantur esse justi, vel Catholici, cum tamen sint lupi rapaces, & internam religionem nihili faciant. Less. *n. 46.*

312. *In ornatu corporis vanitatem aliquam quesivi ter.* Ornatus corporis, si sit moderatus, & statui, in quo est, conveniens, licitus est, & spectat ad virtutem, quæ Modestia cultus vocatur, & deco-

rum in cultu corporis & reliquo externo apparatu juxta cujusque status conditionem servat. Si sit superfluous, est ex suo genere peccatum tantum veniale. Potest fieri mortale I. ratione finis, ut si quis se ornet, animo inducendi feminam ad turpem amorem. Hinc si feminæ utantur vestitu scandaloso, valde ad libidinem provocativo, peccant mortaliter. Talis est denudatio, totius præsertim pectoris & mamillarum: etsi enim hæc pars corporis honesta sit, nec natura aut pudor humanus petat eam absolute tegi; & ideo tolerari possit in loco, ubi ea consuetudo jam est (quamvis & hic præstaret eam eliminari) recepta, tamen hujusmodi morem in provinciam, in qua hætenus nondum viguit, introducere, est peccatum mortale. Less. *l. 4. c. 4. d. 14. n. 13. Laym. l. 2. r. 3. c. 13. n. 11.* prope finem & alii communiter: tum quia ejusmodi inductio est ex se perniciofa, & consequenter bono publico & spiritali proximorum saluti perniciofa; tum quia usus novus & insolitus efficacius movet, quam usitatus, & consuetudine inverteratur. Quod si tamen mulier aliqua se ornet, faciem fucis & variis pigmentis depingat, præcisè alicujus vanæ, & venialis gloriolæ aut solius pulchritudinis conciliandæ desiderio tacta, non peccat mortaliter: licet credat, aliquos, qui ipsam sic ornatam videbunt, in ejus concupiscentiam exarsuros. Navar. *c. 14. Man. n. 26.* De reliquo novam aliquam & eo loco non usitatam, honestam tamen vestium formam introducere, ex se non est peccatum mortale. Unde nec inventores novarum formarum peccant graviter: quia illæ formæ per se malæ non sunt; & bonum usum

usum habere possunt, licet multi abutantur ad vanam gloriam, aut alium finem malum, Less. n. 111. & alij. II. Si cedat in grave præjudicium rei domesticæ, item liberorum, creditorum &c. aliàs usus vestium pretiosarum, annulorum, catenarum, aliorumque monilium, non est nisi veniale peccatum: imò etiam nullum, si fiat ex fine honesto, ut in Judith & Hester apparet. III. Si talis excessus lege aliqua sub pœna excommunicationis prohiberetur, eaque servaretur. Quodsi tamen non habeat annexam pœnam vel saltem non gravem, erit veniale duntaxat peccatum: imò si lex prohibens talem excessum sit civilis, erit pœnalis, nec obligabit nisi ad pœnam, more aliarum legum civilium, seu purè seu mixtim pœnalia, quas in conscientia sub peccato jam *sup.* n. 453. dixi non obligare, & credibile reputat Less. n. 112. Eodem modo de viris & adolescentibus discurrendum est; nam & hi se ornare possunt ad venustatem sibi comparandam: nec peccabunt, nisi ad summum venialiter; modò alia circumstantia specifica non accedat. Nihilominus tamen hi compruli reprehendendi sunt, quia pulchritudinem affectare femininarum est, non virorum. Unde illud Poëtæ:

Sint procul à nobis juvenes, ut femina compti.

513. *Vestimento muliebri usus sum rer.* Si id fiat ex levitate, peccatum est, sed tantum veniale: nullum verò, si fiat ex justa causa, v. g. ut se occulter ab hoste; vel quia alia veste caret; vel ob honestam sui vel alterius oblectationem aut repræsentationem, ut in comædijs. Idem est, si factum sit, *R. P. Stoz Trib. Pœnit.*

mina veste virili utatur, Laym. l. c. Less. n. 114. Navar. c. 23. Man. n. 22.

514. *Choreas ex quadam levitate, & vanitate duxi semel.* Hoc peccati venialis limites non excedit; imò choreas ex se non sunt illicitæ, nec actus libidinis, sed lætitiæ. Possunt tamen fieri malæ, & peccata mortalia. I. si fiant cum periculo, vel ex intentione alicujus inhonestatis, in se vel in alio procurandæ, aut exercendæ: quæ exprimenda est, qualis ea fuerit, oscula, an tactus turpes &c. II. ratione alterius circumstantiæ specificæ; vel loci, ut si fiant in loco sacro, v. g. templo; vel temporis, ut si fiant tempore, quo divina officia peraguntur, & ab ijs abstrahunt: vel personarum, ut si à Clericis exercentur, quibus jure communi prohibita sunt, & speciatim à Concilio Tridentino, Sess. 22. c. 10. & Sess. 24. c. 12. vel denique ratione modi, si nimirum hic sit impudicus & lascivus. Fill. tr. 30. n. 222. De reliquo rustici diebus festis & Dominicis à choreis non sunt prohibendi: tum quia eas ducunt ad vitandum otium: tum etiam quia serviunt ad honestam oblectationem, & benevolentiam inter adolescentes & puellas in ordine ad matrimonia contrahenda conciliant. Tollendi tamen sunt abusus, & modestia, quantum potest, procuranda; sic enim tolletur & id, quod Tann. T. 3. D. 4. q. 5. n. 125. graviter de choreis pronuntiat, nimirum eas viam sternere diabolo ad homines seducendos ad magiam.

515. *Ad turpia risi quater.* Effundere se in risum petulantem & effusum, peccatum est veniale, etiam cum ea, ad quæ quis ridet, sunt turpia; ut si quis rideat, ne

O o

inur-

P.
 inurbanus videatur, aut jocosus diceriis & convitiis exprobratur; vel etiam modus narrandi sic lepidus & artificiosus, & risus ex hoc potius modo, quam ex ipso objecto narrato oriatur. Potest tamen fieri mortale, vel I. ratione scandali, si nimirum persona sit talis, ut risu suo videatur verbis turpibus auctoritatem præbere, eaque approbare. II. ratione adjunctæ delectationis veneræ & complacentiæ in rebus turpibus; vel, etsi hæc absint, rideat tamen, ut videatur turpibus delectus, ob idque magni fieri aut laudari velit: gloriam enim quærere & admittere ex re mortali & mala, mortale est. Sanch. l. 9. de matrim. D. 46. n. 38. Castus verò animus hujusmodi narrationibus & jocos, quæcumque aliàs excusari possint, sciens & volens nunquam delectabitur.

516. *Somno immoderato indulgeter.* Et si somnus immoderatus ex se sit tantum veniale peccatum, Bonac. de pecc. D. 2. q. 3. p. 3. n. 8. poterit tamen fieri mortale ratione temporis, ut si dormias, cum Sacrum, quod est ultimum, audire debes, & te voluntariè ad somnum illo tempore capiendum disponas.

517. *In potu (vel cibo) sumendo excessum levem commisi quater: gravem semel.* Hoc spectat ad vitium Gulae, quæ est inordinatus appetitus, & usus cibi & potus. Cibus & potus ad corporis sustentationem ordinantur; quando igitur ista sumuntur propter hunc finem, modo & circumstantiis debitis, non est vitium, sed potius virtus; quando verò aliquid eorum præmittitur, inordinatio fit, & vitium Gulae, committiturque quinque modis, qui hoc versiculo continentur.

Præproperè, lautè, nimis, ardentè, studiosè.

Nam excessus spectari potest, vel circa ipsum cibum, vel circa illius sumptionem. Et circa cibum quidem potest esse excessus I. ratione substantiæ; cum pretiosiores cibi, quam statui convenient, appetuntur; quod indicatur voce *laute*. II. ratione qualitatis; si nempe in condimentis, & studio præparandi est excessus, ut si nolis comedere, nisi multo saccharo, vel succis variis conditum sit: hoc indicat vox *studiosè*. III. ratione quantitatis; cum nimium comeditur, & bibitur, id est, plus quam natura ferat, & exigit: qui modus est frequentissimus, & indicatur voce *nimis*. Circa sumptionem ipsam potest esse excessus. I. Ratione modi, ut, si quis voraciter comedat, cibos non mansos devorando, seu ingerendo, ut canes solent; quod significat vox *ardenter*. II. ratione temporis, videlicet debitum tempus præveniendò, vel etiam sæpius, quam deceat, comedendo, quod indicat vox *præproperè*.

518. Ceterum Gula est ex se peccatum tantum veniale: potest tamen fieri mortale in his fere casibus. I. si quis Gulae causâ violet jejunia Ecclesiæ. II. si quis ex Gula notabiliter ineptus fiat ad functiones, ad quas sub mortali tenetur. III. si quis valde graviter noceat valetudini, id advertens: secus, si leviter tantum, ut si febricitans haustu aquæ morbum augeat. IV. si cum scandalo proximi fiat: unde illud 1. Corinth. 8. si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. V. si ex quantitate vel qualitate cibi sumpti probabiliter prævideatur

rum fecurum peccatum, ut si experientia nosset, te inde ad turpia exstimulari & consentire. At si omnino consideres, te non consenturum, & nihilominus ex solius Gulæ affectu velscereris, non esset mortale. Imò si quis ex certo genere cibi aut potus paret se in somnis passurum pollutionem, non peccat mortaliter, si cibo illo utatur; sed non hoc fine, nec sit periculum consensus ad delectationem. Tolet. *lib. de septem peccatis, cap. 6. Less. l. 4. c. 3. d. 1. n. 7.*

519. Gula duas sub se species continet, quarum una consistit in immoderato cibi usu, & vocatur *Comessatio*, seu *Crapula*: altera verò in potus immoderato usu, diciturque *Ebrietas*, & propriè consistit non in defectu usus rationis, per nimium potum inducto (hic enim effectus potus est peccati, quàm peccatum ipsum) sed in ipsa potatione eum effectum inducente, & sic describitur: est excessus in potu voluptatis causâ usque ad violentam usus rationis privationem. Alia est perfecta; imperfecta alia. Illa est, cum usus rationis plenè sopitur, seu cum proxima potestas utendi ratione ad omnem subitam necessitatem adimitur: & si voluntaria sit, est quidem graviter mala, non tamen ira, ut nullo unquam casu sit licita, ut Less. *l. 4. c. 3. d. 4. n. 37.* ostendit. Ista verò est, cum ratio non ita plenè sopitur. Unde si quis post potam adhuc possit discernere inter bonum & malum, licet phantasia nonnihil turbetur, lingua titubet, pedes vacillent, oculi videant duplicia, vel domus videatur gyrari, non est plena ebrietas, sed peccatum tantum veniale. Sed & *Crapula* non est nisi veniale peccatum: potest tamen fieri mor-

tale, si valetudo inde graviter lædatur. Non censetur verò gravis læsio, si post cibum potumve immoderatè sumptum caput vel stomachus postero die nonnihil doleat. Porro ex dictis breviter

520. Patet, inordinationem seu excessum in quantitate cibi aut potus fieri gravem, si sit nimius, pertingens videlicet usque ad perfectam ebrietatem, vel ad grave valetudinis detrimentum; levem verò esse, si ad neutrum perveniat; reliquos verò excessus communiter veniales reputari, nisi alia adveniat circumstantia; ut si quis aliquid ante Communionem comedat, vel bibat: quod est (nisi necessitas excuset) peccatum mortale non tam in genere Gulæ, quàm sacrilegii. Illud tamen hic obiter adverte, eum, qui in potu excessit, meliùs suum peccatum nomine Ebrietatis explicaturum; sic ergo talis dicet: *Perfèctè* (vel *imperfèctè*) *me inebriavi semel. In loco non competenti bibi* (vel *comedi*) *ter*: v. g. in templo, in foro, in schola &c. hoc enim, si non fiat ex affectu Gulæ (ut quia non potest differre, usque dum veniat domum) non inducit inordinationem contra abstinentiam, sed contra religionem vel modestiam. Less. *n. 5. & alii. Tempore non congruo comedi* (vel *bibi*) *bis*: v. g. sub rebus divinis. Hoc quoque magis Religioni vel alteri cuiquam virtuti, quàm abstinentiæ adversatur.

521. *Jejunium violavi graviter semel: leviter quinquies.* Jejunium Ecclesiasticum (de hoc enim hic sermo est) consistit in tribus. I. In unica per diem refectio-
ne: quæ debet esse justa; qualis non est, quæ constat ex solo pane, vel ex oleribus & fructibus, sed ex aliis quoque cibis ma-

gis nutritivis, maxime si vinum vel cerevisia desit. Quod verum est etiam respectu eorum, qui alioqui toto anno ordinariè non solent pro victu habere nisi panem, fructus, vel olera. Pasqual. *decif.* 279. Requiritur autem ea saltem ciborum quantitas, ut omnia, quæ quis pro una refectione habet, adæquent tres circiter libras. II. In abstinentia à certo ciborum genere, nempe à carnibus. III. in observanda refectionis hora, quæ nisi consuetudo loci aliud ferat, est circa meridiem: hæc tertia conditio non ad substantiam jejunii, sed solam ad circumstantiam spectat.

522. Obligat hoc præceptum omnes, qui vigesimum primum ætatis annum expleverunt, quamcunque alioqui robusti sint: cum enim Ecclesia hoc adolescentibus indulserit, quia indigent infra illud tempus alimento multiplicato ad necessariam nutritionem & vires comparandas, voluit, ne scrupulis omnia implerentur, certum tempus, quo ea obligatio stringeret, determinare. Computatur autem dies jejunii ab una media, usque ad alteram mediam noctem. Sed modo dubium est, an hoc fiat vel ad primum statim ictum horologii, vel ad ultimum. Et Bressetus quidem *de Consc. l.4. c.11. n.107.* apud Dianam *in summa v. Jejunium. n.2.* putat, horam durare moraliter usque ad ultimum ictum horologii; sed ad primum terminari longe melius statuunt alii, adeo quidem, ut Lugo *de Eucharist. D.1. s.2. n.37.* rectè existimet, horam terminari ad primum quadrantem, ubi ad primum horarum præmitti solent quadrantes: Qui eam ætatem implet in ipsa die jejunii, v.g. circa meridiem, tenetur juxta Sanch. *l.2.*

de Matrim. D.24. n.23. & alios jejunare, si ante meridiem necdum bis comedit: at probabilius est, illa die eum absolute adhuc liberum esse à jejunio, licet summo mane, imo statim post mediam noctem eam ætatem compleverit, & ipse adhuc nihil comedit; quia præceptum jejunii respicit totam diem, & non tantum unam illius partem. Tamb. *in Decal. l.4. c.5. s.7. n.2.* Sancius *in select. D.54. n.4.* Dian. *p.1. tr.9. R.49.* Qui post adhibitam diligentem indagacionem adhuc dubitat, an vigesimum primum annum compleverit, non tenetur jejunare, quia est in possessione suæ libertatis. Pasqual. *decif.* 255. & alii communiter. Sed & Senescione ætatis à jejunio excusantur: & quidem si viri sint, sexagenarii, licet adhuc robusti sint & vegeti. Sanch. *l.7. de Matrim. D.32. n.17.* Sancius *n.8.* Tamb. *n.1.* & alii: Estque hæc sententia magis conformis tempori & imbecillitati humanæ, & à scrupulis, quibus contraria exponit, remota. Ratio est: quia ab anno sexagesimo natura & vires decrescunt: ergo cum indigeant restauratione percibos, nemo sexagenarius potest sine notabili damno, vel ejus præsentis periculo jejunare. Sed faminas, utpote debiliores, cum sunt quinquagenariæ, à jejunio excusatas esse probabile judicat Sanch. *l.6.* Sancius *n.11.* licet ipsi probabilius esse debeant, eandem in hoc puncto faminarum conditionem esse, quæ est virorum.

523. Jam qui intra hos duos ætatis terminos constituti sunt, tenentur jejunare, nisi justam habeant causam, quæ eos excuset. Qualis est I. infirmitas, quæ tamen non debet esse gravissima: sufficit, si sit notabilis. Hoc titulo excusantur etiam

etiam convalescentes, debiles, prægnantes, lactantes. Qui cibos quadragesimales jam dudum est expertus sibi noxios esse, non tenetur iis amplius vesci, nec in reliquis Quadragesimis periculum facere: alioqui elus carniū in præsertionem nunquam erit licitus. Sancius *D. 51. n. 9. Dian. p. 3. tr. 5. R. 70. §. Notandum.* II. labor corporalis, si sit gravis, id est, talis, cum quo jejuniū ordinariè servari non possit, nisi difficulter. Hoc titulo excusantur agricolæ, fabri lignarii, ferrarii, scriuarii, murarii, cæmentarii, bajuli gravium onerum, sutores si laborent (nam si non suant, sed tantum scindant corium, & materiam præparent, non sunt ex hoc titulo excusati) universim mechanici artifices, quorum opificia sunt valde laboriosa. An autem his factores quoque sint adnumerandi, dubium est: aliqui & hos à lege jejunii eximunt propter bullam Eugenii IV. apud Navar. in *Man. c. 21. n. 16.* ubi indiscriminatim declaravit, artifices mechanicos non comprehendi hac lege. Et ideo etiam excusari possunt famuli & ancilla, non tantam cum graviore labores domesticos peragunt, ut sunt purgare stabula, portare ligna, verrere domum; sed etiam cum nent, vel fila ducunt, vestes confarciunt tota die, vel saltem majori illius parte: quia etiam isti mechanicis adnumerari debent. III. Labor quoque animi excusat à jejuniō, si gravis sit: per eum enim valde consumuntur spiritus. Cum ergo ab his spiritibus pendeant vires corporis, fieri sepe potest, ut plus fatigetur corpus per laborem animi, quam per laborem corporalem. Hoc titulo excusantur concionatores, qui tota Quadragesima quotidie vel saltem ter in hebdo-

made concionantur: imò universim nullus ea die, quâ concionatur, uti nec pridie tenetur jejunare. Non pridie, ne perdat vires ad concionandum necessarias; non ipsa die, propter laborem corporis & animi in concionando. Pasqual. *decis. 66. & alii.* Eodem titulo excusantur Præceptores, qui quatuor vel quinque horis quotidie docent. Imò & scriba, notarii, & secretarii, qui toto die scribere debent. Labor enim scribendi, præsertim diuturnus, est valde gravis: quo modo videtur etiam excusandus, qui in typographeo, etsi non verset prælum (qui apud omnes excusantur) tamen tota die vel majore illius parte colligit & disponit literas æneas ad typum: nam iste est quasi scriba. Ministri quoque & Lectores mensæ, etsi à jejuniō non omnino excusentur, possunt tamen ante mensam cibum sumere; & quidem non solum modicum, sed etiam quantum volunt, si quidem post peractum ministerium & lectionem sint & ipsi statim mensa accubaturi; quia illa antecedens, & hæc subsequens comestio sunt moraliter una, ob officium ministrandi vel legendi interrupta ex justa causa. Less. *l. 4. c. 2. d. 2. n. 11.* Alii permittunt his lectoribus & ministris parum aliquid cibi ante mensam ad vitandam debilitatem & officium melius peragendum. Sed quod dixi, est universalius & liberius. IV. Iter pedestre, non quidem per tres duntaxat vel quatuor horas peragendum, (nisi labor subsequens sit gravis) sed vel per totam diem, vel majorem illius partem. Fill. *tr. 27. p. 2. n. 122.* De itinere equestri est paulo major difficultas. Sed & hoc, si sit longius ad aliquot dies, excusat Fill. *l. c. si verò sit breve.*

v. g. unius tantum diei, non excusat propter constitutionem Alexandri VII. quâ non paucas sententias justò laxiores damnat. Idem iudicium esto de itinerantibus in curru vel lectica: nam & hoc item si longius sit, solet inducere debilitatem, & defatigationem. V. dispensatio, quam dat Papa pro tota Ecclesia; Episcopi pro sua Diœcesi; Prælati Regulares pro suis subditis. Fill. 27. 126. Parochus item pro suis Parochianis, etiam cum facilis est accessus ad Episcopum. In casibus enim frequenter occurrere solitis conveniens fuit, hanc Parocho potestatem committere. Quando causa est evidenter justa, nulla est opus dispensatione; si non sit certa, consulantur viri docti, ut Professores casuum, Doctor Theologiæ, Confessarius & Medicus: si aliquis horum dicat, causam esse sufficientem, non requiritur dispensatio: si causa adhuc dubia sit, recurratur ad superiorem pro dispensatione. Fill. n. 128. ex communi. Etsi autem nec Medicus, nec Confessarius ob defectum jurisdictionis possit in lege jejunii dispensare, potest tamen declarare, causam, quæ prætenditur, sufficientem.

524. Quoniam ergo constat de substantia & obligatione jejunii, graviter contra eam peccat, I. qui sumit duplicem refectionem, eamque juxta dicta n. 521. justam. Solâ secundâ comestione peccatur, non autem reliquis supra secundam, si quidem cibi sint legales, id est, à lege permitti. Less. d. 3. n. 15. Bonac. de jejun. q. 1. p. 3. n. 7. Laym. l. 4. tr. 8. c. 1. n. 13. & alii. Nam de comestione carnis est alia ratio, ut mox dicetur. Nominè autem refectionis non intelligitur

Collatiuncula Vespertina, quæ, ut apud Dian. in summa V. jejunium. n. 59. videre est, quarta vel quinta integræ cœnæ parte, hoc est duobus vel tribus quadrantibus libræ, taxari solet. Fagund. in 4. præcept. Eccl. l. 1. c. 1. n. 13. Tamb. in Decal. l. 4. c. 5. §. 3. n. 1. Diana p. 1. tr. 9. R. 1. ubi ait, hanc opinionem expansis brachiis amplectendam esse. Et possunt in hac quantitate collationem nocturnam facere omnes, sive amplâ, sive modicâ cœnâ utantur; sive robusti sint, sive valetudinarii, sive iis octo uncias fames extingatur, sive non: ita enim prudenter introductum est pro praxi, ne scilicet paulò religiosiores & timoratiore scrupulis exponantur. Neque verò hæc quantitas ad bilancem ponderanda est; non enim mathematicè pondus judicandum est, sed moraliter, paulò plùs, vel minùs. Unde non essent damnandi peccati mortalis, qui eam quantitatem parùm excederent, addendo unam vel alteram unciam: esset enim materia parva, & ad mortale non sufficiens. Pellizarius, Leander apud Dianam p. 9. tr. 6. R. 15. iisdem consentientem. Paulò majorem quantitatem pro collatione pridiana Nativitatis Domini admittunt Dian. p. 9. tr. 6. R. 17. Tamb. §. 4. n. 7. & 8. & alii. Imò & in Vigilia Paschatis & Pentecostes, ubi legitima consuetudine introducta est, eadem benignitas locum habet. Tamb. n. 7. Neque refert, cujus qualitatis cibi (modò esuriales sint, nec in quantitate fiat excessus) adhibeantur. Bonac. n. 3. & alii. Sed nec collatio pomeridiana verita est, quæ in aliquibus Communitatibus ratione haustus etiam à timoratis interdium sumi solet, consuetudine & superioribus ita per-

permittentibus ; admittit duas circiter uncias : habet enim ista se aliquo modo ad Collatiunculam nocturnam, sicut hæc ad refectionem meridiamam : ac proinde sicut ex hac pro collatione nocturna summi potest quarta circiter pars , quæ censetur esse octo circiter unciarum ; ita etiam ex collatione nocturna potest pro pomeridiana adhiberi quarta circiter pars , quæ censetur esse duarum circiter unciarum. Certè hanc quantitatem habet quoque Busemb. l. 3. tr. 6. cap. 3. dub. 1. n. 3. cum Dian. & aliis pro parva ; idque etiam dicitur infra n. 529. II. qui per intervalla & tantum comedit, ut æquivalet justæ refectioni , vel magnæ ejus parti ; illæ enim sæpius repetitæ comestiones coalescunt in unam , & constituunt materiam gravem , ad peccatum mortale sufficientem. Less. d. 2. n. 11. *Et reliqui communiter.*

III. Qui vescitur carne in notabili quantitate sed hic talis non satisfacit dicendo :

525. *Fregi jejunium* : sed debet addere : *esu carniū in quantitate notabili bis.* Toties enim peccat mortaliter, quoties sumit notabilem carniū , aut aliorum , si quæ prohibita sunt , eduliorum quantitatem. Est enim præceptum abstinendi à carniū negativum , & more aliorum similium præceptorum obligat quolibet momento , adeo ut quocunque aliquid contra ipsum admittatur, peccetur. Hoc autem intellige de jejunio, quod ex Ecclesiæ præcepto servandum est : si enim sit solum vel ex voto , vel ex pœnitentia Sacramentali servandum, solum in prima vice , quâ comeduntur carnes, peccatur. Nam in jejunio Ecclesiastico duo principaliter continentur

præcepta, eaque, ut jam memini, distincta ; unum negativum non comedendi carnes ; alterum positivum, sumendi semel justam refectionem , seu potius non bis per legalia : ut inde patet, quòd ii, qui annuum ætatis vigesimum primum nondum expleverunt, teneantur ad abstinentiam à carniū , non autem à duplici , vel etiam frequentiori refectione. At in jejunio solum debito ex voto aliter contingit : qui enim vovet jejunium , non vovet abstinentiam carniū per se , sed quatenus includitur essentialiter in jejunio : quare violato semel hoc jejunio per primum carniū esum, cessat obligatio de comestione intra eandem diem non iteranda. Tamb. in *Meth. Conf.* l. 2. c. 4. §. 2. n. 6. Dian. p. 1. tr. 9. R. 45. §. *Notandum.* Imò contingere potest, ut neque cum prima vice carnes comedit, peccet, si nimirum jam antè substantiam jejunii violarit iterando comestionem legalium : hæc enim semel violatâ præceptum servatu est impossibile. At qui jejunium ab Ecclesia præceptum carniū comestione frangit, meritò dicitur toties peccare, quoties comedit carnes, propter causam illatam.

526. Ceterum jam diu dubitant DD. quæ hic in comestione carnis materia sit magna ad peccatum mortale sufficiens ; & hætenus non resolverunt , contenti, eos , qui hoc indagant, mittere ad virum prudentem & ejus arbitrium exquirere. Ego, ut in aliis similibus, malo resolutum judicium vel accipere , vel dare. Et Merolla quidem T. 1. D. 2. c. 4. d. 7. n. 11. & Leone qq. *moral. de chocolata* p. 3. n. 3. apud Dianam p. 5. tr. 5. R. 32. putant , eam quantitatem parvam esse,

quæ

quæ coco ad gustandum, & libatoribus Principum ad affecurandum sufficit, ut adeo illa, quæ hac major est, censenda sit magna, & ad constituendum mortale peccatum sufficiens. Verùm si hi loquantur de uno duntaxat cibo gustando vel libando, utique nimis sunt rigidi: quis enim credat, id, quod tantillo carnis majus est, esse tam grave, ut gehennam mereatur, qui id sumit; vel si loquantur de singulis cibis, sanè non adeo modicum tandem erit, quod fuit gustatum vel libatum, maximè si multi cibi gustandi sint vel libandi. Quæro ergo ex Merolla & Leone, an tota illa materia, quæ ex pluribus illis modicis coaluit, sit magna & sufficiens ad peccatum mortale, vel non? Illud non dicent hi auctores; vel si dicant, dum è peccati mortalis barathro volunt eripere bonos coquos & Principum pincernas, eosdem in illud præcipitant. Ergo dicant, necesse est, adhuc parùm esse, & consequenter non materiam peccati mortalis, quod ex illis modicis est compositum. At tunc satis erunt liberales, & viam sternent ad mentem nostram lubentiùs aperiendam.

527. Mihi, qui hæc scribo, placuit olim dicere, mediam circiter libram esse magnam materiam; parvam, quidquid infra illam est. Et hoc ideo, quòd de mente legislatoris tam benignè, quam potest, præsumendum sit; neque adeo existimandum, illum ita voluisse constringere conscientias, ut peccati mortalis se obstringerent illi, qui non tantum carnis comederent, quantum in justo prahdio sufficeret iis, qui carnibus moderatè vesci solent; hoc autem esse mediam circiter libram, videtur ostendere

communis praxis fidelium, præsertim regularium, qui pro consueto prahdio majorem quantitatem non adhibent, nec facile multò minorem: quod autem hac quantitate minus est, tam parvum esse judicavi, ut ad mortale non sufficeret. Et ad hoc confirmandum usus sum exemplo voti de abstinendo à vino; de quo supra n. 350. Sed hæc opinio, re aliter considerata, modò non placet; cum videatur esse æquo laxior. Votum abstinendi à vino non videtur hic accomodatè adduci; quia Ecclesia in jejunio principaliter tanquam finem spectavit macerationem corporis, adeoque abstinentiam ab iis, quæ ad corpus bene nutriendum faciunt: cui quidem fini non obstat usus vini, utpote per se non nutritivi, sicut obest esus carnis per se & ex natura sua satis nutritivæ. Unde non est mirum, quòd in assignanda quantitate carnis non eodem modo discurremus, quo in quantitate vini respectu voti.

528. Ut ergo frantum nec nimium laxemus, nec nimium adstrigamus, media quasi via incedendum erit inter nimis rigidos & paulò laxiores; & ne scrupulis locum demus, si cujusque prudenti judicio juxta proprias corporis vires quantitas illa definienda committatur, determinandum, quæ demum materia sit magna, quæ parva: in quo tamen ipso semper oportet respicere ad dictam Ecclesiæ, imò etiam ipsius Christi bonitatem & benignitatem, cui utique longè consonantius est, si dicamus, Ecclesiæ nolle æternæ pœnæ reum constituere illum, qui die verito tam parùm carnis comedit, ut mediâ librâ multò minus sit: nec Christum dedisse Ecclesiæ tantam potestatem, ut tam par-

vam materiam sub gravis culpæ reatu prohibere queat. Itaque existimo, eam quantitatem, quæ dimidiam partem quadrantis libræ, seu 4. Loth ferè exæquat, sufficere ad peccatum mortale; eam verò, quæ hac notabiliter minor est, peccati venialis limites per se, & secluso scandalo non excedere: sic enim & gravitati legis esum carniū certis diebus prohibentis, & Ecclesiæ benignitati videtur esse satis consultum; nec ostium apertum ad periculosam, imò & damnosam conscientiarum laxitatem introducendam. Equidem, ut verum fatear, pro hoc dicto nullum possum producere Auctorem, sed frangenda demum glacies in his præsertim materiis, quæ admittunt peccatum veniale ex parvitate materiæ: & apertè dicendum, quod occultè in sacro Pœnitentiæ Tribunali decernendum est. Si quis enim se præcisè accuset, quòd comedendo carnes jejunium violaverit, Confessarius nondum scit, (quod tamen velut Judex ex officio saltem regulariter scire debet) an pœnitens peccaverit mortaliter, vel venialiter: debet ergo in hoc secreto foro iudicium sibi formare, quæ materia magna sit, quæ parva. Quod igitur hi privatim sentiunt, quid est, quod in publicum proferre recusant? cum enim in aliis similibus materiis v.g. furtis, neglectu in horis canonicis &c. eam materiam determinat: cur hic sunt tam seu scrupulosi, seu timidi?

529. Jam verò jejunium leviter censetur violare. I. qui horam refectionis ordinariam sine justa causa, etiam notabiliter prævenit. Bonac. *de jejunio*. p. 4. n. 3. Less. l. 4. c. 2. d. 2. n. 13. & alii.
R. P. Stoż Trib. Pœnit.

Quod si autem subsit aliqua justa causa anticipandi, nullum omnino est peccatum. Bonac. Less. *ll. cc.* II. Qui extra consuetudinem tempora aliquid in modica quantitate, sumit, v.g. parum carnis, aut ex aliis cibis quartam partem vespertinæ collationis, unam & duas uncias. Hæc autem omnia intelligenda sunt de eo, qui tenetur jejunare: aliàs nihil eorum, præter esum carniū, aut aliorum ciborum specialiter vitiorum, ad peccatum imputabitur.

530. *Opus pœnitentiæ indiscretè feceris*: v. g. contra consilium Confessarii indiscretè se flagellando, cilicium satis asperum dies noctesque gestando &c. Hoc est peccatum veniale: nisi excessus tantus sit, ut notabile corpori nocumentum inde adferatur.

531. *Legi librum hæreticum semel*. Cum Ecclesia id vel maxime spectet, ut Catholica fides in suis subditis integra & inviolata conservetur, meritò id omne, quod huic integritati nocere potest, procul abesse jubet. Et cum inter hæc lectio librorum hæreticorum non occupet ultimum locum, idcirco eam, si libri de Religione tractent, aut hæresin contineant, in Bulla, quam *Cœna Domini* vocant, sub pœna excommunicationis lata sententiæ, & Summo Pontifici reservatæ prohibet, & quidem omnibus fidelibus infra Pontificem, cujuscunque demum statûs sint aut conditionis, adeo ut ab hac obligatione nec ipsi hæretici excipiantur, cum sint subditi Ecclesiæ. Suar. *de fide*. D. 6. s. 2. n. 26. Palauz *tr.* 4. *de fide*. D. 2. p. 10. §. 3. n. 1.

532. Duo autem in præsentia spectavit Ecclesia, ita ut utrumque seorsim, velut

Pp

velut

velut finem adæquatum, intenderit: unum est, ut paulò antè dictum, perversionis periculum, quod incurrere possunt, qui ejusmodi libros hæreticos legunt: alterum est, detestatio hæretici Auctoris, cujus memoriam in odium hæresis ne in libris vult extare. Et licèt prior finis quandoque in particulari verè cesset, & idcirco præcisè ex hoc capite lex non videatur ligare (nam, quæ est communis & recepta doctrina, legis cessat obligatio etiam in particulari, si finis quoque adæquatus cesset) nihilominus alter finis semper manet, atque adeo etiam lex adhuc obligat. Unde etsi aliquis videatur sibi in fide tam firmus esse, ut nullum ipse perversionis periculum timeat, adhuc tenetur ab ea lectione abstinere. Dian. p. 6. tr. 6. R. 49.

533. Libri autem, qui hac constitutione continentur, sunt omnes & quicunque ab hæreticis, etiam de Religione non tractantes, historici, poëtici, juridici, philosophi, si vel unam tantùm contineant hæresin. Suarez. T. 5. D. 21. n. 10. Sanch. l. 2. Mor. c. 10. n. 34. Laym. l. 2. tr. 1. c. 14. n. 4. Bonac. de Conf. D. 2. q. 5. p. 4. n. 20. & alii. Nam in primis qualiscunque sit liber ab Auctore hæretico conscriptus, semper in illo reperitur alter prohibitionis finis, qui est odium & detestatio Auctoris; & videtur esse conformius regulæ secundæ Indicis: deinde in Bulla disertè distinguitur: *si aut liber hæresin contineat, aut de Religione tractet*, (intellige ex professo) et si totius libri argumentum non sit de Religione. Sanch. l. 6. v. g. de materia Theologiæ seu scholasticæ, seu moralis, ut de mysterio SS. Trinitatis, de prædestinatione, de

Sacramentis, de moribus &c. in alternativis autem sufficit alterutrum verificari.

534. Verùm Laym. n. 4. testatur, constitutionem illam bullarem in tanto rigore in nostris septentrionalibus partibus non esse receptam. Non enim libri medici, juridici &c. ab hæreticis facillè ita eduntur, ut nullam penitus hæresin contineant, tamen passim in Catholicorum bibliothecis publicè asservantur, passim in manibus eorundem versantur, teruntur, & leguntur. Unde multò minùs censendum est, eosdem libros, si nulla penitus hæresis iis inspersa sit, in iisdem prohibitos esse. Hinc tamen idem Laym. excipit, & meritò, historicos, quorum præcipuum studium est, Catholicam Religionem, seu Romanam Ecclesiam, statum Monachorum, & Clericorum convellere, & traducere, ut Sleidanus, Aventinus, Münsterus & similes fecerunt.

535. Ceterùm, qui prædictos libros scienter legunt, peccant mortaliter, si materia sit notabilis, ut desumitur ex pœna, quâ ii lectores afficiuntur: est enim gravissima, & supponit peccatum mortale. Possunt tamen excusari, si materia sit parva: si enim in aliis rebus parvas materia à mortali excusat, cur non etiam in hac? sed quæ sit materia parva, Auctores, ut in similibus solent, sunt valde diversi. Toletus l. 1. c. 19. §. *sextum genus*. vult unam vel alteram lineam sufficere, eò quòd perfecta hæresis etiam in uno versu contineri possit. Verùm hoc est nimis rigidum: nam lex, præsertim pœnalis, id spectat, quod plerumque non quod rarò usu venit: plerumque autem extam modica lectione nullum oriri potest.

test periculum. Croufers in *Reg. S. Francisci. c. 7. lect. 5.* apud Dian. in *Summa V. hereticorum libri. n. 39.* tantam libri partem, quæ per se sumpta verè possit nomine libri venire, sufficere ad mortale, & quod infra est, ad veniale. Sed hæc sententia uti que nimis laxa est, & minimè toleranda. Manuel, Vivaldus, & Sa apud Sanch. n. 31. putant, paginam integram etiam majoris voluminis, sive in folio impressi, esse materiam sufficientem ad peccatum mortale, non autem quod est infra: quod ipsum etiam Sanch. probat. Sed Laym. id non concedit, licèt fateatur, confessario posse ad hoc servire, ut non statim damnet peccati mortalis, & excommunicationis eum, qui bono fine, vel etiam ex curiositate unam paginam legit. Sed si vim hujus dicti bene perpendo, Laym. verè est in sententia Sanchezii, quam tenet etiam Palaus. *T. 1. tr. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 6.* relatus à Tamb. in *Decal. l. 2. c. 1. §. 7. n. 4.* ubi sententiam hanc idem vocat probabilem.

536. Nomine verò libri non venit quodlibet schediasma, aut epistola; imò nec concio, aut alia papyrus hæretici soluta, & nondum in tractatûs formam redacta: quia hæc communi, & usitato loquendi modo non vocantur libri. Sanch. n. 29. Sed ego judico de concionibus aliter esse sentiendum: quia communiter per modum tractatûs apologetici ad confutandam Catholicam, & stabiliendam hæreticam Religionem eduntur. Similiter & solum proæmium, quo materia libri & mens auctoris explicantur, vel epistola ad Lectorem, vel index summam in libro contentorum complexus cadit sub hanc prohibitionem, neque adeo

possunt innoxie legi. Sanch. n. 30. Laym. n. 3, & alii. Nec refert, an libri sint jam impressi, vel manu scripti tantùm, si enim licitum esset, librum nondum typis impressum legere, facilè elideretur gravissima & sanctissima lex de libris hæreticorum non legendis. Sanch. n. 28.

537. *Jussi alterum mihi prælegere librum hæreticum bis.* Et si non delint, qui existiment, eum, qui mandat lectionem libri hæretici, incurrere censuram. Suar. *de fide. D. 20. f. 2. n. 19.* Laym. n. 6. & alii, quos refert, & sequitur Diana *p. 1. tr. 11. R. 33.* quia si rem moraliter æstimemus, talis mandans censetur verè legere librum, quanvis per alterius ministerium; valet nimirum hîc tritum illud: quod quis per alium facit, per se censetur facere. Nihilominus Palaus n. 4. Sanch. n. 48. Fill. *tr. 16. c. 2. n. 45.* & *tr. 22. c. 7. n. 207.* Coninch. *de fide D. 18. d. 11. n. 178.* Tamb. n. 32. & alii plures meliùs negant, quia verba legis pœnalis non sunt ultra propriam & strictam significationem extendenda: audire autem non est legere. Nec refert, quòd alter mandaverit, ut legeretur: quia cum lex prohibet actionem aliquam, & non addit extensionem ad facientem per alium, restringenda est ad facientem per seipsum; & ad consulentes, mandantes & similes, nisi exprimantur, non est extendenda, juxta illud, odia sunt restringenda; & in odiosis benignior interpretatio faciendâ: alioqui si quælibet prohibitio etiam ad mandantes spectaret, frustra aliquando exprimeretur, aliquando non: in proposito autem lex, quâ lectio Librorum hæreticorum prohibetur, mandantium, aut consulentium non meminit. Unde

patet, adductam regulam in odiosis non semper valere. Etsi autem talis mandans non peccet legendo; nec incurrat pœnas legentium libros hæreticos; peccat tamen graviter peccato scandali, inducendo alterum ad eam lectionem, modo inductus iste sit gnarus idiomatis, in quo liber scriptus est: hic enim verè communicat per eam lectionem cum hæreticis: si autem idiomatis illius sit ignarus, statim dicetur, quid sit sentiendum.

538. *Ex mandato Domini mei prælegi ipsi librum hæreticum bis.* Mandatarius hic vel intelligit idioma libri, vel non, sed ipsius planè est ignarus. Si I. extra controversiam est, eum incurrare censuram, si quidem secluso metu gravi, & ignorantia saltem invincibili eum librum legerit. Si II. Bonac. *de censuris D.2. q.5. p.4. n.14.* *Et alii* existimant, talem adhuc incurrare censuram, quia Ecclesia in sua illa prohibitione non finem, sed factum spectavit; vel si etiam finem spectavit, is adhuc locum habet: nam Ecclesia absolutè prohibuit eam lectionem, idque in odium & detestationem hæresis; nec distinxit, esse ne lectio formalis, an verò solùm materialis. At verò famulum linguæ, quâ liber, quem legit jussu Domini, scriptus est, prorsus rudem, non incurrare censuram, docent. Suar. *n.18.* Palau *n.2.* Fill. *tr.22. n.207.* Tamb. *n.31.* *Et alii.* Quia cum Ecclesia prohibuit lectionem librorum hæreticorum, prohibuit veram & formalem lectionem, quæ posset esse communicativa cum hæreticis in doctrina, qualis non potest esse lectio merè materialis: hic enim est finis istius prohibitionis, quem Ecclesia præcipuè spectavit, non merum

factum. Odium verò & detestatio hæresis extendit se ad communicationem cum hæreticis, qualis in præsentia nulla est. Nec refert, quòd Ecclesia non distinxerit inter lectionem materialem & formalem: nam terminus æquivocus accipiendus semper est in propria significatione, nisi forte verba adjuncta aliud suadeant. Unde cum nihil sit, quod vocem *Lectio*, quæ est æquivoca, etiam ad alienam & impropriam significationem determinet, existimandum est, eam ab Ecclesia sumptam esse in sua propria significatione, quæ veram & formalem lectionem significat, & in ea primò fuisse prohibitam; & hoc ideo, quod hæc sola, non autem lectio materialis, sit communicativa cum hæretico, & in hæresu inductiva: cum autem ratio legis statim à sui principio casum aliquem non comprehendit, nec lex aut ejus pœna eum comprehendet. Sanch. *l.2. de Matrim. D.37. n.3.*

539. *Librum hæreticum per aliquot dies retinui semel.* Prohibita est eadem constitutione etiam retentio librorum hæreticorum: patet ex textu Bullæ, cujus finis est, ut dicti libri non conferrentur, sed destruantur. Violant hanc legem, qui libros hæreticorum sive suo, sive alieno nomine, sive in suis, sive in alienis ædibus retinent; etsi nec legant, nec legendi causâ retineant, sed solùm curiositatis, ornandæ bibliothecæ, aut permutandi hæreticorum errores. Palau *D.2. p.10. §.2. n.7.* *Et 9. Et alii.* Nec excusantur à transgressione hujus legis, qui libros hæreticorum etiam ignoto idioma descriptos retinent. Et habent hæc, quòd
attent.

attendant bibliopola, bibliopegi, aromararii, & similes, qui retinent eos libros ad vendendum, vel ad compingendum, vel ad aromata, caseum &c. eorum folijs involvenda. Sanch. l. 2. Mor. c. 10. n. 53. Laym. c. 14. n. 7. & alii. solus enim finis pro opportunitate illos libros tradendi excusare potest retinentes. Laym. l. c. Sanch. n. 55. Exentat quoque ab hac censura brevitatis seu parvitas temporis: breve autem tempus censetur esse biduum. Palau. §. 2. n. 11. Dian. p. 1. rr. 10. R. 30. Quodsi commoditas tradendi deesset, & illa absque fraude & negligentia diu expectaretur, non esset locus huic censuræ, quia non dicitur verè retinere contra præceptum Ecclesiæ, qui opportunum tempus tradendi expectat.

540. *Periculo peccandi me exposui bis.* Periculum peccandi nihil aliud est, quam occasio peccandi: de cuius divisione, & necessitate eam devitandi jam supra dictum p. 2. à n. 81. Hic solum addendum est, quod, cum exponere se periculo proximo peccandi sit peccatum, & quidem, ut Sanch. l. 1. Mor. c. 8. n. 4. cum Suar. quem refert, T. 5. in 3. p. D. 18. f. 3. n. 16. tradit, ejusdem malitiæ & gravitatis cum ipso peccato, cujus periculo se quis objicit, in Confessione ipsa peccati, cujus periculo se quis exposuit, species cum omnibus suis circumstantijs necessariò explicanda sit, si quidem peccatum illud mortale fuerit. Et quidem si inter periculum & peccatum ipsum non intercessit mora notabilis: (quæ nempe necessaria est ad unum peccatum numero distinguendum ab alio) ea duo, nimirum exponere se periculo peccandi,

& peccare, unum moraliter peccatum constituunt. Lugo de pœnit. D. 16. f. 12. n. 511. Tamb. in Method. Conf. l. 2. c. 7. d. 4. n. 28. Diana in sum. V. circumstantia n. 52. Dicast. rr. 8. D. 9. d. 8. n. 716. proinde non est necesse dicere, v. g. *exposui me periculo peccandi, ingrediendo v. g. domum puella, & dein peccavi cum illa, tangendo v. g. turpiter, osculando &c.* sed satis est dicere. *Tetigi turpiter puellam, osculatus sum &c.* adjecto tamen numero.

541. Quodsi inter ea duo intercedat mora notabilis, duo sunt peccata ejusdem quidem speciei, distinctè tamen confitenda, Lugo. Tamb. Dian. Dicast. ll. cc. Quare in tali casu sic se pœnitens accuset, necesse est: *Exposui me semel periculo ebrietatis, fornicationis, tactuum impudicorum cum puero: vel cum puella: & me inebriavi semel: fornicatus sum bis: tactus impudicos cum puero &c. exercevit, &c.*

NOTA.

Si id, ex quo periculum peccandi imminet, peccatum sit, v. g. lectio obscæni libri, turpiloquium &c. etiam ipsum exprimendum erit in hunc fere modum. *Lectio libri turpis periculum turpium, & morosarum delectationum &c. adii: & rebus ipsis turpibus morosè sum delectatus.* Explicanda hinc quoque sunt peccata, quæ visu, auditu, tactu, lectione librorum obscænorum, aut aliter contra castitatem opere externo commissa essent: & expressè dicendum, quâ intentione v. g. aspexeris turpia? an cum desiderio peccandi? an verò ex simplici complacentiâ circa objectum seu rem visam?

lam? item cum qua persona? soluta? an ligata matrimonio, voto castitatis? &c. tandem etiam quoties? ter scilicet, an quinquies? &c. si dubium aliquod occurrat, vel fati quis non intelligat, an malum sit, vel non; candidè & confidenter interrogandus est Confessarius, & ex eo discenda veritas, intra, vel, quod subinde magis expedit, etiam extra confessionem. Vide *sup. n. 163.*

542. Ceterùm audire, legere, scribere, aspicere &c. turpia, est quid de se indifferens, id est, nec malum nec bonum, ac proinde tota istorum honestas vel malitia pendet ex circumstantiis, & sine audientis, legentis &c. Unde qui talia facit ob finem bonum, v.g. causâ studii, necessitatis, aut magnæ utilitatis (qualis cernitur in audientibus confessiones) non peccat: qui verò ob levitatem vel curiositatem, vel valde obiter, & quasi per transennam eadem facit, non est continuò damnandus peccati mortalis, secluso quidem scandalo, & periculo delectationis venereæ; sicut nec qui ob ruborem turpia loquentibus nec contradicere, nec è loco recedere audeat: etsi ad talia audita subrideat, vel aliud quid simile faciat. Idem est de eo, qui talia audit, legit, vel scribit & delectatur non tam ipsa re, v.g. audita, visa, quàm artificio in ea recepto. Vide *cit. n. 163. & seq. Item n. 241. & 515.*

543. Monuerim tamen, eos, quos simile artificio in aliis rebus, præsertim piis, non delectat, meritò sibi posse, ac debere esse suspectos, se non tam ex artificio, quàm ex re visa, audita &c. delectationem cepisse, ac proinde peccasse mortaliter. Id quod multò magis verum

est respectu eorum, quos constat talia solere agere animo verè libidinoso, id est, ad ipsa turpia affecto. Imò absolutè, quia talia plerumque solent adjunctum habere proximum periculum delectationis venereæ, non facilè excusari possunt à peccato mortali, nisi ex gravi causa, vel necessitate fiant. At verò tactus, qui propius ad libidinem ordinatur, longè difficilius à peccato mortali excusari potest, maxime si fiat in alieno corpore, & partibus, quas natura ipsa tectas esse cupit.

544. Consummata verò luxuria species sunt I. Fornicatio, quæ est naturalis concubitus personæ solutæ cum soluta (hoc est, libera à voto, aut matrimonio) ex consensu mutuo. Una ab altera non differt specie, nisi alia circumstantia specifica accedat; qualis est impotentia frigiditatis juxta dicta *p. 1. n. 53.* Non tamen amissio virginitatis juxta *p. 1. n. 50.* Est mortale peccatum: nunquam potest esse licita; nec de ea inter Christianos dari ignorantia invincibilis. *Dian. in sum. V. Fornicatio. n. 4.* II. Stuprum, quæ est violenta Virginis oppressio; differt specie morali à simplici fornicatione propter circumstantiam violentiæ juxta *p. 1. n. 71.* & *Tamb. in Meth. conf. l. 2. c. 7. §. 8. n. 56. & alios.*

545. III. Raptus, qui est peccatum luxuriæ, quo persona aliqua cum violentia abducitur ad turpem actum cum ea exercendum. *Tamb. §. 9. n. 6.* Differt à stupro in duobus: in primis quòd stuprum fit cum virgine violentè oppressa; raptus verò de quacunque muliere sive nupta, sive innupta; imò etiam (quod turpissimum est) masculo. *Tamb. n. 60.* Deinde quod raptus præter violentiam dicat etiam

etiam abductionem, & quidem causâ libidinis cum persona abducta exercendâ. Fill. *tr.* 30. *n.* 108. Tamb. *n.* 61. Unde si quis abducat puellam animo duntaxat matrimonium cum ea contrahendi, non est raptus, prout hîc sumitur; nec si animo redigendi in servitutem abducatur: hoc enim Plagium est, seu furtum hominis, non autem raptus. Less. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 66. Sanch. *l.* 7. *de Matrim.* *D.* 12. à *n.* 30. *n.* 110. Non autem requiritur ad raptum, ut concubitus re ipsa sequatur; satis est, eo sine abductam esse fâminam. Less. *l.* 6. Fill. *n.* 108. *& alii.* Differt specie à simplici fornicatione propter violentiam, quam habet adjunctam, quæ proinde specialiter est confitenda. Sanch. *n.* 34. Tamb. *l.* 6. quin & à stupro: hoc enim dicit actualem concubitum cum virgine invita; raptus autem solum animum exercendi libidinem, etsi fâmina rapta non sit amplius virgo, nec concubitus sequatur. Potest adjunctas habere alias malitias v.g. adulterii, fornicationis, sacrilegii &c.

546. IV. Adulterium, quod est inter personas, vel utramque, vel alterutram conjugatam, est peccatum mortale, de quo nemo dubitat, additque supra fornicationis malitiam gravissimam injuriam contra justitiam, etiam cum, ut Fill. *n.* 86. notat, matrimonium tantum est ratum. Si conjugatus peccet cum conjugata, utraque circumstantia est explicanda; duplicem enim malitiam injustitiæ committit: unam, qui in sua persona peccat, & fidem conjugalem propriam, quam nempe suæ conjugi debet, violat: alteram verò, quia cooperatur cum alia persona, ut & illa in semet peccet, & fidem sui conjugii fran-

gat. Fill. *n.* 88. Nec refert, quòd, quando conjugatus cum conjugata peccat, injuriæ illæ non differant; differunt enim saltem numero: est autem in confessione etiam numerus peccatorum, non sola species explicanda.

547. V. Incestus, qui est peccatum luxuriæ inter personas conjunctas, vel carnaliter per consanguinitatem & affinitatem; vel legaliter per adoptionem; vel spiritualiter per administrationem vel receptionem Sacramentorum Baptismi & Confirmationis, non tamen Pœnitentiæ, qua ratione hi incestus inter se differant, satis dictum est, *p.* 1. *n.* 51. & quomodo sint exprimendi in confessione. *ibid.* à *n.* 85.

548. VI. Sacrilegium, prout hîc sumitur, est violatio rei sacræ per actum venerum: specialiter repugnat Religioni; unde & specialiter est explicandum in confessione. Res autem, quæ sic violantur, sunt locus sacræ, & persona voto castitatis seu simplici seu solenni (non enim differunt specie hæc vota. Fill. *c.* 7. *n.* 124.) obstricta: qua de re *p.* 1. *n.* 50. dictum est: quod si utraque persona sit voto castitatis obstricta, utraque circumstantia est exprimenda. Fill. *n.* 128. (ut supra de adulterio dixi sicut & alia quæcunque stupri videlicet, adulterii &c. quæ etiam quandoque in sacrilegio reperitur. Fill. *n.* 136.)

549. VII. Peccatum contranaturam, quod est actus, quo semen humanum sine speculaturæ generationis prodigitur. Est peccatum in genere luxuriæ gravissimum. Fill. *c.* 8. *n.* 138. habetque sub se tres species, easque non quidem physicè, sed moraliter recta hominum æstimatione distinctas. Fill. *n.* 142. Earum prima est

Molli-

P
Mollities, quæ est voluntaria pollutio, seu effusio seminis extra copulam carnalem causâ libidinis venereæ explendæ. Ea semper est peccatum mortale, nullo unquam casu, etiam causâ valetudinis, aut ipsius etiam vitæ conservandæ licita. Quæ est sententia ab omnibus recepta, & indubitatæ veritatis. Una ab altera non differt specie, per se loquendo; Fill. n. 155. per accidens & ratione personarum, quarum congressum aliquis, dum se polluit, cogitat aut desiderat, induit rationem subinde fornicationis, subinde adulterii, subinde etiam sacrilegii, v.g. propter votum personæ se polluentis, quæ proinde malitia præter ipsam pollutionem specialiter est exprimenda. Tamb. §. 10. Fill. n. 154. Sed & si quis in semet excitet pollutionem operâ alicujus rei animatæ, v.g. viri vel feminae, utique hæc personæ circumstantia specialiter est explicanda, non tantum, quia est copula inchoata, & non mera pollutio, sed etiam quia alterius personæ peccato cooperatur: multò magis, si, quod subinde contingit, adjunctus sit affectus erga ipsam personam, eamque vel sexûs debiti, (quo quidem casu habet simul malitiam fornicationis, adulterii &c. juxta conditionem personæ) vel sexûs indebiti; vel erga partes præposteræ sexûs debiti: ut sic enim conjuncta est malitia Sodomæ. Quibus verò partibus corporis alieni utaris ad excitandam in te pollutionem, non est necesse speciatim exprimere; non enim inde variatur species; si quidem absit affectus erga personam ipsam, aut partes præposteræ, neque altera persona tuæ pollutioni cooperetur, Tamb. n. 64. Fill. n. 155.

550. Altera species peccati contra na-

turam est Sodomia, quæ si sit concubitus cum persona ejusdem sexûs, est perfecta: imperfecta verò, si servetur quidem sexus debitus, sed non vas debitum. Tamb. n. 67. Una differt specie ab altera: perfecta enim procedit ex affectu erga sexum indebitum: imperfecta verò ex affectu erga sexum quidem debitum, non tamen ad partem debitam, sed præposteram; unde etiam in confessione utraque speciatim est exprimenda. Tamb. n. 74. At verò intra terminos perfectæ Sodomæ (idem est, si sit imperfecta) omnes conveniunt specie, nisi conditio personæ, à qua, vel cum qua exercetur, aut affectus erga personam, ex quo exercetur, aliud ferat. Qui fatetur suum concubitus cum femina, præsumitur, id fecisse modo naturali: ita enim ordinariè fieri solet; ea autem, quæ ordinariè non solent fieri, non sunt præsumenda, nisi aliud expressè constet.

551. Tertia species luxuriæ contranaturam est Bestialitas, quæ est concubitus hominis cum re animata, quæ sit divetæ ab homine speciei. Fill. n. 161. Tamb. n. 78. Huc reducitur concubitus cum dæmone: nondum enim est ejusdem cum homine speciei, etsi formam hominis assumat. Fill. *ibid.* In hoc crimine non est necessarium, ut genus animalis, cum quo exercitur, exprimat: perinde est, sive fuerit equus, sive gallina, sive bos, sive vacca &c. semper enim eadem est specie moralis deformitas. Fill. *l.c.* Tamb. n. 78. At si sit concubitus cum dæmone, debet id explicari: quia additur circumstantia contra Religionem propter commercium cum dæmone. Fill. n. 162. Tamb. *l.c.* specialiter exprimendum erit, fue-

fueritne dæmon in forma viri vel fæminæ, talis conjugati, sanguine juncti, voto obstricti &c. Fill. *ibidem*. quia supra bestialitatem additur affectus erga talem personam.

552. Porro omnes prædictæ species sunt ex genere suo peccata mortalia, & quidem ita, ut nulla probabilitate dici aut judicari queat, eas quandoque ob parvitatem materiæ transire posse in peccatum veniale. Et quoniam etiam singulæ ab invicem verè differunt specie, non est satis dicere, se externo opere contra castitatem peccasse; sed necesse est, ipsam operis externi speciem declarare; aliàs non explicares propriam malitiam, v.g. fornicationis, quæ est specie diversa à quacunque alia malitia contra castitatem.

553. Ad hæc, cetera, quæ præcipuè tactu & osculis contra castitatem committuntur, revocantur tanquam dispositiones & præambula; & idcirco seorsim non sunt explicanda: Bonac. *de pœnit.* D. 5. q. 5. s. 2. p. 2. §. 3. diff. 2. n. 12. Reginald. l. 14. n. 55. Fill. *tr.* 21. n. 334. nisi (quod frequens est) tunc, cum reipsum cum actu, ad quem ex intentione fuerunt ordinata, non conjunguntur: vel conjunguntur quidem, exercita tamen sunt sine relatione seu intentione ipsius actûs consummati. Bonac. *ibid.* Coninch. *de Sacram.* D. 7. d. 7. n. 58. Suar. D. 22. s. 5. n. 24. Dian. *in sum.* V. *Circumstantia.* n. 59. Navar. c. 6. n. 7. & alii. Idem est de tactibus, osculis &c. quæ consummatum luxuriæ actum consequuntur, si fiant non ad novam copulam, sed prioris complementum: nam neque hæc distinctum, & in confessione specialiter explicandum peccatum constituunt; nisi notabilis inter

R. P. Stoz. Trib. Pœnit.

ipsa & principalem actum intercedat mora. Navar. c. 6. n. 7. Henriq. l. 5. c. 5. n. 5. & in *Gloss. lit. V.* & c. 8. n. 3. Sancius D. 6. n. 2. Dian. n. 58. Tamb. *in Meth. conf.* l. 2. c. 1. §. 10. n. 72.

Nota, ex supra posito peccatorum Catalogo ad Confessarium non esse deferenda, nisi illa, quæ minori typo, quem *Cursivum* appellant, descripta sunt: hæc enim sola sunt materia confessionis; reliqua verò, quæ caractere, quo ordinariè usi sumus, expressa sunt, declarant peccatorum designatorum naturam & gravitatem, & sunt in confessione prorsus omitenda.

QUÆSTIO IV.

De Multiplicatione Peccatorum.

AD planiorem facilioremque supra positi Syllabi, quo peccata eorumque naturam complexi sumus, usum, non incongruum erit, aliquid addere de peccatorum multiplicatione seu distinctione, quæ generatim duplex, specifica & numerica.

ARTICULUS I.

De specifica peccatorum distinctione.

554. Ut specifica peccatorum distinctio rectè assignetur, breviter advertendum est ex materia de Actibus humanis; eorum alios præcisè malos esse, quia lege aliqua positiva, eaque vel divina, vel humana sunt prohibiti; alios verè independenter ab ea prohibitione malos esse; quales sunt, qui jure naturali sunt illiciti, ut perjurium, pollutio, mendacium &c.

Q9

Hoc

Hoc præsupposito, non admodum operosum erit, dicere, quæ peccata inter se specie differant.

§. Unicus.

Quanam peccata specie differant.

555. Peccatorum, quæ & quatenus positivis legibus repugnant, specifica distinctio rectè desumitur ex formali & specifica præceptorum diversitate. Laym. l. 1. tr. 3. c. 2. n. 1. Sanch. l. 9. de Matrim. D. 15. n. 5. Palau tr. 2. D. 3. p. 1. n. 4. Bonac. de pec. D. 2. q. 4. p. 3. n. 5. & alii. Cùm enim peccatum aliud non sit, quàm voluntaria legis seu præcepti transgressio, illud ipsum, quod ei violationi speciem tribuit, etiam peccato tribuet; id autem est ipsum præceptum. Unde contingere potest, ut, licet ipsi præcipientes seu legislatores specie differant, ut DEUS & homo, non tamen præcepta ab iis lata similiter differant. Palau n. 2. Bonac. l. c. Lugo de panit. D. 16. s. 3. n. 245. Dicast. de pan. tr. 8. D. 9. d. 8. n. 471.

556. Ceterùm præceptorum diversitas ex duplici potissimum capite deprehendi potest; quorum I. est objectum formale seu motivum proximum, propter quod lex aliqua statuitur: cùm enim quilibet actus, quo aliquid præcipitur aut prohibetur, habeat motivum, quod spectet, seu propter quod præcipiatur aliquid, vel prohibeat; necesse est, ut, si motivum specie differat, etiam præceptum differat; ea enim est objecti formalis conditio, ut, si ipsum specie differat, etiam actus illud respiciens talis sit.

557. Quoniam autem in qualibet re præcepta potest à legislatore intendi vel

ipsa ejus rei intrinseca honestas, v. g. in jejunio ratio Temperantiæ: vel extrinseca, proveniens scilicet ex iplo, quod præcipiens pro arbitrio suo spectare & intendere potest, motivo seu fine, v. g. in eodem jejunio cultum alicujus Sancti, in cujus honorem jejunium illud indicitur: vel etiam utraque simul: quoniam, inquam, legislator, cùm aliquid præcipit, hæc omnia vel simul, vel seorsim intendere potest, difficultas jam est, unde dignosci possit, legislatorem, cum actum aliquem v. g. jejunium præcipit rationem habere vel solius intrinsece honestatis, in eo actu repetat; vel eâ non attentâ, alterius cujuspiam virtutis, v. g. Religionis; vel etiam utriusque: ad cujus decisionem hæc regula servire potest.

558. Quandoquocumque aliud non constat ex circumstantiis, & verbis, quibus res præcipitur, præsumendum est, eam præcipi ex intrinseco virtutis, ad quam res præcepta pertinet, motivo: & in dubio standum est pro intrinseca ipsius rei honestate; rem enim præcipi intuitu virtutis, ad quam intrinsecè spectat, est quid frequentius, & verò etiam connaturalius; unde (nisi aliud expressè constet) ita factum esse præsumendum est. At verò, si ex verbis præcepti vel circumstantiis extrinsecis aliud constet, censendum est, rem præceptam esse intuitu extrinsece honestatis, hoc est alterius cujuspiam virtutis, ad quam res illa intrinsecè non spectat. Exemplo res clarior evadet. Percussio personæ sacræ, aut furtum re sacræ specialiter ab Ecclesia prohibetur intuitu Religionis; id quod colligitur ex circumstantiis personæ percussæ, & rei ablata. Cùm enim percussio Clerici perinde ac

de ac Laici, furtum rei sacrae perinde ac profanae, Iustitiae repugnet, rectè inferatur, præceptum Ecclesiasticum, quo vetatur percussio personæ, aut furtum rei sacrae, non esse datum intuitu Iustitiae, sed quam non pertinet circumstantia sacri, sed intuitu Religionis: e contra verò jejunium, præceptum in vigilia alicujus festi, motivo solius temperantiae niti; quia nihil est, ex quo colligi possit, etiam Religionis rationem esse habitam. Hinc qui Clericum percutit, duo peccata committit, unum Religioni, alterum Iustitiae oppositum, quia præcepta diversam rationem formalem respicientia violat: qui verò jejunium, pro vigilia alicujus festi injunctum, frangit, tantùm unum peccatum committit; quia etiam unum tantùm præceptum, ex uno eodémque temperantiae motivo latum transgreditur.

559. Quòd jam ad II. caput, ex quo præceptorum diversitas sumi potest, attinet, illud est objectum materiale: licet enim per ordinem ad illud præcepta generaliter non possint specie distingui (alioqui præceptum de carnibus non comedendis specie tam varium esset, quàm variæ sunt carniùm species; quod est aperte falsum) negari tamen non potest, ea quandoque etiam per ordinem ad diversa specie objecta materialia specie differre: id quod clare cernitur in præceptis audiendi Sacrum, & recitandi Horas Canonicas, quæ licet ad eandem virtutem, nempe ad religionem spectent, adhuc tamen differunt specie, non ex objecto formali, ut patet: igitur ex materiali. Sed hæc de specifica peccatorum diversitate desumpta ex formali præceptorum diversitate latæ.

560. Quod ergo ad peccata, quæ & quatenus juri naturali repugnant, spectat, ea specie inter se differunt, cum ipsa eorum objecta inter se specie distinguuntur; imò verò etiam tunc, cum ipsa ratio seu modus, quo in objectum tendunt, valde diversus est: si enim ex ejusmodi principiis differentiam specificam physicam rerum deprehendimus; utique etiam ex eisdem moralem poterimus per vestigare. Hinc rapina specie differt à simplici furto; etsi enim objectum utriusque idem sit, modus tamen, quo illud attingunt, est notabiliter diversus: in rapina enim cernitur vis, quæ in simplici furto non est. Similiter stuprum specie differt à simplici fornicatione cum Virgine: licet enim eidem virtuti, videlicet castitate, opponantur; cum stupro tamen conjuncta est violentia, non item cum fornicatione simplici. Sic & prodigalitas ab avaritia specie differt ex diversitate modi tendendi in objectum.

Nomine autem objecti intelliguntur etiam circumstantiæ, de quibus *p. 1. an. 49.* satis superque dictum est, an & qua ratione dent actui novam speciem: quibus ex Reginald, *l. 14. n. 12.* illud obiter addendum est, circumstantiam invincibiliter ignoratam, & quæ nullo modo prævisa est, nec prævideri potuit (quia in voluntatem liberam non cadit) habendam esse pro non morali, tanquam nihil conferentem ad bonitatem vel malitiam moralem.

ARTICULUS II.

De numerica peccatorum distinctione.

561. Non est sermo de illa peccatorum numerica distinctione, quæ conjuncta est cum distinctione specifica; quo modo

Qq 2

v. g.

v. g. blasphemia & perjurium dicuntur non esse unum numero peccatum: neque de illa, quæ habetur ratione subiecti, seu ipsius personæ operantis; ut quando voluntas furandi, quæ est in Petro, dicitur non esse idem numero peccatum cum voluntate furandi, quæ est in Paulo: sed solum de illa, quæ potest repetiri in eodem supposito seu persona operante, & intra eandem peccati speciem: ut si Petrus eliciat duos actus odij, duos actus blasphemix, contumeliæ &c. quia autem peccata alia sunt merè interna, alia externa (quia scilicet præter pravam internam voluntatem aliquem externum actum continent) idcirco etiam seorsim dicemus, quonam modo multiplicentur numero.

§. I.

De multiplicatione numerica peccatorum merè internorum.

562. Plurimi, qui confessionem parant, in conquirendo & explicando præcipuè numero peccatorum merè internorum laborant, sibi que & sæpe etiam Confessariis magnam creant difficultatem & molestiam, v. g. versantur sæpe per aliquot horas, dies, septimanas, & menses in gravi odio erga proximum, desiderando ipsi gravia mala; in turpi item desiderio, concupiscendo turpiter puellam &c. & nesciunt, qua ratione suam expediant confessionem, posito, quòd aliquoties ejusmodi actus negotiis, somno, aliisque etiam bonis cogitationibus interruperint. Alij scrupulosi nimium sunt, & prolixi in peccatorum internorum catalogo texendo, & legendo, cum tamen

ea omni tam religiosa enarratione superfedere possint. Hi ergo sequentia accipiant, & bene teneant.

563. I. Certum est, peccata interna toties multiplicari numero, quoties prior voluntas aut propositum per contrariam voluntatem retractatur: per hanc enim penitentiam actus illi non tantum in genere physico, sed etiam morali perfectè interruptuntur, & evadunt numero diversi; & si sæpius eadem horâ vel die renoventur, in confessione eorum numero eo, quo potest, modo exprimendus est. Hæc enim est doctrina Catholica Concilij Trident. *Sess. 14. cap. 5. §. can. 7.* & ipsa fidelium praxis probat.

564. II. Quodsi verò ejusmodi actus contraria voluntate non interruptuntur, certum etiam est, eos physice loquendo, multiplicari per quamcunque cessationem ab actu: & ideo juxta Catholicam, quam modò ex Concilio Trident. allegavi, doctrinam, eorum numerum, siquidem innotescat, specialiter in confessione aperiendum esse. Quia verò frequenter ultravenit, ut numerus earum interruptionum non constet, aut constare non possit, etiam post diligens examen, idcirco

565. III. Moraliter, & in ordine ad confessionem, peccata interna non multiplicantur numero per solam physicam repetitionem actuum circa idem objectum, sed per tempus moraliter notabile inter ipsos actus intercedens. Lugo *D. 16. de pen. f. 14. n. 566.* Tamb. *l. 2. Meth. conf. c. 2. §. 5. n. 32. §. 8. n. 47.* Bonac. *de pec. D. 2. q. 4. p. 2. n. 5.* & alii: brevis enim interruptionis in morali æstimatione non habetur ratio; & ideo prior actus secundum eandem æstimationem

nem censetur continuatus, non quidem eo sensu, quòd hominem denominet actu peccantem (hoc enim falsum est) sed solum habitualiter, hoc est, ita ut homo vi actus præteriti, non revocati seu permanentis habitualiter, semper promptus sit ad malas illas cogitationes repetendas. Ab hac ergo habituali permanentia seu persistentia malæ cogitationes & ceteri actus interni, seu multi sint, seu pauci, suam desumunt unitatem. Bonac. n. 6.

566. Quæ verò distantia inter ejusmodi perversas voluntates requiratur ad hoc, ut non possint dici unum peccatum, difficile est dicere. Fagundez putat, sufficere unum quadrantem horæ, aut ad summum mediam horam. Sed hoc planè gratis asseritur. Lugo igitur n. 569. ait, id optimè delumi posse ex proportione ad peccata externa. Hinc sicut, cum quis uno eodémque iracundiæ impetu agitur, plures, etsi interruptim, contumelias in unum eundémque hominem conjicit, aut sæpius percutit, vel vulnerat &c. moraliter tantum una contumelia, percussio & vulneratio censetur esse; ita etiam cum uno concupiscentiæ calore & impetu, in eadem ejusdem objecti mali cogitatione persistis, & actum v.g. concupiscentiæ seu morosæ delectationis repetis, unum tantum peccatum censeri committere. Si verò alio calore agitur concupiscas, vel mora tam longa intercedat inter hunc & posteriores actus, ut primus ipso temporis lapsu rerumque mutationibus refrigescat, imò & naturam suam velut evanescat, atque adeo non judicetur adesse amplius dicta persistentia, tunc si alium actum elicias, turpis v.g. concupiscentiæ seu desiderij erga puellam,

vel gravis vindictæ erga inimicum repetas, novum & distinctum peccatum committis, & numerum, si quidem memoriâ teneatur, explicare debes: non enim illa tam distans voluntas censetur ita habitualiter permanere, ut cum posteriori ad conflandum unum peccatum conjugatur. Bonac. n. 7.

567. IV. Ex hac ergo regula ij, qui plures actus circa idem objectum repetunt, & numerum eorum inire nullatenus possunt, facilem se explicandi modum habent. Nam si uno calore, seu impetu desiderij mali eos actus multiplicent, & brevi adeo tempore in tali actu persistent, semel tantum peccant, nec est necesse tempus explicare: satis enim est, si dicant: *Semel turpe aliquod desiderium erga puellam concepi.* Quando verò intermedium tempus, quo ejusmodi actus mali repetuntur, longum est v.g. sex horarum, annus diei &c. difficile est, ut uno eodémque impetu fieri censeantur. Hinc consuetum est (si non etiam necessarium) tempus, quo quis in malis cogitationibus perseveravit, explicare, dicendo: *Per diem integrum, hebdomadem &c. turpiter concupivi puellam: proximum graviter odi, gravia ipsi mala imprecando &c.* Sic enim vel explicantur interruptiones, quæ humano modo fieri solent; vel satis aperitur peccatum, ut habitualiter unum durans per illud tempus.

568. V. Habet verò hæc doctrina solum locum, cum voluntas repetit actus circa idem objectum: nam si successivè repetat plures actus internos circa plura objecta distincta, non unum tantum peccatum committet, sed plura numero, imò etiam subinde specie diversa. Hinc

P
 si quis morosè delectetur de re venerea, & mox nullâ interjectâ morâ alium temerè judicet, & hinc iterum absque mora interposita in hæresin incidat, non unius tantùm, sed plurium peccatorum reus erit. Idem est de eo, qui visâ unâ virgine delectatur morosè & turpiter, & post modicum tempus visâ aliâ virgine iterum morosè delectatur: nam & hic bis peccat.

569. VI. Cogitationes, quæ in operis cogitati executionem tendunt, non sunt specialiter in Confessione explicandæ, si vel conjunctæ sint cum opere, vel certè eidem ita vicinæ, ut morali judicio & æstimatione opus ipsum adhuc censeatur vi earum procedere: tunc enim unum idemque cum eo opere peccatum constituitur. Tann. T. 2. D. 4. q. 2. d. 4. n. 50. & alii communiter. Et satis est, si ipsum externum opus explicetur. Tunc autem opus externum non censetur ampliùs à priori voluntate procedere, cum hæc vel est per contrarium actum revocata, vel ipsâ temporis diuturnitate ita refrigit, ut non judicetur ampliùs perseverare, ut paulò antè est explicatum.

570. Peccata interna (idem est de externis) non ideo præcisè multiplicantur, quia sunt contra plures ejusdem rationis aut speciei obligationes, v.g. præcepta, vota &c. Hinc qui vult violare jejunium alicujus vigiliæ incidens in quadragesimam, aut quatuor tempora; aut, qui die festo, in Dominicam incidente, Missam statuit negligere &c. unius tantum peccati reus est: quia utraque lex sub eadem ratione seu motivo Temperantiæ, vel Religionis lata est. Sic qui

Religionum statum professus, idemque Sacerdos est, non tenetur utramque illam circumstantiam explicare, si contra Castitatem peccet: vota enim seu solemnitas illa sint, seu simplicia, specie non distinguuntur. Et ideo satis est, si dicat, *se voto castitatis obstructum hoc vel illud peccatum intra genus luxuriae admisisse*. Idem est de eo, qui eodem voto sapius renovato eandem rem voverit, & non servat: nam & hic uno tantum peccato se inquinat; non enim ea ejusdem voti repetitio multiplicat obligationes. Vide, quæ p. 1. n. 50. diximus.

571. Quidquid sit de illa controversia: An in eodem actu, plura simul objecta solo numero diversa attingente, plures simul etiam malitiæ contineantur, (de qua aliquid infra à n. 588. sed breviter) non est necesse (ut infra n. 579. de peccatis externis dicitur) ut in Confessione ipse objectorum numerus distinctè exprimatur: cujus ratio defumenda est ex n. 592. Sufficit ergo, si confusè in hunc fere modum explicetur: *concupivi plures feminas solutas: desideravi plures ejusdem conditionis homines occidere: graviter vulnerare: volui horas canonicas pluribus diebus omittere: constitui jejunium plurium dierum non servare &c.* si enim peccata externa tendentia simul in plura objecta ita explicari possunt, juxta dicenda n. 594. cur non & interna possint? vide Dicast. tr. 8. D. 9. d. 5. n. 270. sub finem. Lugo D. 16. s. 3. n. 135. Tamb. in Meth. Conf. l. 2. c. 1. § 9. à n. 59.

§. II.

De numerica peccatorum externorum multiplicatione, & imprimis de Physica.

Non rarò evenit, ut, quemadmodum n. 562. in exponendo numero peccatorum merè internorum dixi difficultatem emergere, eadem quoque occurrat in numero & modo explicandi peccata externa, sive ore ea perficiantur, sive opere. Huic ergo ut obviam eatur, sequentia ante oculos habenda sunt.

572. Et quidem I. certum est, ad unitatem peccati externi non sufficere, quòd ex una voluntate prava interna proveniunt plura externa, si nullam inter se habeant unitatem & connexionem. Est communis; & per se patet. Et ideo si quis cogit de ludo duobus distinctis diebus, quorum uterque festivus sit, & videns, ea occasione Sacrum omissum iri, decernat uno actu, ludere utroque die; tot tamen committit peccata, quot diebus festis omittit Missam audire. Idem est de eo, qui uno actu voluntatis decernit per plures dies non recitare horas canonicas, totà quadragesimà non jejunare, plures occidere, plures puellas violare &c. nam & iste tot distincta peccata committit, quòd postea fornicationes, homicidia &c. committit.

573. II. Certum quoque est, ad unitatem peccati externi non sufficere unitatem temporis, quo utraque actio fit: ut si quis eodem illo tempore, quo blasphematur, etiam furetur, fornicetur &c. nam non obstante ea temporis unitate adhuc actiones illæ manent distinctæ, nec ullam inter se habent connexionem.

574. III. Peccata externa multiplicantur numero, quando interrumpuntur per propositum contrarium. Tann. n. 54. ex communi: quando enim apponitur voluntas contraria, jam prior voluntas nullo modo amplius manet, nec influit in opus postea securum; sed requiritur nova alia voluntas à priori independens, quæ de novo causet operationem, vel omissionem malam sequentem. Et ideo licet, qui longo tempore omittit restitutionem debitam, unum tantum peccatum committat; tamen, si eam retinendi voluntatem mutet, seu revocet per voluntatem contrariam, seu per propositum restituendi, peccatum illud ita interrumpit, ut, si postea iterum novum alium actum seu propositum eliciat non restituendi, novum etiam peccatum committat non restituendo. Quamquam, ut Lugo n. 55r. notat, fieri potest, ut hæc interruptio non obstat morali peccatorum externorum unitati, de qua postea; ut si quis die jejunii comedat carnes, & jam satur faciat propositum deinceps abstinendi, appposito autem ferculo grato resumat animum, & iterum ex carnibus comedat; aut si quis vindictæ causâ alium pugno percutiat, & post tres ictus cesset cum animo ulterius non percutiendi: at quia fortè percussus adhuc ostendit contemptum, statim iterum bis aut ter illum percutiat. In his enim casibus nemo dicet, duo fuisse peccata: quia illa brevis voluntas non impedit unitatem actionis & vindictæ.

575. IV. Physicè loquendo, tot sunt peccata numero distincta, quot sunt operationes malæ externæ, etsi una statim fiat post alteram, nullâ, vel modicâ tantum

5702
Bunal
ritentia
III
14

P rimum temporis divisione interveniente: brevitatem enim temporis intermedii, vel etiam ipsa ejusdem temporis continuitas non impedit actuū externorum distinctionem. Unde si quis eidem plura successivè, nullā vel modicā temporis morā interjectā, infligat vulnera, plura infligat oscula, plures blasphemias, perjurias, detractiones, convitia &c. proferat unumquodque eorum est peccatum per se.

§. III.

De morali peccatorum externorum unitate.

576. Etsi res physicè considerata ita, ut dixi, se habeat, moraliter tamen & in ordine ad Confessionem longè aliter se habet. Pro cuius decisione multum refert scire, habeantne illa opera externa aliquam inter se connexionem & subordinationem ad unum aliquod opus externum, tanquam ad finem, ponendum; an verò singula eorum sint in suo genere absolute & adæquatè completa, & habeant se ad invicem planè disparatè. Hoc enim nisi diligenter observetur, necesse est, ut gravis inde in numero externorum actuū exponendo enascatur difficultas ac molestia, quæ alioqui potuisset esse procul.

577. Actiones igitur externæ, ordinatæ ad unius operis externi executionem, sunt idem numero peccatum cum ipso illo opere, etsi hoc non consumetur. Est communis. Et ratio est: tum quia, etsi plures sint actiones, habent tamen unitatem finis, cum omnes ad idem v.g. homicidium, fornicationem &c. ordinentur: tum etiam quia si continentur usque ad ipsius operis intenti consumma-

tionem, non constituunt diversum peccatum; unde nec constituent, etsi opus ipsum quacunque ex causa non mandetur executioni: alioqui si ante operis executionem fuissent plura peccata, non possent etiam posita executione in unum coalescere. Sed neque eadem illæ operationes externæ moraliter multiplicantur per brevem interruptionem physicam, & interpositionem aliarum: in moralibus enim non habetur ratio brevis alicujus interruptionis: & ideo sicut actus omnino continui seu non interrupti reputantur pro eodem peccato, ita etiam reputantur, licet non nihil discontinentur seu interrumpantur. Quare, qui per aliquot dies quærit modum, quo puellā, quam perditè amat, potiatur, unum fornicationis peccatum committit, nec debet actus, usque ad executionem operis intenti intermedios, declarare.

578. Excipe tamen I. nisi actiones intermedias propriam & distinctam speciem malitiam contineant: tunc enim licet præcisè ratione illius ad unum opus externum subordinationis & connexionis non sit aliud distinctum peccatum, erit tamen ratione propriæ malitiæ. Et ideo si quis computationem, ludum prohibitum ordinet ad omissionem Sacri, homicidium, furtum &c. non est satis explicare omissionem Sacri, aut furtum: cum tamen, si quis pluribus vulneribus infligit alterum occidat, satisfaciatur dicendo: *occidi alterum*: ita ut saltem ordinariè non sit necesse addere, se etiam vulnera infligisse.

579. Excipe II. Nisi aliā personā mediante finem intentum acquirere curaverit, id enim est directa inductio pro-

ximi

ximi ad peccatum: quod est novum peccatum scandali, specie distinctum ab eo, quod in eadem materia fieret à teipso. Debes ergo explicare non tantum te usum fuisse alterius operâ ad tale peccatum perpetrandum, quem ad illud induxisti, sed etiam ipsius peccati, ad quod illum induxisti, speciem. Quod si autem plurium simul, quos ad talis peccati perpetrationem pertraxisti, operâ utus sis, non est necesse, ut distinctè explices eorum numerum & conditionem: sed satis est, si in confuso dicas, te plurium operâ usum fuisse, juxta dicta supra de scandalo: nisi fortè peccata, quæ illi fecerunt, differrent specie inter se vel propter diversam personæ inductæ conditionem, ut si utaris operâ filii ad occidendum patrem inimicum tuum: vel nisi propter distantiam temporis aut interruptionem moralem inductiones illæ juxta dicenda essent plura peccata: v.g. si prius induxisti Petrum, Paulum verò post mensem ad occidendum, sunt duo peccata numero distincta, speciatim explicanda: at si simul eodem actu induxisti plures, vel etiam separatim, sed unum dependenter ab alio, ita ut non judicentur moraliter esse plures numero actus, moraliter unum tantum peccatum est, quod satis explicatur dicendo: *Induxi plures ad furandum, fornicandum &c.*

580. Sed quid? si finem tui pravi propositi assecutus es, eritne satis explicare finem v.g. te fornicatum esse? an verò necesse erit, etiam ipsum tempus, quo finem illum procurâsti, declarare? Ajunt aliqui, hoc secundum non esse necessarium. Quare satis est, si actum ipsum explices, & dicas, te esse fornicatum: *R. P. Sroz Trib. Pœnit.*

quod equidem probo, si tempus illud intermedium notabiliter non interrumpatur: alioquin enim, si inter unum & alterum opus externum, quod ad unius finis consecutionem ordinâsti, longa intercedat mora, non censentur ea opera tam distantia retinere moralem unitatem, ad constandum unum peccatum sufficientem, & ideo, ut superiori numero dixi, speciatim sunt explicanda.

581. Quanquam consultum est, dictum tempus exprimere, etsi moraliter non interrumpatur: sic enim vel manifestantur ipsæ interruptiones, quæ humano modo evenire solent, vel declaratur ipsa habitualis persistentia peccati, juxta dicta n. 567. Somnus tamen (ut hoc obiter addam) prandium & aliæ similes communes & ordinariæ actiones non censentur moraliter & humano modo interrumpere operationes malas, ad unum finem malum ordinatas: quod declarari potest exemplo celebrantis Missam: si enim Missa interrumpatur per concionem, & Sacerdos interim dormiat, repetatque post eum somnum intentionem sacrificandi, hæc posterior intentio, licet physicè sit alia à priori, moraliter tamen non est multiplex: adhuc enim Sacerdos ex una eademque intentione sacrificare dicetur. Quapropter si longo tempore, modo moraliter non interpolato, eundem finem procures, poteris dicere, te per duos v.g. menses ejusdem puellæ congressum procurâsse.

582. Jam quod attinet ad alterum genus externarum actionum, de quibus n. 576. earum scilicet, quæ non sunt subordinatæ, ex quandoque per physicam etiam brevem interruptionem multiplicantur;

Rr

cantur;

P. 1
 111
 Poer

cantur; quandoque verò non: id quod videtur esse juxta communem omnium sensum, quo de quavis actione humana loquimur, quam sæpe appellamus unam, etsi physicè interrumpatur: sic enim una elemosyna vocatur, unum opus bonum, etsi physicè sæpiùs interrumpatur interrogando & respondendo, salutando, & refalutando: nec Missa amittit suam unitatem, etsi concione interrumpatur. Cur non igitur & peccatum externum ob similes breves interruptiones suam unitatem retinere poterit? sanè si peccata merè interna, non obstante brevi interruptione physica, habent unitatem moralem, etiam externa habere poterunt.

583. Ut autem cognoscatur, quando moralis unitas ejusmodi actionum externarum per physicam interruptionem tollatur, quando non; certa & in universalis regula tradi nequit. Generatim tamen, quæ temporis interruptio non sufficit ad moralem peccatorum interiùs consummatorum pluralitatem, eadem etiam non sufficit ad actus, qui exteriùs consummantur, moraliter multiplicandos: quod vel maximè locum habet in operibus ad eundem finem obtinendum ordinatis: nam in reliquis præcipuè ad eorum qualitatem & circumstantiam attendendum est, & ex iis juxta communem sensum & usum circa pluralitatem vel unitatem ipsarum actionum judicandum. Sed rem hanc nonnullis exemplis declaremus. Igitur

584. Comestio carnis die vetito, si fuerit duplex, duplex erit peccatum: unum, si fuerit una: hæc autem unitas, aut pluralitas non est colligenda ex continuatione, vel carentia interruptionis, vel ex

sola physica interruptione, imò nec ex sola temporis vicinitate, sed ex aliis circumstantiis. Nam, etsi quis prandium interrumpat lectione epistolæ, novorum, aut alio negotio, & ab his statim ad illud revertatur, adhuc in communi æstimatione censetur esse una comestio. Quæ ergo mora facit, ut comestio interrupta censetur non amplius esse una, sed duplex, etiam facit, ut si sit prohibita, sit duplex peccatum. Sic nimirum etiam Sacrum, licet interrumpatur concione etiam bene longâ, non amittit suam unitatem: & ideo si Sacerdos id legat in statu peccati mortalis, non debet eam interruptionem explicare. Quin & Communio seu susceptio Evcharistæ non multiplicatur præcisè per interruptionem physicam: nam si Sacerdos, postquam sumsit species Evcharisticas, communicet populum, & inde etiam fragmenta minorum hostiarum absumat, inter hanc & illam sumptionem sæpe longius tempus intercedit, quàm inter Communionem trium Missarum in nocte Nativitatis Domini continuè lectarum; & tamen in hoc casu est triplex communio, in illo tantum una. Hinc si Sacerdos peccati mortalis sibi conscius communicet in posteriori casu, committit tria peccata, in priori tantum unum. Quod totum ex morali prudentum judicio, qualitatem actionis & circumstantias considerantium, pendet.

585. Atque ex his etiam cum proportionem judicandum est de unitate & pluralitate aliorum peccatorum externorum. Nam si quis ex intentione committendi homicidium, emat gladium, iter etiam longius suscipiat, inimicum deprehensum

sum percutiat, vulneret, & denique etiam occidat, unum peccatum committet, etsi interea actiones illae externae sapius etiam per somnum, confabulationem, aut alia negotia fuerint interruptae. Similiter unum peccatum committit, I. Qui uno irae impetu sapius eundem percutit & vulnerat. II. Qui in eandem personam uno irae furore plures injurias aut contumelias congerit, licet interponat aliqua verba ad contumeliam non pertinentia. III. Qui uno velut contextu graviter etiam in diversa materia ejusdem famam laedit, licet data occasione detractionem aliquantum interrumpat. IV. Qui plures maledictiones in eundem jactat. V. Qui eodem blasphemiae impetu & calore DEUM blasphemat, etsi post modicam interruptionem blasphemiam repetat bis, ter, sapius. VI. Qui animo copulae fornicariae habendae frequentat (etsi non nihil interrumpat) tactus impudicos, oscula, & sermones turpes. Imò VII. qui eadem turpia opera exercet statim post copulam illicitam, absque animo eam iterandi; licet enim alioquin ejusmodi actus seorsum à copula suam habeant malitiam omnino diversam à copulae malitia, tamen ad copulam ordinantur velut praebula quaedam, & dispositiones (si praecedant) vel, si sequantur, ut complementa copulae & delectationis praecedentis. VIII. Qui statim à copula turpi exercita de eadem delectatur: nam & haec delectatio est naturale quoddam complementum praecedentis copulae. IX. Qui Sacramentum Eucharistiae pluribus successivè ministrat in mortali peccato constitutus, si quidem (ut non pauci volunt) tale ministerium sit mortale.

Et X. probabiliter etiam, qui successive plures confitentur, unum post alterum absolvit in statu peccati mortalis. Hinc qui similia patravit, satisfacit, si dicat, se blasphemasse, pejerasse, notabiliter alterius vel aliorum famam laesisse, vulnerasse, pluribus Eucharistiam una continuata vice distribuisse, plurimum Confessiones excepisse & absolvisse &c. quia plures illae blasphemiae, perjuriae, detractiones &c. etsi physicè sint plura peccata, moraliter tamen sunt tantum unum: sic enim humano modo aestimari solet.

586. Aliud est de eo. I. qui tactus & oscula frequentat non ex intentione copulae: sunt enim adhuc distincta peccata, & specialiter in Confessione explicanda, etsi postea sequatur copula. II. qui alterum percutit, vulnerat graviter, absque animo occidendi: nam & haec vulneratio, & percussio distinctum est peccatum, etsi postea ex nova voluntate re ipsa occidat. III. qui moram tam modicam, ut alioqui non sufficiat ad moralem alterius actus pluralitatem, interpositam, illicitam copulam exercet cum eadem, vel pluribus feminis. IV. qui plures continuè occidit. Hinc qui talia commisit, debet eorum numerum, v. g. copularum, occisionum &c. distinctè exprimere: quia haec actiones sunt omnino diversae, in sua specie completae, & totales, neque ullam inter se, sive in morali hominum aestimatione, sive ex agentis intentione, ad unam & eandem actionem finalem habent connexionem & dependentiam. Videri circa haec potest Lugo, qui à n. 544. praedicta exempla fere omnia adfert, & fusè prosequitur. Nobis sufficiat ea attulisse; ex iis enim quisque

prudens etiam in alijs casibus judicare poterit de pluralitate vel unitate numerica peccatorum: quæ cum moralis sit, pendet multum, ut dixi, ex qualitate actionis, & ejus circumstantiis; hæ enim fundamentum præbent ad decernendum, sitne actio una moraliter, an multiplex.

587. Illud solum hic obiter addendum est, fieri posse, ut, licet mora notabilis non intercedat, transeat quis ad aliam peccati speciem, quæ proinde specialiter sit in Confessione explicanda, v. g. si Petri absentis famam læsisti, & eo superveniente à detractioe non destitisti, duo peccata specie distincta commististi: nam detractio præcedens, & contumelia sequens non possuat ad unum peccatum faciendum uniri propter solam temporis successione[m] immediatam: sicut nec percussio simplex præcedens, facta sine animo occidendi, unum esset peccatum cum occisione postea secuta ex alia nova voluntate, ut dixi, n. 586. & ideo præter verbera etiam ipsa occisio esset Confessori aperienda.

§. IV.

De pluralitate numerica malitia in eodem actu.

588. Ex dictis facile est colligere, quomodo actus physicè plures constituent unum moraliter peccatum, & sint in Confessione sine fastidio explicandi. Nunc breviter illud quoque declarandum est, an in eodem actu possint plures malitiæ contineri, & quo pacto oporteat eum actum Confessori aperire: solet nimirum quandoque contingere, ut unus eodemque externus actus circa plura obje-

cta verteretur: v. g. subinde unâ bombardæ explosione quatuor vel plures occiduntur; una detractioe plurium fama laceratur &c. Quæstio jam est, an, sicut certum est, in uno eodemque actu externo v. g. contra votum castitatis, aut audiendi Missam die festo &c. duas repetiti malitias specie distinctas, ita etiam in eodem actu reperiantur quandoque plures malitiæ solo numero diversæ.

589. Multum in hac controversia complananda laborant Theologi morales & Scholastici. Et Vasq. quidem *T. 4. m. 3. p. 9. q. 1. a. 1. dub. 4. n. 4.* Azor. *T. 1. l. 4. c. 4. q. 3.* Dian. *p. 1. tr. 7. R. 17. §. 29. & p. 3. tr. 4. R. 164. & p. 9. tr. 9. R. 55.* & alij apud ipsum dicunt: eundem actum physicum continere malitias morales numero diversas pro pluralitate objectorum simul volitorum, & solo numero differentium. Ratio est: tum quia quodlibet objectum ex se aptum est ad derivandam malitiam in actum: & ideo si plura sint objecta & ut plura intendantur, suam in actum malitiam transfundent: tum quia si unus actus est capax plurium malitiarum specie distinctarum, cur non & solo numero?

590. Benigniores quidem sunt Suar. *m. 3. p. T. 4. D. 22. f. 5. n. 33.* Laym. *l. 1. tr. 3. c. 3. n. 2.* Fill. *tr. 21. c. 8. n. 320.* qui existimant, in uno eodemque actu malitias ex objectis solo numero distinctis non multiplicari. Verum in ordine ad praxin Confessionis rectè & expeditè instituendæ sententia est hæc profus inutilis: adhuc enim ejus auctores docent, nihilominus explicandam esse pluralitatem objectorum, eò quod sint circumstantiæ notabiliter aggravantes, & vel

vel ideò necessariò dicendæ. Verùm eas circumstantias, quæ speciem peccati non mutant, sed solùm reddunt graviolem, non esse necessariam Confessionis materiam, jam p. 1. n. 86. dixi. Deinde si dicamus, numerum objectorum necessariò esse exprimendum, quid interest, siue in eodem sint plures malitiæ solo numero diversæ, siue non.

591. Teneamus ergo sententiam, quam Vafq. cum suis sequacibus tenet, & dicamus, pro pluralitate objectorum solo numero differentium multiplicari in eodem actu etiam malitiam; an autem fideles compellendi sint, ut eum numerum objectorum in Confessione aperiant, jam dicetur. Itaque

592. Non est necessitas, ut, cum uno eodẽque actu externo plura objecta attinguntur, eorum numerus distinctè exprimatur. Ratio desumitur ex institutione Christi, declaratâ nobis ab Ecclesia, præcipuè in Concilio Trident. Sess. 14. cap. 5. & can. 7. de Pœnit. ubi cum agitur de necessitate confitendi omnia peccata mortalia, plus non habetur, quàm ut omnes eorum species, & singula individua, quæ memoriæ occurrunt, aperiantur, nulla interim mentione facta de singulis malijs, si quæ fortè essent in eodem individuo actu, & solo numero differrent inter se. Quid igitur jugum fidelium, quod juxta pronuntiatum Christi suave est ac leve, sine fundamento aggravemus? Certè si præter individua etiam ipsæ singulæ malitiæ tantùm numericæ, fortè in iis inclusæ, declarandæ essent, ostium apertum esset innumeris scrupulis & perplexitatibus.

593. Sed num talis actus contineas

plures numericas malitias dici debeat unum peccatum, quæstio est non magni momenti: dicendum esse unum, sumitur ex modo loquendi Philosophorum, qui dicunt, non multiplicari concreta ex multiplici forma accidentali, nisi etiam subjectum multiplicetur: sicut Rex vocatur unus, licet habeat plura regna; unum cognitum, etsi plures ad ipsum terminentur cognitiones &c. sic etiam unum unicum peccatum dici potest, si sit unus actus physicus cum respectu ad plures terminos. Verùm

594. Nunquid satis est, ipsum actum exprimere, non explicando, etiam solùm in confuso, pluralitatem ipsorum objectorum, in quæ is tendebat? sufficere aliqui putant; juxta quòs proinde aliud non est dicendum, quàm quòd famam alienam graviter læseris, homicidium feceris &c. etsi ij, qui læsi sunt, fuerint plures. Sed rectius sentiunt, qui dicunt, pluralitatem objectorum saltem confusè explicandam esse, & id sufficere. Tamb. l. 2. in Meth. Conf. c. 1. §. 9. n. 59. Lugo de Pœnit. D. 16. f. 3. n. 135. & alij: alioqui accusaret se quis de peccato, quod non commisit; occisio enim (idem est cum proportione de alijs similibus actibus) communi acceptione & usu significat occisionem unius hominis, non hominum: unde cum quis dicit, se homicidium commisisse, Confessarius iudicat, unum duntaxat hominem occisum esse; & consequenter non intelligit illud peccatum, quod revera commissum est, sed aliud. Confessio autem ira instituenta est, ut de ipso peccato commissio, & non de alio fiat, & intelligatur; alioquin enim malè institueretur. At qui di-

cit, quòd plures uno ictu occiderit, sua illa generalitate jam explicat peccatum, quòd patravit. Hinc autem ad praxin ulterius

595. Deducitur, eum, qui uno sermone plurium famam læsit, plures unâ contumelia affecit, uno actu pluribus scandalum præbuit, uno continuo ministerio pluribus Sacramentum Eucharistiæ (si tamen in hoc sit specialis malitia) aut Pœnitentiæ administravit; multò magis, qui unâ absolutionis formâ plures simul à peccato liberos esse pronuntiavit &c. satisfacere dicendo; se pluribus simul Sacramentum Pœnitentiæ administrasse, plures uno ictu occidisse, pluribus scandalum dedisse &c. ita ut non sit necesse, numerum & conditionem personarum distinctè declarare, nisi fortè conditio personæ læsæ adferret novam speciem; ut, si inter plures personas, v. g. unâ contumeliâ affectas, esset proprius parens: hæc enim circumstantia facit, ut contumelia, non tantum justitiæ, sed & pietati, parentibus debita, repugnet: unde etiam specialiter est explicanda in hunc fere modum: *una contumelia gravi plures, inter quos erat parens meus, affeci.* At, si quis uno actu bona multorum læsit, v. g. bona communitatis, aut plurium simul furatus est, factus est, si dicat: furatus sum à communitate, ab hæredibus, à pluribus simul (non singulis seorsim) notabilem quantitatem; neque de numero personarum, quæ sunt in communitate illa vel hæreditate, sollicitus esse debet: imò factus est, dicere: *furatus sum rem alienam in notabili quantitate;* qui respectus ad personas hac in re nihil immutat: potius enim attenditur, quantum

quis furrupuerit, quam à quo. Sed ex his jam oritur.

596. Dubium, an peccatum, quod plures in se malitias, seu specie seu solo numero diversas, continet, in Confessione dividi possit, ita ut utraque malitia seorsim explicetur: v. g. si quis voto castitatis, aut Missæ die festo audiendæ obstructus, peccarit contra votum; violenter oppresserit virginem; juraverit se manus Clerico non iniecturum; uno falso testimonio decem læserit; furatus sit 20. aureos; ob furtum committendum neglexerit die festo sacrum &c. poteritne iste plures illas malitias, quæ in his actibus reperiuntur, explicare seorsim & dicere, v. g. die festo Missam non audiui, & violavi votum in re gravi: furatus sum, & omisi sacrum; fornicatus sum & vim alicui intuli; falso testimonio tres læsi; & mox, simili falso testimonio læsi septem alios: furatus sum decem aureos; & mox, furatus sum alios decem.

597. Hic enimvero, ut rectè se in Confessione accuset, attendere debet, an similia peccata prima vice exponat, necne? Etenim si prius eveniat, nunquam sanè licebit, eas malitias dicto modo scienter secernere, & ita Confessario aperire: sed necesse est, ut eas simul in hunc vel similem modum explices: *voto castitatis obstructus fornicationem v. g. adulterium, pollutionem &c. admisi: die festo Sacrum, ad quod audiendum etiam ex voto obligabar, omisi: uno falso testimonio læsi plures: furatus sum 20. aureos: vel (quod expeditius est) materiam gravem.* Ratio horum est, quia alioqui non idem peccatum, quod verè commisit, Sacerdoti exponeres, sed aliud; significares enim,

enim, te duo peccata commisisse; quod non est verum; Sacerdos enim, dum audit, te v.g. sacrum die festo non audivisse, & votum in materia gravi violasse, ex modo ipso loquendi iudicat, te duo distincta peccata admisisse, cum tamen tantum unum admiseris, idque infectum vel verè duplici malitia, vel saltem unâ, quæ æquivalet duplici.

598. At si in prima confessione bona fide, sine dolo, ex circumstantiâ fuerunt separata, & una explicata sine altera, tum enim verò in secunda confessione potest ea, quæ prius inculpatè, ut dixi, omissa est, exponi absque eo, quin explicetur illa altera, quæ jam semel est manifestata, modò (quod bene notandum est) circumstantia omissa ejusmodi sit, ut sufficienter possit sola explicari. Coninch. de Sacram. D. 7. d. 8. n. 60. Reginald. l. 6. c. 4. à n. 141. Sanch. l. 4. Mor. c. 11. n. 24. Suar. D. 22. f. 2. n. 8. & alii. Ratio autem est, quia, cum una malitia jam sit subjecta clavi- bus, non apparet, cur ad eam denuo subjiciendam sit quis adstringendus, & non satisfaciatur, si in nova confessione exprimat circumstantiam prætermittam. Sanè quemadmodum, qui alicujus peccati inculpatè oblitus est, satisfacit exprimendo peccatum omissum, & non tenetur cetera peccata repetere, ita nec tenetur, qui oblitus est prædictæ circumstantiæ. Hinc

599. Qui rem jam aliàs præceptam voto vel juramento se servaturum promissit, & non servavit, satisfacit, si (postquam de neglecto præcepto se accusavit, nullâ de voto, vel juramento facta mentione) dicat, se votum vel juramentum in re gravi violasse: item, qui, cum pro-

pter furtum admittendum omisit Sacrum, se de hac omissione fecit reum, nihil ampliùs in altera confessione explicare debet, quàm furtum. Adhæc qui duos uno ictu occidit, duos una gravi contumelia affecit, graviter duorum famam detrahendo læsit &c. potest, si in prima confessione dixit, quòd unum occiderit, unum gravi contumelia, aut detractione læserit, in secunda dicere: occidi aliquem hominem; alium gravi contumelia, vel detractione &c. læsi; sic enim satis declarat malitiam, cujus erat oblitus; neque hoc loquendi modo significat, se duo peccata admisisse: sicut qui idem peccatum, quòd jam semel rectè confessus est, iteratò confitetur; non enim hic talis indicat, se etiam de novo illud admisisse. Similiter qui uno furto duos, & quidem singulos graviter læsit, potest propter eandem rationem in secunda confessione dicere, quòd alicui quantitatem notabilem abstulerit, si in prima confessione dixit, quòd gravi furto aliquem læserit. At si uno actu ab uno furatus quis est 20. aureos, non potest, si in prima confessione dixit, se decem furtum esse, in secunda dicere, se alios decem abstulisse: non enim explicaret suum peccatum: quia ex modo loquendi indicaret, se alterius jus in 10. læsisse; quòd tamen non fecit. Debet ergo totum peccatum iterum exponere, & dicere, se 20. aureos abstulisse. Quanquam in prima statim confessione brevius se poterat expedire, dicendo, se furtum grave commisisse? tum enim ad nihil ampliùs explicandum obligatus esset, cum juxta dicta p. 1. n. 86. circumstantiæ merè aggravantes possint sine noxa in confessione reticere.

ceri. Similitèr & qui virginem oppressit violentè, & in prima confessione dixit, se fornicatum fuisse, non potest in secunda dicere, se alicui personæ vim intulisse: non enim explicat peccatum in sua specie, cum violentia sit quiddam genericum, & possit inferri in bonis, vel fortunæ, vel famæ, vel honoris, vel etiam in vita. Debet igitur, ut bene confiteatur, se denuo de toto peccato, videlicet de stupro, accusare. Et sic de aliis similibus circumstantiis, quarum malitia non satis intelligitur, nisi ipsum peccatum, cui adjunctæ erant, denuo explicetur.

§. V.

De peccatore inveterato.

600. Si qui ulli difficultatem in numero suorum delictorum colligendo habent, eam certè sentiunt, qui limo peccatorum immergi, sordes sordibus, id est, peccata peccatis sine ullo DEI timore ac reverentia accumulunt. Et licet istis ex dictis p. l. n. 101. & seq. aliquid remedii adferri possit, placuit tamen hic paulò exactiùs difficultatem expedire.

601. Ut ergo aliqui cum Navar. c. 6. n. 15. *Man.* huiusmodi peccatori consulant, ajunt, satis esse, si tempus, quo tale peccatum frequentavit, explicet, nihil aliud dicendo, quàm se tam longo tempore v. g. uno anno in inimicitia perstitisse, & frequentissimè, quavis occasione oblata ad memoriam tantùm inimici renovatam, actum gravis odii exercuisse. Sed profectò hoc videtur esse nimis laxum, & idcirco nec facilè in praxin deducendum, nisi cum limitatione, de qua paulò post. Econtra verò illud nimis rigidum & severum, quod alii apud Fagund. in 2. præcept.

Eccles. l. 3. c. 4. n. 11. & Diana p. 3. tr. 4. R. 89. dicunt, videlicet talem peccatorem esse omnino obligatum, ad numerum & speciem peccatorum specialiter exprimendam. Sed quo pacto id possit? quamcunque enim diligentiam adhibeat, numerum non deprehendet: summùm speciem deprehendere poterit. Quid ergo tam inveteratus malorum dierum peccator urgeatur ad numerum exactè inquirendum & exprimendum? Certè hoc esset, animam ipsam illi extrahere, quod nec DEUS facit; sed nec intendit; neque enim is conscientiarum tortor est, aut carnifex, ut tato exactè calculos cum peccatore subducatur: serium dolorem & firmum emendationis propositum magis postulat, quàm calculationem, quæ nullâ humanâ diligentiam deprehendi potest.

602. Quoniam ergo ad animarum salutem plurimum refert, confessionem non reddere nimis horridam & asperam; suavitati jugi Domini longè conformius est, ut eam, quantum possumus, facilem reddamus, & ab omnibus illis oneribus, & difficultatibus, à quibus potest, levemus, juxta institutionem & declarationem sanctæ Matris Ecclesiæ. Ut igitur hic, de quo modò sermo est, peccator nimium & suprâ vires non gravetur, hæc tria prætet: & I. quidem investiget tempus, quo in tam malo statu & consuetudine perstitit, quàm longum scilicet id fuerit? II. species peccatorum principales, si quæ sint sub eodem genere, inquireat. III. videat, quoties, circiter tale peccatum in die, septimana, vel mensè commiserit? Unde meretrix, quæ passim cuilibet turpem sui corporis usum præbet, neque

neque ullâ humanâ diligentia numerum certum, vel etiam verisimilem potest reperire, satisfacit, si modo quodam confuso conluetudinem, & illius tempus explicet, & dicat, se per duos annos cum quibusvis peccâsse, addâtque species magis principales, & saltem in confuso multitudinem numericam, an & quàm frequenter, v.g. toties per mensem peccaverit, videlicet an cum conjugatis, consanguineis, vel personis DEO sacris &c. Idem est de eo, qui frequenter instituit cum peccato mortali colloquia turpia, absque ullo defectu circa materiam, & personas, seu solutas, seu conjugatas &c. nam & hic, si sentiat difficultatem explicandi numerum (ut certè evenire solet malè moratis seu viris, seu adolescentibus) satisfacit, si explicet tempus illius perversæ consuetudinis, & species principales, quas inter colloquendum turpiter concupivit. Idem dicendum est de aliis malis statibus. Lugo D. 16. de pœnit. s. 14. n. 575. apud Tamb. in Meth. confess. l. 2. c. 1. §. 7. n. 44. qui eum sequitur.

603. Rectè verò addit Vasq. q. 91. de pœn. art. 1. dub. 5. n. 3. apud eundem Tamb. n. 40. circa numerum actuum internorum non esse hos inveteratos peccatores cogendos ad explicandam frequentiam, & numerum per hebdomadam & dies, sicut cogi possunt ac debent circa frequentiam ipsorum peccatorum externorum, v.g. fornicationum; ut scilicet dicant, si memoriâ teneant, quoties plùs minus per diem, per hebdomadam &c. peccaverint. Ratio discriminis est, quia in actibus internis videtur impossibile, eos ad aliquem numerum sine magni erroris periculo, sive per excessum, sive per defe-

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

ctum reducere; quod periculum in peccatis externis cessat.

604. Respirare possunt illi, qui homines rusticos apud indoctos Parochos indoctè confessos audiunt. Non enim hi adigendi sunt ad confessiones reiterandas ex eo, quòd numerum peccatorum non expresserint. Henriq. l. 5. c. 3. n. 10. Dian. in Summa V. Circumstantia. n. 56. Reginald. l. 6. c. 4. n. 140. ubi cum Medina in instruct. confessar. l. 2. c. 8. sub finem. addit, tutius esse generalem confessionem instituire.

605. Quòd si verò hi tales & tam inveterati peccatores melius suorum scelerum numerum explicare & determinare possint (ut sanè possunt, si fortè intra septimanam vix semel delinquant) utique debent. Interim tamen etiam si prædicto grosso modo confessi sunt, non tenebuntur postea iterum peccata particularia, quæ in memoriam veniunt, confiteri, licèt possint ea magis distinctè explicare: nam in illa confusa narratione fuerunt sufficienter comprehensa & directè etiam absoluta. Valq. loc. cit. apud Tamb. num. 45.

§. VI.

De generali confessione.

606. Multi pœnitentium reperiuntur, qui confessionibus, quas Generales vocant, instituendis nullum imponunt finem, rati, se hoc modo tranquillitatem reperturos, in quo tamen sæpe seipos gravissimè deceptos deprehendunt: tantum enim abest, ut optatam quietem reperiant, ut eam semper magis magisque perturbent, sibi que præcipuè, & non raro etiam Confessariis longè molestissimi

Ss

eva-

evadant. Sed & ex Confessariis quandoque reperiuntur, qui nescio, an bono Zelo ducti, vel potius damnosa curiositate permoti, eos, qui etiam prima vice ipsorum adeunt tribunal, continuo ad confessionem generalem faciendam cohortantur, & urgent. Sed rectius faciunt, si, cum nulla sit necessitas, ab ejusmodi peccatorum repetitione abstineant, & de reliquo suo officio bene fungantur. Non enim semper ejusmodi confessiones suadendæ sunt, nec facilè permittendæ, præcipuè illis, qui carnalibus peccatis assueti erant: his enim nihil periculosius, imò & perniciosius esse potest, quam si camerinam turpissimarum suarum sordium, quibus aurium tenus, ut ajunt, immerfi hærebant, moveant. Quid enim facilius est, & proclivius, quam ut in delectationes saltem morosas, & turpia desideria incidant? His ergo multò melius est, ut à sollicita inquisitione in eas actiones, quæ longè melius æternæ oblivioni fuissent datæ, abstineant; nisi aliqua causa, eaque potissimum necessitatis, aliud exigat. Quamcumque ergo frequenter instituantur, semper idem periculum redibit; manentibus etiam semper iisdem anxietatibus, an sibi, suæque conscientiæ satisfecerint. Miseri profectò dubitantii, vel etiam ex eo capite, quòd nulla spes sit, per ejusmodi repetitionem illos juvandi, cum eadem debilitas maneat, & potius augeantur scrupuli & anxietates, quod, ut Navar. c. 21. Man. n. 42 monet, saltem sine peccato veniali fieri nequit. Huic ergo tam gravi malo ut aliquod feratur auxilium.

607. Nota, confessionem generalem aliam esse necessitatis, aliam libertatis, aut

folius utilitatis. Illa est, cum ex prioribus confessionibus una vel plures factæ sunt sacrilegè, vel propter tectæ, seu scienter, & sine justa causa omiſsa peccata mortalia, vel ob defectum contritionis aut sacramentalis absolutionis &c. Ista verò est, quæ nulla tali necessitate instituitur, sed prorsus liberè præcisè ex eo, ut gratia per Sacramentum augeatur; ut major dolor de peccatis eliciatur; ut amor DEI in nobis magis excitetur, cum sub uno aspectu tantam videmus peccatorum vim, quibus divina bonitas, cum gravissimè læta esset, tamen tanti temporis patientiæ nostram pertulit in peccatis moram; vel ut præterea creseat in nobis confusio propria, cum tam immanem illam turpitudinem, quæ peccatum animam commaculat, intuemur: vel denique ut factò de vitæ emendatione novo proposito initium capiatur recens, tantò melius impostèrium collocandi tempus, quantum pejus superiore ætate nos collocasse intelligimus.

608. Ceterum confessio generalis, quam necessitatis dixi, necessariò est instituenda, ex quocumque demum capite priores confessiones una vel plures fuerint irritæ: nunquam enim peccata in iis exposita fuerunt absoluta, adeòque semper illud onus sibi habent alligatum, ut clavibus denuo subjiciantur, & legitime absolvantur: de quo nemo dubitat. Interim tamen illud solatio esse potest haud modico, quòd, si quis post sacrilegam confessionem inculpatè obliviscatur peccati omiſsi, secunda & reliquæ subsequentes confessiones, in quibus nulla peccati sacrilegè omiſsi occurrit memoria, valeant, nec ullum peccatorum in his expositorum denuò sic manifestandum. Fill.

tr. 7. n. 534. Tamb. l. 2. Meth. conf. c. 10. §. 3. n. 46. citans etiam Lugonem D. 16. f. 15. à n. 597. quibus adde Joan. Santicum in select. D. 4. n. 10. quem Diana in summa V. confessio. n. 63. refert, & sequitur. Nihilominus tamen quia accidere potest, ut etiam intermedie aliquæ confessiones, ob memoriam v. g. antiqui peccati non explicati, & denuo suppressi sint sacrilegæ, consultissimum fore existimo, ut generalis confessio instituat, initio sumpto ab ea, quæ primò facta est sacrilegè.

609. Ut verò cum fructu, consolatione & facilitate instituat, adjumento esse poterunt, quæ sequuntur. I. Ut cum Confessario tuo de ea conferas, ejusque judicium & mentem inquiras, qui, te bene cognito, suggerere poterit modum sine perturbatione & anxietate procedendi, quem tu, si tibi consultum velis, accuratè sequeris. II. ad eam confessionem parabis te unà ad minimum alteràve septimanà, ut quotidie nimirum aliquid temporis vel matutini vel vespertini huic peccatorum omnium discussioni tribuas, brevi aliqua oratione, vel meditatione ad contritionem tuorum peccatorum te excitans. III. Ut facilè memorià repetere possis antea actæ vitæ delicta, debes expendere domos singulas, in quibus vel in pueritia, vel in adolescentia, vel ætate majori commoratus es; socios, quibuscum domi vel foris agere consuevisti; quæ loca subinde cum ijs adieris, quæ dixeris, quæ feceris &c. item quæ studia tractaveris, quæ negotia obieris; quibus occupationibus deditus fueris &c. Hæc enim si diligenter perscrutatus fueris, haud, ut arbitratur, arduum erit, confessionem genera-

lem parare, & peragere. Vide, quæ diximus de Examine p. 1. à n. 13.

610. Hæc de eo, qui confessionem generalem ex necessitate instituit: nunc de eo, qui liberè ex sola devotione eam cogitat facere. Et licèt nemo ad confessionem semel legitimè factam denuo iterandam teneatur, eam tamen aliquando facere est laudabile; frequenter verò & sine causa, peccatum veniale juxta Laym. l. 5. tr. 4. c. 3. n. 5. propter reverentiam huic Sacramento debitam, quæ propter ejusmodi repetitiones sæpe non parùm minuitur. Neque desistitur iterata hæc confessio suo fructu; licèt enim per primam contritionem & confessionem remissa fuerit eorum culpa, frequenter tamen non remittitur tota pœna temporaria, hïc vel in purgatorio subeunda, in quam æterna mutata fuit, quæ per secundam, tertiam, & quartam confessionem tollitur, aut minuitur, tam ratione verècundia, quàm pœnitens in confessione afficitur, quàm virtute sacramentalis absolutionis, quæ non solàm largitur & auget gratiam, sed etiam minuit & tollit dictam pœnam. Vide dicta sup. n. 4. Quod si ergo quis ea animi libertate sit præditus, ut ex frequenti repetitione nihil incommodi patiat, aut metuat, sed potiùs eam utilem sibi esse experiat, permitti potest, & verò etiam consuli. Imò si fortè ad tranquillandam, aliquando & exorandam conscientiam videatur esse necessaria, aliquid amplius dari poterit pœnitenti & permitti.

611. Est autem nonnullis pia admodum & utilissima consuetudo, quotannis semel omnium peccatorum annuam confessionem faciendi, tum propter causas

dictas, tum ut videant, quos eo anno in virtutibus progressus fecerint: quo certè factò non obscure indicant, quantæ ipsis curæ sit propriæ animæ salus & perfectio. Sicut enim paterfamilias quorannis semel rationem omnium, quæ dedit & accepit, & in tabularium retulit, colligit, ut rerum suarum statum nôrit: ita etiam Christianus, qui ad negotiandum in virtutibus constitutus est, præclare agit, si quovis anno videat, quantas ad virtutem accessiones fecerit, quæ vitia depoterit, quas imperfectiones reliquerit, & quantum fieri potest, hunc annum cum præcedenti conferat, & si aliquid lucri spiritualis obferat, Deo gratias agat: si verò negligentia suâ detrimentum sit passus, ex animo doleat, stimulosque sibi ad fortiùs currendum addat. Hæc Veronius in *Man. Sodalit. c. 4. p. 11.*

612. Restat unus scrupulus, ad quem, nisi removeatur, teneriores conscientia possunt hærere. An videlicet in generali confessione, quam dicunt se velle instituere de omnibus peccatis à tota vita, vel à tot annis, teneantur omnia peccata eorùmque species ac numerum exprimere, ne aliàs mendacij argui possint, aut decipiant Confessarium, qui iudicaret castè vixisse eum, cum tamen vixerit turpissimè, si liceat hæc talia non explicare in confessione generali. Ita Victoria & Ledesma apud Dicast. *11. 8. D. 9. d. 2. §. 7. n. 161.* Sed Dicast. *ipse n. 162.* Lugo *D. 16. f. 5. n. 56.* Laym. *l. 6.* Bonac. *D. 5. q. 5. f. 2. p. 2. §. 3. diff. 2. n. 14.* Suar. *D. 22. f. 7. n. 7.* Henriq. *l. 2. c. 12. §. in Gloss. lit. D. Diana p. 3. 11. 4. R. 86.* & alii plures, asserunt, posse quemlibet omittere, quæcunque velit, ex legitime jam semel

absolutis; tum quia hæc peccata non sunt materia necessaria confessionis; tum quia pœnitens non habet majorem obligationem confitendi peccata mortalia, jam semel subiecta clavibus & absoluta, quam peccata venialia; sed qui peccata venialia confitetur, etsi dicat, se omnia, quæ à tali tempore commisit, confessurum, non tenetur omnia confiteri, sed potest quædam reticere; ergo etiam, qui dicit se generalem omnium peccatorum confessionem exhibiturum, potest ex legitime jam expiatis quædam reticere. Nec decipit talis confitens Confessarium; verè enim, quod exponit, dat pro materia: cætera, quæ reticet, non dat, nec negat; nec tenetur dicere, cum jam semel legitime sit confessus. At mendacium in hoc facile evitatur, si dicatur, asserum illud non esse tam exactè accipiendum & intelligendum, sed in sensu accommo, scilicet peccata illa exponenda esse, quæ videbuntur, quod docti Confessarij nôrunt satis esse. Ut tamen talis pœnitens à se rejiciat onus aliqui molestissimum interrogandi numerum, si cum antiquis peccatis misceat nova, quæ sint mortalia, dividat confessionem generalem in duas partes, quarum unâ complectatur peccata antiqua, addatque se omnia jam semel quoad speciem & numerum confessum esse; alterâ verò comprehendat ea, quæ ab ultima confessione patravit, additis specie, & numero; vel si potius velit antiqua peccata cum novis exponere, non erit quidem necesse, ea ab invicem separare; addendum tamen erit, ut caveatur molestia, ea, quorum nec species, nec numerus exprimitur, jam esse legitime omnia expiata.

613. Quando quis in vita fecit confessionem generalem cum mediocri diligentia adhibita in discussione conscientiae, non tenetur amplius de vita antea acta cogitare, & si postea occurrat dubium, an peccatum sit in confessione expositum, vel non? an cum debito numero & circumstantijs &c. potest praesumere, se jam confessum esse &c. & omnia dubia de praeterita vita deponere: alioqui nunquam erit finis dubitandi, & se, Confessariosque vexandi. Joannes Sancius D. 4. in select. n. 18. apud Dian. in sum. V. confessio. n. 56.

614. Et hoc principium applicari potest ad confessiones etiam particulares: nam qui bona fide sufficienter praestitit, quae ad confessionem requiruntur, non tenetur in prioris vitae acta ulterius inquirere; nam nullus alioqui esset locus tranquillitati conscientiae, sed quaecunque diligentia posita in confessione facienda (cum de propitiato peccato etiam viri pii non debeant esse sine metu, Eccl. 5.) semper cogitari poterit, an recte sit instituta.

P A R S IV.

DE AGENDIS POST CONFSSIONEM.

Inter haec, quae à penitente post confessionem peragenda sunt, quaedam ab eo adhuc in ipso confessionali existente sunt agenda; alia paulò post, quàm inde digressus est: alia etiam paulò tardius, & praecipue illa, quae spectant ad vitae emendationem: de quibus seorsim agendum erit.

QUAESTIO I.

De iis, quae adhuc in ipso confessionali, & paulò post sunt observanda.

Horum alia spectant ad confessionem recte claudendam: alia ad gratias pro beneficio absolutionis impetrato agendas: alia ad implendam penitentiam.

ARTICULUS I.

De modo claudendi confessionem.

1. Sunt aliqui, qui, licet confessionem

bene absolvent, eam tamen imperite admodum claudunt; dicendo v. g. *Jam est finis: haec sunt peccata mea: nihil amplius: alij sunt haud paulò deteriores, ij nempe, qui omnino instar piscium muti haerent, ut Confessarius ignoret, num adhuc superfit, de quo se velint accusare, vel non.* Hi ergo, si rem rectè gerere velint, sic confessionem claudant, & dicant: *De his & omnibus alijs peccatis meis dico meam culpam, ideo precor B. MARIAM semper Virginem, omnes Sanctos, & te, Pater, orare pro me ad Dominum DEUM nostrum, petoque salutarem penitentiam & abso-*

Ss 3

abso-

absolutionem: vel, si placet, & præsertim in magno hominum concursu; de his & omnibus peccatis doleo, petoque pœnitentiam & absolutionem.

2. Attendet sub hæc, quid moniti & consilii daturus sit Confessarius; aut quam pœnitentiam injuncturus; de qua postea paulò pluribus. Interim è loco confessionis non statim ab expositis peccatis, aut pœnitentiâ injunctâ evolabit, tanquam hostis à tergo immineat, sed adhuc in genua pronus expectabit, usque dum Sacerdos verba absolutionis pronuntiârit, signumque abeundi dederit. Dum tamen absolvitur, cogitare poterit, animam suam mundari pretioso Sanguine JESU Christi, cujus merita per Sacramentum Pœnitentiæ sibi applicantur; vel etiam de DEO offenso cogitare, & actum contritionis elicere.

ARTICULUS II.

Gratia post confessionem agenda.

3. Postquam è confessionali egressus est, flexis genibus Deo gratias agat, pro accepto beneficio absolutionis, & peccatorum remissione; merita Christi, Beatissimæ Virginis, & omnium Sanctorum offeret pro pœna suis peccatis debita; propositum se emendandi renovabit, gratiamque postulabit servandi propositum.

*Oratio jam dictis accommodata,
& post confessionem dicenda.*

4. O Domine JESU Christe, animarum nostrarum Amator suavissime, qui propter nimiam cha-

ritatem, quâ diligis nos, non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat, gratias tibi ago, quòd me miserum, & tot & tam magnis peccatorum vulneribus faucium sanaveris, meæque animæ maculas pretiosissimo tuo Sanguine emundaveris. Sit tibi, ô dulcissime JESU, meritis sanctissimæ Passionis tuæ, Beatissimæ MARIÆ semper Virginis Matris tuæ, ac omnium Sanctorum, grata & accepta ista confessio mea, & quidquid mihi defuit nunc, & aliàs de sufficientia contritionis, de puritate & integritate confessionis, suppleat pietas ac misericordia tua, & secundum illam digneris me habere plenius, ac perfectius absolutum in celo. Da mihi ex nunc integram, ac puram mentem, simplex ac rectum propositum, ut sanus factus non amplius peccem, ne deterius aliquid mihi contingat, sed potius (quod unice cupio) ut nihil deinceps totâ vitâ meâ quæram, aut concupiscam aliud, quàm quod animæ meæ sit utile, & divinæ Majestati tuæ inprimis placeat. Quod ut fiat, rogo te, ô piissime JESU, per pretiosissimum tuum Sanguinem, per merita gloriosæ Virginis, Genitricis tuæ MARIÆ, & omnium Sanctorum. Amen.

AR-

ARTICULUS III.

De pœnitentia, quæ fuerit injuncta, implenda.

5. Nomine pœnitentiæ hoc loco intelligitur satisfactio Sacramentalis, quæ à Bonac. *D. 5. q. 5. s. 3. p. 1. n. 1.* sic describitur: Est compensatio pœnæ temporalis, debita propter peccata, sita in operibus pœnalibus à Confessario taxatis. Quæ definitio ex dicendis tum hic tum infra *l. 2. q. 3. art. 3. an. 108.* meliùs intelligitur. De pœnitentia autem (hoc enim nomine deinceps pro tertia hujus Sacramenti parte utemur) nonnulla jam supra *p. 3. an. 89.* dicta sunt, quæ non sunt repetenda: solum reliqua, quæ ad pœnitentiæ impletionem ex parte pœnitentis requiruntur, hoc loco sunt referenda. Itaque

6. I. Verè datur obligatio acceptandi pœnitentiam. Tamb. *l. 4. Meth. Conf. c. 2. §. 1. n. 1. ex communi*: Confessarius enim potest eam præcipere; ergo pœnitentia tenetur acceptare. Anteced. colligitur ex Concilio Trident. quod *Sess. 14. c. 13.* docet, Sacerdotes habere potestatem ligandi non solum ad infirmitatis medicinam, sed etiam ad peccati commissi vindictam. Consequentia patet, quia potestas præcipiendi & obligatio obediendi sunt correlativa.

7. II. Est autem hæc obligatio acceptandi & implendi pœnitentiam injunctam ex suo genere gravis: cum enim Confessarius possit, si materia sit capax, obligare graviter, existimandus est id ita velle, si aliud non exprimat. Unde pœnitentia gravis pro peccatis mortalibus nondum expiatis imposta sub gra-

vi obligatione est implenda, Tamb. *n. 2. §. 4. & alii.*

8. Potest autem fieri levis ex parvitate materiæ, si nimirum ipsa pœnitentia in se sit levis; vel gravis quidem, sed imposta pro peccatis solum venialibus; vel pro mortalibus ritè tamen jam semel expiatis; vel si levis pro peccatis mortalibus nondum absolutis imponatur: quia etsi causa sit gravis, materia tamen præcepti non est capax tantæ obligationis. Suar. *D. 38. s. 7. n. 5.* Tamb. *n. 5. §. alii*; vel denique si peccatis gravibus nunquam adhuc expiatis imponat quidem pœnitentiam gravem, sed non aliter nisi sub obligatione levi: id enim posse Confessarium, docent Suar. & Tamb. *ll. cc.* Est enim Confessor velut legislator, qui suam legem moderari potest, ut liber; monepudus tamen de hoc erit pœnitens, ne in errorem inducatur; sed nec præsumendum de Confessario, nisi exprimat: hic enim procedit juxta communiter accidentia, juxta quæ non solemus materiam gravem præcipere sub obligatione levi.

9. III. Est personalis: & ideo per alium impleri non potest, præsertim post constitutionem Alexandri VII. quod ipsum etiam postulat Justitia vindicativa, ut videlicet is, qui deliquit, satisfaciat, & non alius. Et consequenter, qui redditus est impotens ad pœnitentiam, quæ sibi injuncta est, implendam, non tenetur implere per alium, etsi id commodè facere possit. Tamb. *§. 3. n. 12.* qui refert etiam Lugonem *D. 25. de pœn. s. 5. n. 87.* Sed cleemosyna talem rigorem non exigit; & ideo per alium tanquam per instrumentum distribui potest. Quin &, si preces,

quæ

quæ communi usu alternari solent, ut sunt Psalmi, Rosarium &c. imponatur, possunt alternari. Sancius in *select. D.* 15. n. 2. Less. l. 2. c. 37. d. 9. n. 52. & alii: non enim apparet, cur iste modus non æquè habeat locum in pœnitentia Sacramentali, ac in aliis precibus v. g. horis canonicis: nisi tamen aliud expressè vel injunctum sit, vel determinatum: quod Less. l. c. ait esse rarissimum.

10. IV. Pœnitens ipse non potest propria auctoritate pœnitentiam rationabilem injunctam in aliud opus, quamcunque melius, commutare. Laym. l. 5. tr. 6. c. 15. n. 16. Tamb. c. 3. §. 1. n. 15. ubi refert etiam Sanch. Reginald. Coninch. Lugonem s. 6. n. 96. Est enim hæc commutatio actus jurisdictionis. Potest tamen quilibet Sacerdos etiam inferior eam mutare: quia Sacerdotes in potestate absolvendi personas, & peccata, in quæ jurisdictionem habent, à se invicem non dependent. Non potest autem hæc mutatio à secundo Sacerdote fieri, nisi auditâ denuo eorum peccatorum, pro quibus injuncta est pœnitentia, Confessione; est enim hæc impositio actus judicialis, qui supponit causæ cognitionem. Quod si verò ab eodem Confessario facienda sit hæc mutatio, potest fieri etiam extra novum Sacramentum & post longum tempus; modo Confessarius habeat saltem confusam notitiam peccatorum, pro quibus pœnitentiam imposuit: cum enim hæc mutatio pertineat ad idem ejusdem Confessarii judicium, semper faciet unum quid cum præterita Confessione, atque adeo censetur pertinere ad idem Sacramentum; & intra illud fieri. Sed Navar. Tolet. Henriq. & alii apud

Laym. l. c. existimant, non esse necessarium, ut, si ab eodem Sacerdote fiat commutatio, etiam si nec in confuso recorderetur status pristini, in quo fuit pœnitens, reperatur prior Confessio.

11. V. Non est necesse, ut pœnitentia impleatur ex intentione satisfaciendi oneri imposito. Sanch. l. 1. Mor. c. 13. n. 17. Diana p. 2. tr. 12. R. 37. §. notandum. Lugo s. 3. n. 34. habet enim se impositio pœnitentiæ sicut præceptum: sicut ergo satisficit superiori præcipienti rem aliquam, si res ipsa ponatur, etiam sine intentione satisfaciendi præcepto, ut suppono; ita etiam satisficit Confessario, si opus impositum exhibeatur sine dicta intentione.

12. VI. Non est necesse, ut pœnitentia impletur in statu gratiæ. Tamb. c. 2. §. 2. n. 9. referens etiam Lugonem s. 3. Quia, ut etiam aliis præceptis satisfiat, non requiritur status gratiæ, sed solum, ut id, quod injunctum est, ponatur. Interim verum est, quòd satisfactio Sacramentalis in statu peccati mortalis præstita, suum effectum, qui ei ex opere operato responderet, & est remissio pœnæ, non sit habitura propter obicem; perinde ut Sacramenta, ut Lugo n. 40. & alii docent; & addunt, eam recedente postea fictione seu obstaculo reviviscere; id quod etiam Laym. n. 15. Diana p. 3. tr. 4. R. 85. & alii docent. Quantam autem pœnam remittat satisfactio, non constat; solus DEUS id novit, qui taxam ejus remissionis sibi reservavit.

VII. De tempore, quo implenda est pœnitentia, dictum supra p. 3. n. 98. sicut & de eo, qui oblitus est pœnitentiæ impositæ, *ibid.* n. 97.

QUÆ.

QUÆSTIO II

De mediis ad vitam male
transactam emendam
idoneis.

Inter curas, quas à peracta Confessione habere oportet, non postrema esse debet de mediis, quæ ad vitam minùs bene actæ emendationem facere possunt. Ex his autem alia sunt generalia, alia particularia. De utrisque seorsim dicendum est.

ARTICULUS I.

De generalibus vitam emendandi
mediis.

13. Inter generalia media, quæ ad extirpandum aliquod vitium, vel imperfectionem usurpari possunt. I. est horror de peccatis. Concipietur autem hic ex consideratione gravitatis peccati, quæ cognoscetur tum ex bonis, quibus privat; tum ex malis, quæ infert peccatum; tum ex persona offensa, & offendente; & illius quidem Majestate, istius verò vilitate. Et licet DEUS quovis, etiam minimo peccato, v.g. mendacio jocosò offendatur; offensa tamen, quæ est ex quolibet peccato mortali (quantumvis aliàs parvum videatur) est incomparabiliter major: sicut Rex & ejus Majestas multò magis offenditur, si ipsi alapam infligas, quàm si transeunti fortè non assurgas, aut caput non detegas. Sed & in prioribus rationibus peccatum mortale plurimùm differt à veniali. Priùs autem de mortali agamus, & ejus malitiam ex utroque illo capite perpendamus.

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

14. Igitur bona, quibus ob quodlibet mortiferum peccatum spoliàmur, hæc sunt. I. est Divina Gratia, res omnium pretiosissima, empta nobis Christi Sanguine. II. est totus apparatus virtutum infusarum, tam Moralium, quàm Theologicarum, excepta fide & spe, quæ ex singulari DEI favore per nullum aliud peccatum, quàm quod ipsis directè oppositum est, auferuntur. III. Est paterna illa benevolentia, ac præcipua cura & tutela, quam DEUS gerit bonorum. IV. Est meritorum præsentium, & præteritorum pretium; quæcunque enim merita priora, etsi tanta, ac tam copiosa forent, quàm fuerunt, sunt & erunt omnium Sanctorum in unum collecta, unico peccato mortali mortificantur, & ad eum statum rediguntur, ut in conspectu DEI non alia appareant, quàm si nulla unquam præcessissent: ea verò opera, quæ ab homine in statu vel unius peccati mortalis fiunt, tam inania, tam sterilia, tam ingrata DEO sunt, ut quæcumque aliàs generosa ac heroica videantur, DEO sint instar panni menstruati, ut loquitur Propheta, & nullius valoris ac meriti; imò (quod ampliùs est) nullum unquam valorem aut pretium habitura. V. Est Societas meritorum Ecclesiæ. VI. Est jus æternæ gloriæ, quod, cum in gratia essemus, velut hæredes habebamus. VII. Est amicitia cum DEO. VIII. denique amittimus omnia simul, cum DEUM amittimus, summum & infinitum bonum. Heu! quæ, & quàm gravis jactura! atque ea accipitur statim, eo, quo peccatum mortale committitur, momento.

15. Jam damna, quæ peccatum mortale

Tt

tale

P
 Poen
 F
 rale quodvis invehit, sunt hæc. I. deturpat animam, creaturam nobilissimam. II. Facit hominem pejoris conditionis, quam sit æger, captivus, mendicus, cæcus &c. cum omnia mundi adversa exæquare nequeant peccatum mortale, quantumvis leve. III. continuum conscientia stimulum creat. IV. reddit Divinis favoribus indignum. V. offendit Angelos, præsertim custodes, eorumque preces & patrocinia reddit inania. VI. Plurimis pœnis, ac malis, etiam temporalibus facit obnoxium: ex peccatis enim mors, morbi, pestilentia, penuria, fames, bella &c. oriuntur: atque hæc mala sæpe alicujus privati scelus gignit, ut videre est in *Lib. Josue cap. 7.* VII. Reum æternæ pœnæ constituit; eodem enim momento, quo quis vel unicum peccatum mortale admittit, in cælo publicè exul pronuntiat, proscibitur, ejusque bona publicantur: apud creaturas omnes velut in plebissimo theatro, perfidus, rebellis, & infamis conclamatur, & simul Diabolo & ejus ministris addicitur cruciandus. Et ideo, si in eo statu obeat, actum est; excidit gloriâ æternâ; privatus est omnibus illis pulcherrimis gloriosi corporis dotibus, & cunctis Angelicis Divinisque deliciis; eam conditionem adit, ut tota æternitate nequeat vel minimum quid boni cogitare, ne dum loqui aut facere; aggreditur crudelissima supplicia in omnibus animæ facultatibus, in omnibus corporis sensibus & membris, apud inferos æternùm absque ulla spe finis, & cessationis toleranda. Hæc consideras; & adhuc peccare, præsertim graviter, lubet?

16. Quod jam ad peccatum veniale at-

tinet, invehit & ipsum sua mala, & damna, licet, non tam enormia & immania, quam peccatum mortale. I. Igitur peccata venialia efficacitatem Sacramentorum debilitant. II. Ad Divina lumina, & Angeli Custodis monita excipienda & sentienda reddunt animum segnem & durum. III. Redigunt animum in angustias difficillimas, ac tenebras periculosas; molestiis ac sollicitudinibus, velut spinis, stimulant ac pungunt. IV. Impediunt gustum, ac sensum cælestium voluptatum. V. Quod proximum est, gravem, acerbamque vitam reddunt: debilitatis enim viribus gravissima videntur, quæ cum voluptate, viribus integris, ferebamus. VI. Injiciunt scrupulos, & faciunt de peccatis commissis anxios, & sollicitos: quo pax animi perturbatur, quam conscientia puritas gignit. VII. Reddunt obnoxios cujuscunque generis tentationibus, justaque hominum socordium pœnâ fit, ut diabolus audeat etiam ad res fœdissimas sollicitare. VIII. Offendunt socios, & fortassis nonnullos pravis exemplis à bonis propositis retardant. IX. Proclivem parant lapsum in mortifera; & fit sæpe, ut, qui leviora negligit, gravibus implicetur, & lethale vulnus, obducto paulatim callo, miser non sentiat. X. Deturpant animam & DEO ingratam reddunt. XI. Contristant Spiritum Sanctum. XII. Sanctissimæ Trinitati magnam gloriam adimunt, quæ illi ex nostræ vitæ integritate accessisset. XIII. Sæpe etiam in hac vita gravissimè puniuntur. Exemplo sint Oza Sacerdos, & S. David Propheta: quorum ille, quod incautè arcam DEI, alioqui casuram, tetigerit, repentina morte correptus est.

2. Reg.

2. Reg. 6. Iste verò, quòd nescio cuius vanitatis studio ductus iusserit numerum populi sibi subiecti iri, tantum malum induxit, ut uno die septuaginta millia virorum peste sublata sint. 2. Reg. 24. XIV. Minuunt merita & gratiam: etsi enim peccata venialia animam non occidunt (ut mortalia) tamen id efficiunt, ut homo eâ gratiâ & merito carere debeat, quòd alioqui habiturus fuisset, si peccatum istud non admisisset. XV. Arcet ab ingressu cœli; non enim, ut *Apocal. 21.* habetur, in eam (scilicet gloriam cœlestem) aliquod coinquinatum intrabit. Unde *Umbert. Epist. de 3. vor. cap. 56.* nunquam, inquit, à quoquam peccatorum venialium quadrans minimus persolvatur. XVI. Reos faciunt gravissimorum cruciatuum in purgatorio. Levi opus est culpâ ad eos promerendos: S. Udalricus suum quendam nepotem bono, ut putabat, zelo ductus ad Episcopatum promovit: S. Severinus Episcopus Coloniensis horas canonicas amore negotiorum abstractus tempore non suo recitavit: novennis quidam puer pauculos obolos à famulis accepit & non restituit: Durannus magnæ alioqui probitatis Episcopus quibusdam jocis in familiaris sermone usus est: & hi omnes ob delicta tam levia pœnas in purgatorio dederunt acerbissimas.

17. His bene, accuratè, & maturè perpensis hanc practicam conclusionem faciendam esse, quis non advertat? nimirum quodvis peccatum seu mortale, seu veniale etiam minimum summè esse detestandum, & ab eo velut à facie colubri fugiendum; & in peccatis veniali-

bus speciatim non esse considerandum, quòd parva sint, sed quòd DEUS, cui displicent, sit magnus, ut dicit S. Hieronymus; & dignus adeo, cuius honorî & amorî id detur, ut potius parati simus ad mille mortes subeundas, quàm ut ipsum levissimè etiam vel semel offendamus.

18. II. Remedium generale est firmum propositum, non committendî amplius tale peccatum, quòd nobis est familiarius: hoc autem propositum facile concipiet is, qui justum peccati ex ejusdem gravitate bene ponderatâ horrorem conceperit. Quid enim pronius est, quàm ut omnibus remis velisque fugiamus id, quòd vehementer averfamur? Et tantò majorem vim habet id, de quo sermo est, propositum, quantò sæpius interdiu renovabitur. Maximè verò manè id renovandum est, & quotiescunque quis in illud peccatum relabitur.

19. III. Non parùm prodest, frequenter habere memoriâ DEI præsentis, ut summi benefactoris, & specialiter Redemptoris, ac proinde è cruce pendentis, & suos tibi, cùm peccare cogitas, labores & dolores, sua vulnera, suum sanguinem, quem pro te effudit ad ultimam usque guttam, exhibentis, & fortè te sic alloquentis: *ô miser & insipiens! hæcne mihi reddis Domino tuo? pro his vulneribus, quæ amore tui accepi? pro hoc sanguine, quem pro te effudi? eum, qui te tam carè redemit, derelinques? eum, qui tanto amore te persecutus est, offendes? &c. Hæc & similia, ô anima Christiana, audis & vides? & ista reddis? ô immanis ingratitude!*

20. IV. Quod si hæc tam plena amoris

ris & paterni affectus verba te non movent, ad omittendum peccatum, eorum, quæ terrorem incutiunt, recordare, cum tentatio urget. Stare ergo tibi ob oculos DEUM, non ut Patrem tuum, sed ut exactissimum Judicem, & severissimum malarum actionum vindicem; & cogita, Eum gladium Divinæ suæ Justitiæ ac vindictæ in te jam stringere & vibrare; & fortè hâc ipsâ horâ, hoc ipso, quo peccas, momento percussurum, è vivis ad tribunal suum evocaturum, & mox pro merito aternæ pœnæ, peccatoribus præparatæ, addicturum. Hæc vides, & agnoscis? & adhuc lubet offendere tam severum, ac justum Judicem? Ferreus sis, oportet, & in tuam perniciem nimis projectus, si hæc serîo cogitata te non moveant, & erigant è stercore ac cœno peccatorum.

21. V. Huc etiam spectat cogitare, nos stare in conspectu Angeli nostri Custodis; & hoc præsentem quisquam nostrum audeat, quod præsentem viro aliquo honorato non auderet? id, quod S. Bernardus in *Psalm. Qui habitat*, inculcat: in quovis diversorio, inquit, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habet. Tunc audeas illo præsentem, quod vidente me non auderet?

22. VI. Fugiendæ occasiones, specialiter proximæ, quæ ad tale peccatum inducere solent, ut blanditiæ, deliciæ carnis, ludi, malæ societates, familiaritas familiarum, præsertim suspectarum, à quibus quis jam semel est ictus; frequentia locorum periculorum, aspectus oculorum, curiositas audiendi, lectio librorum obscænorum, & id genus alia. Ecclesiastico enim teste *cap. 3.* qui amat pe-

riculum, peribit in illo: de quo puncto plura supra *p. 3. n. 451.*

23. VII. Fugiendum otium, quod est origo & fons omnium vitiorum: est enim pulvinar diaboli. Semper ergo honesta aliqua occupatione vel mentis vel corporis distentum esse convenit, ne locum inveniat diabolus in anima nostra.

24. VIII. Principio cujuslibet tentationis quantumcunque obstandum. Nam alioqui nimis serò medicina paratur, cum mala per longas invaluerint moras. Itaque scintilla pravæ cogitationis statim est excutienda, antequam intret, & cor accendat, & non possis extinguere. Nunquam hostis facilius, quam cum pusillus est ac debilis, superatur. Quod si ita frequenter pugnare assueveris, & tua virtus augebitur, & inimici vires paulatim infringentur. Econtra verò nisi ita assueveris, sed vinci te sæpius permiseris, tuæ vires minuentur, & inimici virtus paulatim adeo invalefcet, ut cum eo amplius congruere non possis, & mox vincaris. Statim ergo cum tentatio oritur, te, ut dixi, collige, & serpentis caput elide. Id quod facile potes, si cogitationes aliò divertas, v.g. in Christum crucifixum; vel è vestigio sanctissimum JESU, & MARIE nomen ingemines; vel signo crucis te munias; vel ad orationem, quæ est turris fortitudinis, recurras; hanc aut similem usurpando: *DEUS in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina. Domine salva me, alioqui pereo; Domine, ecce quem amas, quem pretioso tuo sanguine redemisti &c. vix pariter &c.*

25. IX. Vesperum examen conscientie diligenter instituendum, & de peccatis admif-

admissis, maximè in quæ frequentius quis labitur, contritio elicienda: credi enim non potest, quantum ad animæ & vitæ puritatem hoc exercitium conducat.

26. X. Si quando homo senserit carnis rebellionem, corpus aliquanto durius & asperius tractandum, tum edendo, tum bibendo, dormiendo, tum etiam per alias macerationes v.g. cilicium, disciplinam &c.

27. XI. Legendi pij libri, & abstinendum à vanis, & singulariter à lascivis; exhortationes piæ audiendæ. Nam Verbum DEI colligit cor hominis, temperat passiones, voluntatem & mentem nostram implet bonis desiderijs.

28. XII. Frequentanda Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ. Sunt enim hæc efficacissima remedia contra peccata; per ea enim confertur gratia Divina, principale adversus quodlibet vitium remedium. Præterquam quod eadem Sacramenta à Christo instituta sint, ut essent quasi medicinæ cœlestes, non solum ad expianda peccata, sed etiam ad sanandos nostros inordinatos affectus, ad reprimendas passiones, ad languorem animi tollendum: & denique ut essent quædam animi incentiva, quibus nostra voluntas inflammata facilius resistat pravis cogitationibus, & vincat omnes tentationes ac peccata.

ARTICULUS II.

De remediis particularibus emendandi vitam.

29. Præter generalia, de quibus hæctenus, sunt alia quædam remedia magis particularia, & propria cujusque defe-

ctûs corrigendi, quæ hic enumerare immensum foret. Poterit quisque usurpare & applicare ea, quæ consilio Confessarij videbuntur opportuniota. Tam hæc autem, quàm illa generalia assumenda sunt cum magnitudine animi, perseverantia, & certa spe victoriæ, fundatâ in auxilio & gratia Christi, qui vicit mundum, nec quenquam patitur tentari supra id, quod potest, sed facit cum tentatione proventum.

30. Porrò si aliquod vitium præcipuum & prædominans, à quo pleraque alia pullulant, eradicare velis (quod sanè magni est momenti ad vitæ emendationem, puritatem & perfectionem) Confessario tuo te totum explica, aperiens non tantum peccata, sed etiam tentationes, propensiones, passionésque perverfas, quibus ad peccandum facilius & frequentius pertraheris, ut videlicet clarè intelligat, ubi invigilandum, ubi medendum, ubi laborandum. Tum deinde illius hæc super re iudicium & consilium sequere, & constanter in praxin redige. Quod si feceris, næ tu brevi à gravioribus vitijs & peccatis liberaberis.

Quod si verò in hoc negotio tibi vel Confessarij opera deesset, vel non facilis ad eum pateret accessus, hæc methodo & praxi, quam hîc subijcimus, & multi cum magno suo solatio usurpârunt, uti poteris.

ARTICULUS III.

Praxis facilis & certa ad vitiorum eradicationem.

31. Hæc consistit in Examine, quod Particulare vocant, & nihil aliud est, quàm

quàm specialis quædam diligentia & cura circa aliquam rem, virtutem scilicet inferendam, & vitium extirpandum: sicut enim pluribus intentus minor est ad singula sensus, ita sollicita unius cura solet esse perquam efficax & certa.

32. Materia hujus Examinis est vitium & defectus eliminandus, vel etiam virtus acquirenda, cum delectu tamen, ut ea potius sumantur, quæ majus faciunt negotium ex speciali quadam necessitate vel inclinatione, ex qua tamen plurimum profectus, & defectus in perfectione pendet. Hinc si Examen particulare faciendum sit circa aliquem defectum, considerandum, an gravis ille sit, aliis offendiculo & scandalo? an aliorum defectuum radix & causa? an ex vehementi aliqua passione oriatur? quæ hominem à se alienet, & abripiat, ita ut hinc majus sit periculum in illo frequentius impingendi: an secundum præsentem statum negotiorum, quæ tractantur, vel personarum, cum quibus ea tractantur, sit vicinior occasio in similes defectus relabendi &c.

33. Forma verò ejusdem Examinis & modus corrigendi vitium vel defectum consistit in sola executione, non quidem tali, quâ quis uno velut impetu defectum extinguere & subito naturalium inclinationum torrentem sistere velit: hæc enim nimis violenta sunt; nec tanta & tam solida ex ijs emendatio, quàm sanitatis jactura, provenire solet. Sed ille modus magis familiaris, hominique magis conveniens sit, necesse est, v. g. proponendo, & executioni mandando; cadendo & surgendo, pugnando & expu-

gnando pravam aliquam consuetudinem, in quem finem servanda sunt sequentia.

34. I. Mox, ut à somno quis surgit, firmum faciat propositum, quòd cum Divina gratia toto illo die diligentem operam, & sui custodiam adhibere velit, ne in vitium illud vel defectum, quem mediante Examine particulari in se emendare cogitat, unquam incidat.

II. Divinum auxilium in hunc finem hac vel simili oratione imploret, Omnipotens & misericors DEUS, rogo te per infinitam tuam bonitatem, ut gratiæ tuæ auxilium mihi conferre digneris, quo adjutus hac die secundum Divinam tuam & sanctissimam voluntatem vitia omnia, speciatim verò N. (*exprimat hinc illud, quod expugnandum est*) fugiam, & virtutes Christianas exerceam, quoad tibi DEO ac Domino meo in cœlesti gloria lætus assistam, & in æternum serviam.

III. Singularem tota die curam, & diligentiam adhibeat, ne in propositum vitium aut defectum cadat: & ne despondeat animum, si fortè pugna diuturna sit, & occasiones multæ animo ejus occurrant: breve sibi tempus proponat, v. g. propositum exciter à matutino tempore usque ad meridiem tantum, & non ultrà; & à meridie usque ad vesperum, statuendo, diligenter sibi cavere eo die, & non conjiciendo oculos in crastinum.

IV. Ad lapsum tamen facilius evitandum plurimum prodest, dictum propositum interdum sæpius renovare. Quod si ve-

si verò aliquando contingat, ut contra id, quod quis vitare statuit, se deliquisse advertat, mox admotâ pectori manu (quod etiam adstantibus aliis, nec tamen advertentibus fieri potest) vel certè interiori solo mentis affectu de lapsu doleat, & caveat, ne animo cadat: quin potius occasionem sumat nova proposita excitandi, ita ut toties proposita renovanda sint, quoties errare contigerit.

V. Examine, quoties defectum illum, quem pro materia Examinis particularis assumpsit, commiserit: sedque saltem vespere, cum aliâs examen generale conscientia facit. Quodsi autem etiam in meridie (quod utile est) speciatim in dictum defectum inquirere velit, Examen instituat per quinque illa puncta, quæ generaliter Examini respondent, & horas omnes à relicto somno percurrat, videatque, quæ se gesserit.

VI. Lapsus, si, quos in memorato Examine deprehenderit, eodem numero notet in charta seu lineis ad hunc finem præparatis. Linearum autem dispositionem, in quibus lapsus notari debent, subjecta figura ostendit.

Dies Dominicus	{	_____
Dies Lunæ	{	_____
Martis	{	_____
Mercurii	{	_____
Jovis	{	_____
Veneris	{	_____
Sabbati	{	_____

Ex his lineis semper duæ deputantur pro una die, & primæ quidem duæ pro die Dominica, alteræ duæ pro die Lunæ, & sic deinceps: ex his verò superior est pro antemeridiano, inferior pro pomeridiano seu vespertino examine. Et quia fructus speratur, ita sunt dispositæ, ut prima ceteris longior sit, reliquæ paulatim breviores, quia nempe in dies convenit, minuti numerum erratorum. Qui semel tantum suam conscientiam circa particularem defectum examinaturus est, potest eas lineas ita disponere, ut singulis hebdomadæ diebus tantum una respondeat, & prima quidem longissima Diei Dominicæ, altera paulò brevior diei Lunæ, & sic deinceps.

VII. Sub noctem numeret, conferatque invicem puncta linearum, & videat, an à priori examine ad posterius fuerit aliquid emendatum. Taliter quoque diem sequentem componat cum præcedente, hebdomadem cum hebdomadæ, mensē cum mensē, ut profectum, vel defectum (quod non erit difficile) deprehendat, sibi que omnino persuadeat, considerationem eam defectuū tam particularem, & quotidianam illam sollicitudinem plurimum valituram ad quosvis defectus evellendos.

VIII. Sibi ipsi pro commissis erratis, præter dolorem, aliquid pænæ spontaneæ injungere & exequi, perquam utile est, & fere necessarium: ea enim ratione se ad bonum propositum complendum quodammodo adiget.

IX. Ceterum ad fructum uberiorem ex hoc examine acquirendum, plurimum juvabit, sub initium aut finem Confessionis de facto aut neglecto eo examine referre:

foz
Journal
tentia
m
ia

referre: magis etiam, speciatim à postrema Confessione instituta numerum lapsuum recensere.

X. Interim tamen dum præcipuo conatu cum uno particulari vitio quis pugnat, cetera non sunt negligenda, sed universalis horror habendus, adeo ut si quod eorum se cum aliquo periculo peccandi erigat, statim quasi contrito capite reprimatur.

Hæc est praxis examinis particularis, cum directè vitium aliquid eradicare, imperfectionemque tollere conamur, adhibitâ solummodo curâ, ne committatur.

35. Ceterum non est necesse, ut vitium semper hoc modo directè impugnetur: sed potest (& verò utilissimè sæpe id fit) indirectè oppugnari, exercendo nimirum actum virtutis contrariæ: v. g. ad pellendum ex animo certum superbiæ modum potest quis pro examinis materia assumere certum humilitatis gradum, & ejus aliquos actus exercere: imò absolutè sine actuali relatione ad vitium extirpandum, potest quis rectissimè certæ cujusdam virtutis exercitium assumere, adhibito examine particulari: quod sanè fieri non potest, nisi simul vitium contrarium expellatur.

36. Ut autem hoc rectè & cum fructu fiat, expedit, ut virtus in plures partes, & actus dividatur, ita ut sensim ab uno ad alium fiat progressio: non enim animus simul in omnes ferri debet (hoc enim confusionem pareret) sed in unum determinatum, & particularem: & ubi in uno profecerit, tum demum ad alium progredi poterit.

37. Virtutis verò cujuslibet actus pro nostro instituto non incongruè dividuntur in externos, & internos. Ubi cum scriptoribus rerum spiritualium actus externos voco non tantum illos, quæ à potentiis externis perficiuntur, sed etiam, qui transeunt aliquo modo in potentiam ab intellectu & voluntate distinctam (etiam alioqui, si more Philosophorum loquamur, interni sint) Internos verò illos, qui perficiuntur, & immanent in solo intellectu & voluntate.

Ut res hæc magis pateat, uno alterove exemplo eam declarare lubet. Si quis virtutem castitatis pro materia examinis particularis assumere cogitet, is certos hujus virtutis actus externos cognitos habere debet: modum etiam seu formam exercendi actus internos, ex quibus certum numerum determinabit, quot videlicet internos, quot externos exercere velit. Quapropter

Actus externi castitatis.

38. Hi distingui & determinari possunt. I. Circumspectum cautumque esse in visu, nec res, nec personas, ex quarum intuitu castitas periclitari possit, aspiciendo. II. Nec loqui, nec audire verba, ad hanc materiam pertinentia, quæ possint sensum aut cogitationes irritare aut movere. III. Nec manus quidem, nec aliam honestam corporis partem ullius puellæ vel adolescentis contingere, nec similes tactus talibus permittere. IV. Habere se decenter & honestè in omnibus, non inspiciendo, nudando, tangendo ullam, etiam proprii corporis partem absque necessitate, vel justâ causâ. V. Per-

Personas, erga quas quis sentit peculiarem amoris affectum, in sensu fundatum, dextrè relinquere, & cautè cum illis conversari. VI. Ex desiderio castitatis corpus abstinentiâ, flagello, cilicio, vel aliis asperitatibus domare. VII. Ipsas etiam remotas cogitationes non admittere, multa celeritate ac diligentia eas statim in capite conterendo: quod rectissimè facillimèque fit avertendo mentem ad alia; vel, si fieri potest, etiam sensus externos occupando lectione libri, colloquio, oratione, numeratione rerum obviarum v.g. rotularum in fenestra. VIII. De persona amata & periculosa nullam penitus, ne honestam quidem cogitationem admittere, ita ut, si fieri possit, etiam memoria illius demum deleatur. IX. Nullum actuum externorum, qui castitati opponuntur, admittere. X. Ne quid ex incauta ignorantia contra castitatem admittatur, sufficientem hujus virtutem & vitii oppositi cognitionem quærere: in quo tamen ipso magnâ opus est cautelâ & circumspèctione, ne videlicet quisquam addicat, quæ meliùs ignoraret.

Actus interni castitatis.

39. Possunt isti hâc vel simili formâ elici, sive sola mente, sive mente simul & voce. I. Purissime, & amore toto dignissimè DEUS, constituo ab omni delectatione prohibita, speciatim hâc N. abstinere propter te. II. Castissime Fili castissimæ Virginis, da mihi, casto corpore & anima tibi servire: quod opto & oro per immaculatæ Matris tuæ merita & intercessionem. III. Amabilissime JESU, pango sædus cum oculis meis, quòd rerum corporearum decorem non sim in-

R. P. Stoz Trib. Pænit.

tuturus; pango sædus cum manibus meis, quòd me vel alium non sim indecenter tacturus &c. IV. Suavissime decor animæ meæ, propono firmissimè amore tuî, me ex rebus corporeis nec tactu, nec auditu, nec visu, nec alio modo (quoad meâ fragilitas feret) ullam delectationem pecepturum, tuâ adjutus gratiâ. V. Moriar potius Domine, quàm ut quidquam inhonestum contra puritatem admittam &c. VI. Per sanctam virginitatem & immaculatam conceptionem tuam, ô purissima Virgo, emunda cor meum, & carnem meam: In nomine Patris †, & Filii, † & Spiritûs sancti †, Amen.

Quodsi quis pro materia Examinis particularis elegerit Humilitatem, eam in suos actus tum externos, tum internos sic distinguat.

Actus externi Humilitatis.

40. I. Nihil loqui, quod redundet in propriam laudem, neque se, neque suos jactare. II. aliquem suorum defectuum in medium proferre, & sua vilipendere. III. Non ostendere ullam excusationem, nec in alios culpam transferre. IV. In functionibus externis, quantum in se est, abjectiores amplecti: item in congressibus locum honoratiorem aliis deferre; iis in omnibus cedere, & cum illis tanquam cum Superioribus agere. V. Cum quis contemnitur, nullum impatientiæ aut displicentiæ signum verbo factôve ostendere. VI. Nihil facere ob respectus humanos, sed omnia purè & sincerè propter DEUM.

Actus interni Humilitatis.

41. I. Seipsum agnoscere, & cogitare,

Uu

re, omnia dona tam naturalia, quam supernaturalia à DEO esse, seque DEO tanquam mancipium subicere. II. Non cupere ab aliis magnifери, vel honorari. III. Desiderare contemni, nisi aliud officii qualitas exigat. IV. Non complacere sibi, cum ab aliquo laudatur. V. aestimare se minorem aliis, considerando in iis dona DEI. VI. Non contristari ex eo, quod in se habeat aliquid despicabile. VII. Sæpe de suis miseriis cogitare, & hinc sumere occasionem abjiciendi se in suis oculis, agnoscendo se peccatorem, qualis revera est. VIII. Vanas ac superbas cogitationes mox, ut exorta fuerint, suppressere. IX. Proponere sibi occasiones contemptus & injuriarum, & ad illas se disponere, de earumque perpeffione gaudere. In quibus opus est magnam prudentiam, ut non fingamus nobis chimæras in aëre, sed discursum reducamus ad res moraliter possibiles, statui & officio convenientes, ad earum lubentem tolerantiam animum disponendo &c.

42. Ad similem modum potest quævis virtus in suos actus tum externos, tum internos distribui: ad quod libelli spirituales multum possunt; vel, si magis placet, opera vel Consilium Confessarii. Ubi tamen illud præcipue considerandum est, an hæc vel illa virtus tuæ vocationi magis conformis sit? an occupationibus, & ministeriis, in quibus versaris? an occurrat defectibus, in quos frequenter labi soles; & passioni, in quam propensior es? &c. Omnibus his consideratis virtutem illam, in qua plures ex dictis rationibus occurrunt, tibi pro materia Examinis particularis selige.

43. Materiam verò pro eo Examine sic electam & preparatam, eadem praxis, quam supra pro extirpando vitio ostendimus, etiam virtuti, animæ inferendam firmandamque, serviet; si nimirum ad similitudinem prioris illius industriæ, cum primum quis surrexit, certum sibi actuum virtutis, in quam incumbendam sibi putet, numerum statuat ac determinet, quem horis antemeridianis expleat; ad quod gratiam à DEO petat eam ferè Oratione, qua supra pro auxilio divino contra vitium usus est, & post illa verba: *virtutes Christianas*, addat, *præcipue verò N.* & exprimat hinc ea Virtus, vel illius gradus, cui singularis datur opera. Deinde singularem adhibeat cautelam, ne virtutem propositam omittat. Postea verò sub meridiem ex seipso percontetur; & an à numero virtutis proposito deflexerit, observet, tot punctis in linea, ad id preparatam, notatis, quot actus eliciendos omiserit? Denique alium numerum statuat magis accuratè servandum: de quo vesperi disquirat, num proposito meridiano intentionique responderit, collatis inter se punctis, puniusque ut supra.

44. Atque hæc praxis à S. P. N. Ignatio in aureo suo Exercitiorum spiritualium Libello est tradita, quæ sanè omnibus perfamiliaris esse debet; cum eam ad quodvis peccatum seu vitium extirpandum, & virtutes certè acquirendas, nihil fere sit facilius, nihil efficacius. Utinam, mi Lector, tam sanctè id mihi credas, quam verè dicitur. Utere, ne dubita; & cum optatum operæ pretium retuleris, salubriter monenti bene precare.

PARS

P A R S V.

DE REGULIS AD DIRIGENDAM CON-
SCIENTIAM IDONEIS.

Partem hanc claritatis causâ in suas quæstiones, articulos, & ubi opus erit, etiam paragraphos dispeſcemus. Et cum de Conscientia inscribatur, dicemus I. de Conscientia in communi: deinde II. materiam propositam ita digeremus, ut, quæ vel ad dijudicandum de peccatis ex parte tum intellectûs, tum voluntatis, vel ad directionem Conscientiæ in particulari juxta variam illius divisionem spectant, singula suo articulo complectamur.

QUÆSTIO I.

De Conscientia in communi.

Cum voluntas ex se sit cæca, ne in suis actionibus erret, indiget aliquo lumine intellectûs dictantis, quid honestum sit vel turpe, licitum vel illicitum: & hoc vocatur conscientia.

ARTICULUS I.

Quid sit Conscientia.

1. Certum est, quòd, sicut in speculabilibus datur habitus primorum principiorum, ita etiam in agibilibus datur similis habitus: ille Intellectus vocatur, iste Synteresis, cujus est prima & universalis morum principia cognoscere, & dare; qualia sunt, bonum esse faciendum, malum fugiendum; cuique suum esse reddendum; nemini faciendum, quod quis sibi fieri nolit; justè vivendum &c. Et

hæc principia sunt quidam fontes, ex quibus cetera particularia omnia profluunt, & dimanant, sùntque, ne in particularibus erremus, continuò ante oculos habenda. Et in hoc distinguitur à Conscientia, quòd hæc in particularibus versetur.

2. Spectat autem Conscientia non ad voluntatem, sed ad intellectum. Tanner. T. 2, D. 2. q. 6. d. 2. n. 16. *Et aij* apud ipsum; id quod actiones, quæ ipsi tribuuntur, indicant: dicitur enim præscribere, instigare, testificari, accusare, excusare, judicare &c. quæ solius intellectus opera sunt, ut ex terminis videtur esse notum. Est verò duplex hic actus attendendus; Unus, qui opus jam factum sublequitur, & est speculativus, consistitque in judicio, quo intellectus judicat, aliquid, quod factum est, bene vel malè factum esse: alter, qui opus faciendum præcedit, & est practicus, consistitque in judicio, quo intellectus judicat, opus aliquod fa-

U u 2

cien-

ciendum esse, quia honestum est, vel præceptum; aut non esse faciendum, quia inhonestum est, vel veritum. Pro quo melius intelligendo

3. Nota, ad conscientiam necessario præsupponi aliquam cogitationem intellectus de conditione & qualitate operis secundum se, eamque ut plurimum iudicativam, v. g. hanc hostiam, de qua nunc delibero, an adoranda sit, esse consecratam; hunc librum, quem cogito alteri donare, esse meum &c. Hoc verò iudicium non est Conscientia; solum enim speculative iudicat de objecto, & ideo vel est scientiæ, vel opinionis, vel fidei humanæ, vel erroris &c. Hoc autem iudicium formato sequitur in intellectu aliud iudicium dictans, quid agendum sit, vel non agendum. Et in hoc iudicio consistit propriè dicta Conscientia, & sic definitur solet: *Est actus intellectus, quo iudicamus aliquid hic & nunc agendum esse, vel fuisse, vel non, tanquam bonum vel malum.* Conscientiam autem in actu consistere, inde patet, quòd sit proxima regula præscribens opus; & reliqua, quæ paulò antè commemoravi munia, soli actuali cognitioni conveniunt; nam habitus remotè tantum seu media cognitione dirigit opus.

4. Ceterum hoc iudicium, in quo Conscientia consistit, est certum, ac evidens; supposito enim, quòd in objecto, circa quod versor, nulla sit, vel appareat inhonestas, nulla incedentia, non potest non esse evidens, actum, quo tale objectum amplectendum iudico, esse honestum, seu licitum. Præterquam quòd idem iudicium sit actus Prudentiæ, sive de in ea sit ordinis naturalis, sive superna-

turalis; hæc autem, cum sit virtus intellectualis, non potest, nisi ad actus veros disponere & inclinare.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Conscientia.

5. Conscientia variè dividitur. Et I. quidem in practicam & speculativam, de quibus paulò antè. II. in veram seu rectam: & falsam seu erroneam. Illa est iudicium invincibile de honestate objecti, cui si se voluntas accommodaverit, rectè & laudabiliter operabitur: & est, ut modò explicatum est, Prudentiæ. Illa verò est, quæ ex errore voluntario nata est, & est actuale iudicium Imprudentiæ.

6. III. Conscientia dividitur in probabilem seu opinativam, dubiam & scrupulosam. Hæc est vulgaris divisio Conscientiæ, desumpta ex illo de qualitate operis iudicio, quod dixi præsupponi ad Conscientiam, & eo præsupposito nasci aliud iudicium, dictans, quid stante tali opinione, dubio &c. agendum sit, quid non. Nemo enim est, qui, si circa objectum aliquod dubitet v. g. non experiatur in se hoc alterum iudicium practicum, quod dicitur, stante illo dubio, esse vel non esse operandum. Unde corrigendus esset familiaris ille loquendi modus, quo consuevimus Conscientiam appellare probabilem, dubiam &c. sed quia passim invaluit, tolerandus aliquantisper est, & retinendus.

7. Dices: hoc iudicium practicum non haberi ab omnibus; quia non omnes eliciunt tale iudicium, quo iudicent reflexè, ratione probabilis opinionis de honestate operis certum esse & indubitatum,

tum, hinc & nunc eam actionem esse licitam; ac proinde defectu hujus judicij multi damnandi sunt, qui juxta probabiles sententias operantur. Resp. Etsi multi sint, qui nesciant hoc judicium explicare, vel ad formam syllogisticam reducere; vix tamen etiam ullum esse, qui ratione utatur, & nesciat de suis actionibus judicare absque formidine & hesitatione, se bene operari, quando juxta cognitionem, quam assequitur, bona fide operatur, quod honestum videtur. Et qui hoc judicium ferre non potest, merito dici potest, non operari ex perfecta deliberatione humana.

8. IV. Dividitur Conscientia in consulentem seu suadentem, & in præcipientem vel prohibentem. Consulens est, quæ per modum consilij, & liciti dicitur, bonum & licitum esse aliquid facere, non tanquam necessarium, sed ut magis conveniens ad morum honestatem, & animæ salutem, v. g. virginitatem esse servandam, divitias erogandas pauperibus, ut via salutis sit expeditior. Præcipiens est, quæ per modum præcepti, vel prohibitionis dicitur, aliquid esse faciendum, vel omittendum sub præcepto, & cum obligatione ad peccatum, si secus fiat; quia id ita necessarium sit ad morum honestatem & animæ salutem: v. g. non esse mentendum, non pejerandum, parentes esse honorandos, vota implenda &c.

ARTICULUS III.

An, & ad quid obliget Conscientia?

9. Sermo est de Conscientia præcipiente, quam aliqui putarunt, non habere vim obligandi immediatè & ratione sui,

sed solum mediatè, vi alicujus alterius præcepti & legis, quam quasi promulgat instar alicujus nuntij vel præconis. Sed Bresser. lib. 1. c. 10. ex communi rectius docet, eam immediatè vi sua obligare; quia, etsi quandoque aliam legem promulget & applicet, aliquando tamen nullam aliam præter se intimat, ut cum versatur circa materiam lumine naturæ notam, de quo formetur unicum judicium practicum: quo casu peccatum erit contra illud agere: ergo vi sua obligat. Unde patet, Conscientiam non esse quasi nuntium & præconem alterius legis, sed esse quasi Vicarium seu Principem, cui Rex dederit potestatem, non tantum denuntiandi, sed etiam suo nomine & auctoritate obligandi: ita enim summus Legislator & Rex DEUS suas vires & auctoritatem Conscientiæ quasi delegavit, ut notat idem Bresser. n. 79. & l. 5. c. 6. n. 149.

10. Obligata autem Conscientia ad hoc, ut nihil contra eam agatur, ut constat ex illo. Rom. 14. omne, quod non est ex fide, peccatum est: id est, quod est contra dictamen Conscientiæ & judicium rationis, peccatum est, juxta communem SS. PP. & interpretum expositionem; cui consonat celebre illud Juristarum axioma, desumptum ex Cap. Omne. 28. q. 1. Quidquid est contra Conscientiam, ædificat ad gehennam.

11. Ceterum agere secundum vel contra Conscientiam, non est specialis virtutis, aut vitij; sed ejus, cujus est observatio vel transgressio legis, quam Conscientia proponit. Palus T. 1. tr. 1. D. 1. p. 3. n. 1. ex communi. Hinc in confessione non est specialiter explicanda circumstantia repugnantia cum Conscientia; sufficit,

cit, si exprimaturspecies facti. Quodsi tamen nulla specialis lex in transgressione occurrat, sed Conscientia solum in genere dicter, aliquid esse malum, erit solum contra Synteresin. Valent. T. 2. D. 2. q. 14. p. 4. §. Hanc tamen, vel ut alij volunt, contra virtutem quandam innominatam. An autem Conscientia etiam obliget, ut eam semper sequamur, hoc est, ut affectum nostrum eidem re ipsa conformemus, constabit ex dicendis de Conscientia in particulari.

QUÆSTIO II.

De regulis Conscientia directivis in communi.

Quæ ad dirigendam Conscientiam generativè spectant, habent se tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis. Hæc ubi breviter exposuerimus, subjungemus nonnullas alias regulas ad Conscientiam dirigendam idoneas.

ARTICULUS I.

Regula Conscientiam dirigendi ex parte intellectus.

12. Regula I. ad omne peccatum tam necessaria est cognitio, seu advertentia rationis, ut, si ea desit, nullum unquam in quocunque actu seu opere committatur peccatum. De ratione enim peccati est, ut sit voluntarium, voluntarium autem esse nequit sine cognitione: neque enim voluntas ullum actum circa aliquod objectum exercere potest, nisi fuerit illuminata ab intellectu, rem, in quam tendit, representante: fere sicut oculus co-

lores videre nequit, nisi sint illuminati. Ita omnes.

13. II. Ad contrahendum peccatum quodcunque seu veniale, seu etiam mortale, non sufficit habere conscientiam habitualement de malitia actus, id est, non sufficit cognovisse aliquando v. g. heri vel ante complures dies actum istum malum esse; sed necesse est, ut advertentia sit actualis; & quidem tunc, cum actio voluntatis peccaminosa committitur, aut incipit committi. Imò nemo unquam dicendus est peccare eo momento, quo non habet actualem cognitionem malitiae moralis, etsi paulò antè præcesserit. A peccato ergo excusat actualis inadvertentia malitiae in objecto: ad quem tamen effectum ut sufficiat, debet esse inculcata, seu, quod idem est, invincibilis; ut mox dicetur de ignorantia: nam & hæc huc spectat, & ad præsens propositum dici potest, carentia notitiæ in subjecto approfcire ea, in quibus humana actio consistit, &

14. Dividitur variè: sed omissis alijs divisionibus adferamus illam solam, quæ ad peccati notitiam facere potest: & est hæc, cum ignorantia alia dicitur vincibilis, alia invincibilis. Ista vocatur etiam antecedens, justa, & probabilis, estque illa, quæ ab operante vinci nequit. Illa vocatur etiam consequens, injusta, & improbabilis; estque illa, quæ ab ignorante, si sufficientem juxta negotij qualitatem adhibuisset diligentiam, vinci potuisset: & rursus alia est affectata, alia non affectata. Affectata est, cum quis dedita operâ, positivè & directè vult ignorare, idque vel ex tædio discendi, vel ut lege ignorata liberiùs peccare possit, vel excu-

satio-

fationem mereatur: & hæc ignorantia æquiparatur scientiæ, ut ex *cap. Questum. de Pœnit. & remiss.* docet Palao *tr. 2. D. 2. p. 15. n. 4.* Non-affectedata est, quæ non est directè volita, sed indirectè tantùm: & iterum una est crassa, lata & iupina, ad quam vincendam nulla est adhibita diligentia; altera non-crassa, ad quam vincendam aliqua, sed modica & non sufficiens, diligentia est adhibita. Sanch. *l. 1. Mor. c. 16. n. 17.* Palao *l. c.*

15. Jam verò difficultas est, quid requiratur ad hoc, ut ignorantia humanâ diligentia vinci possit? Aliqui cum Valent. *T. 2. D. 6. q. 6. coroll. 6.* dicunt, sufficere virtua-lem seu interpretativam cognitionem operis, qualem esse ajunt in illo, qui, licet nullam penitus cognitionem actualem de malitia objecti habeat, obligatus tamen erat habere. Et est hæc communis persuasio plebis, existimantis, eum, qui, licet nullam ne minimam actualem & expressam cognitionem, nec suspicionem, scrupulum aut dubitationem de malitia objecti habeat, opus tamen alioqui prohibitum facit, peccare: quia, inquit, eam prohibitionem potuit, & debuit scire, & tamen nescivit.

16. Sed omnino tanquam verum, tenendum est, non sufficere illam obligationem, sed necessarium esse, ut adsit aliqua actualis cognitio, dubitatio, aut scrupulus de tali obligatione. Sanch. *n. 21.* Palao *n. 5.* Dian. *p. 4. tr. 4. R. 36.* Sanchius *in select. D. 19. n. 1.* omne enim liberum exercitium voluntatis dependet à cognitione: ergo nisi præcedat aliqua actualis notitia de obligatione sciendi, nemo potest ignorantiam liberè deponere, aut retinere. Nam qui actualiter ne

suspicitur quidem de lege vel malo, habet se non tanquam vigilans, sed quasi plene dormiens respectu legis; non enim vigilat mens circa aliquid, de quo saltem suspicionem aliquam à longè, vel consulam notitiam non habet. Certum autem est, eum, qui dormit, verè non esse liberum in suis actionibus; & ideo non potest esse in libera voluntatis potestate, veritatem investigare, aut omittere investigationem, si nihil ipsi de tali obligatione occurrat.

17. Si ergo homo, postquam saltem consulam cognitionem de obligatione depellendæ ignorantia acquisivit, facit, quantum est in se, ut eam depellat, excusatus est, ita ut, si post adhibitam ejusmodi diligentiam adhuc veritatem non cognoscat, censeatur laborare ignorantia invincibili. Cùm autem dicitur, hominem debere facere, quantum est in se, non est sensus, eum debere per totum mundum discurrere, ut consulat omnes doctos, orare, jejunare &c. etsi enim hæc omnia, quantum est in se, possit facere, nimis tamen grave foret, eum ad hæc obligare. Sensus ergo est, adhibendam esse eam diligentiam, quæ sufficiat ad probabile judicium de ea re formandum: talis autem erit, si dubitans, an contractus, quem celebrare cogitat, sit usurarius, consulat duos vel tres viros doctos, nullâ malè consulendi suspicione laborantes: hi enim, si negent, tutus erit; sufficit enim eorum dictum ad formandum judicium probabile. Item talis erit, si rusticus dubitans, an hodiernus dies sit jejunii, interroget Parochum, aut Concionatorem, vel unam alteramve personam doctam, quæ id scire debe-

rent

rent: & sic in aliis materiis. Hoc tamen addendum est, juxta diversitatem materiæ, personæ, aut officii diversam esse diligentiam. Unde si ipse sis doctus, ipse quoque sufficiens studium adhibere debes; etsi enim aliqui excusentur, si alios consulant, non tamen omnes; rusticus enim consulens Parochum, excusabitur; vir tamen urbanus non semper excusabitur.

18. Ceterum utraque hæc ignorantia alia est Juris, vel communis, vel particularis; alia facti. Illa contingit, cum lex ignoratur, ut si quis nesciat, die festo audiendum esse Sacrum, in Vigilia alicujus Sancti jejunandum; percussione Clerici specialiter ab Ecclesia esse prohibitam. &c. Ista verò contingit, quando adest quidem notitia legis, sed factum ignoratur; ut si quis nesciat, hunc diem esse festum, Vigiliam Sancti, eum, quem percutit, esse Clericum &c. Jam verò ignorantia invincibilis, seu juris illa sit seu facti, excusat ab omni peccato, quantumvis alioqui opus, quod fit, grave sit, & DEI legi contrarium. At ignorantia, quæ vincibilis est, non excusat à peccato. Et ratio est, quia illa tollit voluntarium, non ista. Hinc autem breviter

19. Patet, quàm frustra se illi crucient, qui, postquam ex libro vel concione &c. intellexerunt, actionem illam, quam olim in adolescentia exercuerunt v.g. pollutionem ex genere suo esse illicitam, putant, se reos peccati esse, etsi tunc, cum eam actionem exercuerunt, nulla ipsis, ne tenuissima de malitia morali cogitatio, suspicio, aut dubitatio inciderit: licet enim, si tunc talis cogitatio in mente fuisset, utique fuissent peccaturi, cognitio

tamen postea acquisita nullo modo facit, ut opus illud jam pridem peractum, quoad id, quod fuit ignoratum, fuerit voluntarium, atque adeo ad culpam imputandum.

20. III. Ad peccatum constituendum non satis est, advertere ad ipsum actum materiale, vel ad ejus delectationem, aut utilitatem &c. sed necesse est, ut habeatur aliqua ipsius malitiæ, seu inhonestatis moralis (quòd scilicet peccatum, seu malum sit contra rectam rationem vel DEUM) cognitio; aliqua, inquam, quæ sit saltem dubitatio, aut suspicio alicujus mali, periculi, vel obligationis: quæ positâ possit quis ac debeat saltem veritatem inquirere. Hinc si malè loquaris de altero, vel famæ alienæ detrahas, non est satis, quòd advertas, te malè de altero loqui, & nocere eidem; sed necesse est, ut hoc ipsum repræsentetur tibi formaliter ut peccatum, seu morale malum contra legem vel DEI, vel rectæ rationis. Sic cum bibendo sensim te inebrias, non est satis, quòd advertas te bibere, vinumque esse dulce, forte &c. sed necesse est, ut advertas rationem peccati in potu. Similiter si phantasia inhonestum quid volvat, aut potentiæ externæ operentur, atque etiam in appetitu sensitivo delectatio exciteretur, ipse tamen intellectus non advertat aliquo modo malitiam, vel periculum ejus in illo actu, vacabit omni culpa, quantumvis longo tempore duret; & inconsideratio, quoad excusandum à culpa, censetur omnino naturalis. Sic etiam, ut dicaris peccare contra præceptum v.g. jejunii, non est satis, quòd advertas, te comedere carnes, nihil interim cogitans, aut advertens de obligatione ab

is abstinendi, sed necesse est, ut advertas, eam comestionem esse illicitam seu prohibitam. Reginald. l.ii. c.7. n.32. & cap.5. n.46. & alii.

21. IV. Specifica malitia necessario est cognoscenda: cujus ratio sumitur ex fundamento sæpius allegato; quod nimirum nihil volitum, nisi præcognitum. Unde nec specialis malitia cuiquam poterit imputari, nisi præcognita. Hæc regula difertè quidem ab auctoribus non traditur, videntur tamen eam supponere, cum in casibus specialibus eam insinuent. Certè, ut omittam alios, S. Thomas 1. 2. q.72. a.9. generatim docet, nullam circumstantiam addere novam malitiam, nisi præcognoscatur, si quis ergo non cognoverit specialem aliquam malitiam in objecto latentem, aut non cogitaverit de illa, eam non contrahet, licet alioqui peccet. Hinc, si in uno actu plures reperiantur malitiæ, intellectus autem tantum unam cognoscat, tunc reliquæ, quæ menti non fuerunt objectæ, non imputantur: sic qui rem, quam scit quidem esse alienam, nescit tamen esse Sacram, surripit, tantum simplicis furti reus est: qui hominem, quem nescit esse Clericum vel patrem, percutit, solum contra iustitiam peccat; peccaturus alioquin etiam contra Religionem, vel Pietatem, seu reverentiam parentibus debitam, si eas circumstantias cognovisset. Item qui fornicatur cum muliere, quam nescit esse conjugatam, admittit quidem peccatum luxuriæ, sed non adulterii. Et sic de reliquis. Bonac. de peccat. D. 2. q.7. p.3. n.9. & de Matrim. q.4. p.7. n.6. Sanch. l.1. Mor. c.16. n.10.

22. Nihilominus tamen non est opus
R. P. Stoer, Trib, Penit.

ram explicita cognitione speciei, ut sciatur, ad quodnam vitium pertineat, vel cui virtuti opponatur, (nec enim Confessarii vel Theologi id semper sciunt) sed satis est confuse intelligere, esse peccatum à cæteris distinctum per peculiare objectum, & diversam malitiam, sicut omnes sciunt, adulterium esse peccatum aliud, quàm simplicem fornicationem, quia nempe cum conjugata committitur, licet nesciant, quod duabus virtutibus repugnet, nempe Justitiæ & temperantiæ; imò si mulier ad peccandum sit illecta, etiam charitati. Neque alia expressio specierum requiritur, quàm ut narretur factum cum suo objecto & circumstantiis; neque enim necesse est dicere, se peccasse contra Justitiam & Temperantiam: alia est ratio de scandalo; hoc enim non est perpetuò connexum cum adulterio.

23. V. Nemo peccat mortaliter, nisi qui distinctè & determinatè advertit malitiam gravem ac mortalem, vel periculum ejus. Hinc, qui solum advertit in objecto malitiam in genere, confuse & indeterminatè, non distinguens, an sit mortalis vel venialis tantum, non peccat mortaliter, etsi res alioqui in se gravis sit. Reginald. l.13. c.8. s.1. n.70. Tann. T.2. D.2. q.6. d.2. n.24. Bresser. l.5. c.20. n.205. Dian. p.1. tr.7. R.24. & p.3. tr.4. R.162. & p.5. tr.5. R.31. & alii. Ratio est, tum quia operans ex cognitione malitiæ in communi præsumitur se virtualiter & interpretativè ad partem mitiorem determinare, cum hinc agatur de re admodum odiosa, & juxta regulam juris odiosa sunt restringenda: tum quia ubi non agnoscitur culpa mortalis, non potest

Xx

potest

potest imputari voluntati, hinc autem ex hypothefi nulla mortalis culpa agnofcitur: tum quia duriffimum videtur, hominem cum tali cognitione jocose tantum & leviffimè mentientem peccare mortaliter, & pœnas æternas mereri, cum nullam de peccato mortali habuerit cognitionem, vel fufpicionem. Quodfi verò cum ejusmodi cognitione malitiæ in communi conjunctus fit aliquis ferupulus vel dubitatio de latente malitia gravi, tum qui ex ea notitia operatur, à culpa lethali non erit immunis propter periculum peccandi graviter præcognitum; nemo enim peccat propter periculum, nifi id & prævideat, & fine jufta caufa eidem fe exponat. Ceterum hæc regula potiffimum in indoctis, rudibus, & incultis v.g. rufficis, mulierculis, pueris, præcipuè iis, qui funt in confinio perfectæ rationis, & fimilibus habet locum: at verò in hominibus cultis & doctioribus vix unquam eft tam imperfecta malitiæ advertentia, ut non difcernat, gravisne ea fit, an levis: vel faltem, ut nulla occurrat cogitatio de obligatione examinandi, utrum id, quod agunt, mortale fit vel veniale. Quodfi tamen revera & in his quandoque detur tam confufa, quam dixi, malitiæ confideratio (certè dari poffe, non dubito: neque enim fapiens femper fapit, præfertim in fubitis cafibus, in quibus & ifti non femper ad prædictam obligationem advertere folent) nec ipfi gravioris, quam venialis culpæ condemnandi funt.

24. Neque ex dictis fequitur, innumeros à peccatis mortalibus excufari; plerique enim, cum operantur, apprehendunt malitiam tantum in communi. Hoc

enim etfi quibusdam videatur absurdum, oprandum tamen potius videtur; cum DEUS per hoc minus offendi videatur. Neque frenum laxat fccleribus hæc fententia; qui agit de cafibus, in quibus datur ignorantia & inconfideratio invincibilis. Præterquam quod raro contingat, ut malitia ita abstractè proponatur: verofimillimum enim eft, hominem non omnino ftupidum, quamprimùm ipfi occurrit, opus, quod molitur, effe malum, fimul etiam apprehendere, id effe grave, & valde indecens, ac repugnans prohibitori, vel leve; vel faltem dubio, aut ferupulo de gravitate & levitate malitiæ tangi; etfi inter mortale & veniale non ita difcernat, ut his vocibus fignificantur; hoc enim non eft neceffe: fufficit enim, fi fub æquivalentibus terminis apprehendantur. Unde etiam raro fequitur ea excufatio.

25. VI. Si quis in actu advertat malitiam tantum levem & venialem, peccat tantum venialiter; etfi alioqui res in fe gravis fit & mortalis: non enim gravior culpa contrahi poteft, quam cognofcatur.

26. VII. Non admittitur peccatum mortale, nifi adfit plena & perfecta confideratio feu advertentia malitiæ gravis: fi enim adfit advertentia femiplena tantum, ac imperfecta, veniale tantum peccatum conftitui poteft qualifcunque demum fit materia, etiam fecundum fe graviffima, Bonac. n. 3. & alii: fi enim qualibet advertentia fufficeret ad mortale, nimis ardua & difficilis videretur ad cælum via, nec Chrifti jugum tam fuave ac leve diceretur.

27. VIII. Quænam autem advertentia

tia malitiæ dicenda sit plena, quæ semiplena, haud facile est explicare. Communis & obvia resolutio est, tunc dari plenam advertentiam, quando clarè & expressè cognoscitur malitia objecti, vel saltem periculum malitiæ: semiplenam verò, quando malitia objecti, vel periculum malitiæ cognoscitur obscurè, & quasi tenebris involutum; ad eum fere modum, quo ij, qui nondum à somno plenè ac perfectè excitati sunt, cognoscunt; vel qui dubia jam luce nòrunt quidem id, quod eminus vident, animal esse, non tamen discernere possunt, quale illud sit, bos, an equus? potest enim etiam in perfecta vigilia cogitatio malitiæ tam tenuis esse, ut æquivaleret illi, quam semidormientes v. g. habere solent: quæ proinde ad peccatum mortale non sufficit. Ita fere explicat Sanch. *l. 1. Mor. c. 1. n. 10.* Causa verò, cur homo, pessimam aliqui exercens actionem, non attendat plenè ad malitiam objecti, fere duplex est. I. est, quia animus ad alias res est distractus; quò enim quis pluribus est intentus, eò minor est ad singula sensus. II. est, quia animus subinde vehementi aliqua passione v. g. iræ, tristitiæ, timoris commovetur, ita ut abripiatur cognitione solius utilitatis vel damni, commoditatis vel incommoditatis, hoc est, honoris vel contemptus, voluptatis vel molestiæ, quam ex suo opere percipit. Quæ sanè facere possunt, ut homo valde tenuiter ad operis malitiam, seu moralem inhonestatem, vel periculum ejus attendat. Quo proinde casu vel nullum committitur peccatum (si nimirum ratio penitus absorbeatur, ut nulla adsit advertentia malitiæ, vel periculi ejus) vel

solum veniale, quando scilicet ratio non omnino absorbetur, sed perturbatur tamen ita, ut obscurè & imperfectè tantum ad malitiam, ve ejus periculum attendat. Unde fit, ut aliquis malum illud possit quidem simpliciter excutere, sed tamen non ita facilè, propterea quòd nondum plenè cernat, in quoniam, aut quali motu hæreat.

28. IX. Ad peccatum mortale constituendum non sufficit scire, quòd graviter repugnet rectæ rationi, sed insuper requiritur, ut specialiter sciatur, id à DEO prohibitum esse. Less. *l. 13. de perfect. Divinis. c. 26.* Coninch. *de virtut. D. 32. d. 5. n. 39.* Lugo *de Incarn. D. 5. f. 5. à n. 74. & alij.* Ratio est: tum quia SS. PP. peccatum mortale definiunt, explicant, & exaggerant ex eo, quòd potissimum fit contra legem DEI prohibentis: tum quia peccatum illud, quòd non continet formalem offensam DEI, non est mortale Theologicè; sed peccatum, quòd non est contra legem seu prohibitionem DEI, non continet formalem offensam DEI: fere sicut Princeps aliquis non potest rationaliter offendi factò alicujus sui subditi, si id factum non prohibuerit.

29. X. Ad peccatum mortale non sufficit scire, id graviter non repugnare rectæ rationi, sed requiritur, ut, dum committitur, sciatur, sive occurrat, id esse gravem DEI offensam. Less. Lugo. *ll. ce. Bellarm. l. 4. de Rom. Pontif. & alij.* Ratio est; quia si homo non cognoscit, DEUM offendi, & quidem graviter, tunc offensà gravem non est illi voluntaria, neque malitia offensæ formalis in ipso actu reperietur; ergo non poterit illi ad culpam imputari: quod si verò ratio of-

P. 1
 1116
 Poen

fensæ formalis DEI non reperitur in actu, non erit peccatum Theologicum, ergo nec mortale, licet fiat cum advertentia, quod sit contra naturam rationalem. Theologi enim peccatum longè aliter considerant, quàm Philosophi morales: isti enim considerant peccatum, prout dicit oppositionem cum natura rationali, seu dictamine rationis, seu, ut alij loquuntur, cum republica rationali: illi verò, prout dicit oppositionem cum dictamine Divino, vel cum DEO republicæ rationalis capite. Et hinc factum est, ut duplex in peccato distingueretur malitia; una Philosophica, illa nempe, quæ est contra naturam rationalem: altera Theologica, illa scilicet, quæ desumitur ex oppositione cum Divina Majestate, & alio nomine formalisimè dicitur *offensa DEI*, quia injuria & offensa DEI nihil aliud est, quàm voluntaria oppositio cum ejus præceptis. Et in hac consideratione sermo est de peccato, cum quæritur, an ad hoc, ut contrahatur, requiratur cognitio repræsentans, illo offendi DEUM, & quidem graviter. Et prærequiri, etiam Christus ipse *Luce 12.* satis indicavit: servus, inquit, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Ex his enim satis apertè constat, peccatum commissum sine advertentia, DEUM illo graviter offendi, non mereri poenam æternam, atque adeo nec mortale esse in sensu Theologico.

30. Non est autem facilè existimandum, hominem Christianum, præsertim bene instructum & excultum, in suis

operibus tam incurium esse, ut, si incidat ipsi, ea rectæ rationi repugnare, non statim incidat, eadem etiam DEO repugnare, & displicere. Hoc enim à puero docemur: quæ autem aliquis assuevit certo modo apprehendere, nunquam aliter, nisi de industria, apprehendit, v.g. qui assuevit Petrum apprehendere ut capillatum, vestitum &c. solem ut in celo existentem &c. nunquam apprehendet Petrum, nisi studio, sine capillis, vestibus &c. nunquam solem extra celum &c. sunt nimirum objecta quædam ita inter se connexa, ut unum non cogitemus sine alio, nec species unius excitentur, quin alterius quoque species excitentur. Et ideo longè facilius est, hominem Christianum omnino non advertere malitiam in suis actibus, quàm advertere repugnantiam in iisdem cum recta ratione, sine advertentia repugnantia ad DEUM. Quod si tamen daretur casus, quo homo Christianus; aut quisvis alius invincibiliter ignoraret, vel non adverteret, DEUM à se offendi, omnino concedendum esset, talem verè non peccare mortaliter, neque idcirco poena æternâ dignum esse.

ARTICULUS II.

Regula conscientiam dirigendi ex parte voluntatis.

31. Regula 1. Ad peccatum constituendum non sufficit sola, quantumvis alioqui plena sit & perfecta, notitia malitiæ: alioquin ipse etiam DEUS omnium peccatorum reus erit, ut qui exactissimè nôrit cujusque peccati malitiam: sed præterea necessarium est, ut actus sit volun-

voluntarius, id est, ut ad intellectus considerationem accedat liber consensus voluntatis, qui in proposito sumitur pro concordia voluntatis cum iudicio, seu cum cognitione intellectus in eodem homine; estque liber ejusdem voluntatis actus, quo ipsa sibi complacet in objecto, seu quo amplectitur objectum, quod sibi est ab intellectu propositum: cui ex adverso respondet *dissensus*, qui est liber voluntatis actus, quo ipsa in eo, quod intellectus proposuit, displicet, illudque respuit, seu improbat.

32. Hinc cum advertimus, nos male agere hoc vel illud cogitando, dicendo, faciendo, omittendo, & nihilominus non abstinemus, sed scientes & volentes objectum malum, quod proponimus, prosequimur, dicimur tentationi succumbere, consentire, & malum patrare vel continuare, sive cogitando, sive loquendo, sive faciendo, sive omittendo: hoc enim est actum esse voluntarium. Contra vero cum advertentes malitiam objecti voluntatem retinemus, ne consentiat, seu amplectatur, quod est peccatum aut peccati causa, dicimur resistere tentationi: quod est actum non esse voluntarium & deliberatum; ut contingit, eum occurrente occasione peccandi v. g. contra castitatem, voluntas interior quasi dicit: *Non; non volo; nolo hoc vel illud phantasma diutius retinere; nolo illum impurum librum legere; nolo illam turpem imaginem aspicere; multo minus opus patrare; nolo ista, qua cogor audire, delectari, aut consentire &c.* ubi enim voluntas ita repugnat, non potest esse voluntarium, consequenter nec peccatum, praesertim mortale. Posset forte esse ve-

niale ob negligentiam aliquam aut tarditatem in resistendo, aut rejiciendo, mentemque ad alia avertendo. Negligentiam vero in resistendo alicui tentationi committit is, qui animadvertens se ad aliquid illicitum incitari, protinus quidem illud conatur repellere, & non consentit, languidè tamen repellit, & quasi auscultat, seu, ut dicunt, una manu repellit, altera retinet. Et haec negligentia est peccatum veniale, de quacunque re, sive gravi sive levi sit tentatio: quia non ad est plenus consensus in peccatum. Et sane magnam DEI bonitatem non videtur decere, ut homo propter huiusmodi consensum imperfectum puniatur aeterna poena. Alioqui si quis statim excutiat cogitationem malam, perinde ut excuti solet scintilla, aut carbo è fornace in vestem emissus, est actus virtutis & meritorius. Quod si quis dicat, se non posse statim eam cogitationem excutere, is non angatur; nam id est statim excutere, & rejicere, quando voluntas, statim atque advertit, repugnat, & velut dicit: *non volo &c.* etsi cogitatio illa aut imaginatio forte durer ad longum tempus: & licet milies recurat, modò toties voluntas repugnet, & repellat.

33. II. Est autem consensus voluntatis alius formalis, alius virtualis, alius interpretativus. Formalis est, cum quis expresso & positivo actu sibi in eo, quod intellectus proposuit, complacet; ut: cum quis expressè vult castitatem v. g. quam novit sibi esse convenientem. Virtualis est, qui ex natura sua includitur in aliquo consensu formali, ut accidit, quando duo vel plura inter se sunt connexa, ita ut unoposito ponatur etiam alterum,

rum, idque vel ex natura, vel ex institutione, seu divinâ seu humanâ: tunc enim hoc ipso, quod uni adhibeatur consensus formalis, virtute quoque censetur alteri, quod cum illo connexum est, adhiberi. Sic qui vult expressè Sacrum ordinem v. g. Subdiaconatûs, virtute quoque vult castitatem ei ex institutione Ecclesiæ annexam: sic qui vult ebrietatem, virtute vult etiam ea, quæ novit cum ebrietate esse conjuncta &c. Solet subinde virtualis consensus vocari ipsemet consensus formalis præteritus, non retractatus, sed adhuc virtualiter perseverans: de qua virtuali permanentia non est, quod præter ea, quæ supra p. 3. n. 389. dicta sunt, hoc loco plura addantur. Consensus interpretativus (quem & tacitum aliqui vocant) est, cum quis circa illud objectum, quod ab intellectu proponitur, dissentum elicere teneretur (ut teneri censetur, cum ratio advertit, illud esse malum) non tamen elicit, sed negativè se habet, id est, cohibet se tam à dissentu, quàm consensu.

34. Eodem modo & dissentus vel est formalis, ut is, quo quis expressè respuit cælibatum; vel virtualis, ut is, quo quis respuit cælibatum; hoc ipso enim censetur etiam Sacros ordines respuere: vel interpretativus, qualis est, cum quis tenetur consentire, consensum tamen non elicit, sed suspendit; ut cum quis sciens suscipit Baptismum, neque volendo, neque nolendo suscipere, sed permissivè se habendo: cum enim teneatur consentire in eam susceptionem, & tamen omittat, censetur habere dissentum interpretativum.

35. Rursus consensus alius est plenus & perfectus: alius semiplenus, & im-

perfectus. Ille est, qui supponit plenam vel perfectam notitiam de objecto, cui consentitur: iste est, qui procedit ex semiplena & imperfecta notitia de objecto, cui assensus præstatur. Sed enim jam

36. III. Difficultas est, quibus indicis cognosci possit, voluntatem cum plena advertentia operatam esse: sæpe enim accidit, ut teneræ conscientiæ, quando ijs blasphemiam contra DEUM, dubia contra fidem, vel turpia objecta inciderunt, miserum in modum angantur, an voluntariè & deliberatè in hæc consenserint & peccarint mortaliter. Equidem difficilimum id est iudicatu, & propè extra humanam facultatem. Nihilominus tamen ex quibusdam præsumptionibus indicia seu conjecturæ sumi possunt, quibus id utcunque deprehendi potest.

I. Igitur indicium, ex quo quis vel de propria vel aliena conscientia iudicare possit, an deliberatè consenserit, est ipsius materiæ conditio: si enim hæc gravis fuerit, & tali hominum generi communiter nota, præsumitur, ejus gravitatem satis fuisse cognitam; nisi aliæ conjecturæ (qualis præsertim est secundum indicium) contrarium suadeant. Ita Confessarij communiter iudicant mortale, vel veniale pro qualitate materiæ, non inquirentes, quid pœnitentes cogitarent inter peccandum, an putarent esse mortale vel veniale: hoc enim esset nimis operosum, & anxium.

37. II. Est conditio operantis, seu qualitas conscientiæ, circa quam præcipuè attendendum est ad communiter accidit: ex his enim efficacissima desumitur præsumptio. Unde si vir sit bonus, & timorata conscientia, & firmo pro-

proposito potius moriendi, quam DEUM graviter offendendi roboratus, potest, si dubitet, num plenè consenserit, meritò præsumere, se cum plena deliberatione non peccasse, sed ex quadam indeliberata subreptione, atque adeo vel omnino non, vel solùm venialiter. Secus est de iis, qui sunt conscientia & vitæ deperditæ: hi enim cum peccatum velut aquam bibant, & quasi per risum operentur scelus, præsumere possunt, se, si dubium aliquod suboriatur, plenè consensisse: hi enim nullo peccati dubio premerentur, si perfectum consensum non præbuisent. Similiter si quis sciat, se solere communiter resistere tentationi, quando perfectam illius notitiam habet, & ei vel rarò vel nunquam succumbere, potest in dubio præsumere, se non consensisse perfectè. Bonac. *de peccat. D. 2. q. 2. p. 3. n. 19. Sanch. l. 1. c. 16. n. 17. Reginald. l. 15. n. 76. & alii.*

38. III. Est status ejusdem operantis, seu dispositio ad deliberandum requisita: v. g. cum quisita animadvertit, aliquid esse malum, sicut illi, qui nondum plenè ex somno excitari advertunt malitiam pollutionis v. g. illis contingenti, est consideratio, quæ ad peccatum mortale non sufficit. Sanch. *l. 1. c. 1. n. 20.* Nam ut semidormientibus est imperfectum rationis iudicium, sic sæpe ut etiam Navar. *in Man. prælud. 9. n. 10.* & ex eo Tann. *T. 2. D. 4. q. 5. d. 5. n. 102.* notat, in hominibus quoque vigilantibus est tale iudicium circa malum, quando v. g. intellectus aliò trahitur, vel passionibus ita turbatur, ut tenete valde lumen rationis existat ad discernendam peccati malitiam. Unde accidere potest,

ut quis vel sibi, vel alteri mortem inferat sine peccato mortali, si nempe præ repentino iræ impetu, vel enormi tristitia malitiam peccati non advertat.

39. IV. Est testimonium propriæ conscientia: nam experimentalis quidam sensus, seu naturaliter, seu divinitus cui libet fere dictat, num plenè deliberatè consenserit, nec ne; nisi anxia scrupulositas obnubilet intellectum.

40. V. Est à posteriori, id est, ex dubio statim enato: qui enim mox post factum dubitat, an deliberatè consenserit, vel facti eum statim pœnitet, probabiliter iudicare potest, se non consensisse; nam tanta est malitia peccati mortalis, ut in recenti facilè agnoscat, nec soleat animus, à DEO tam aversus, tam subito pœnitentiam habere.

41. VI. Desumitur ex defectu ætatis: ut si septennium nondum attigisti: tunc enim si dubites de plena libertate & consensu, meritò præsumere potes, eum defuisse: nisi fortè (ut contingere potest) malitia suppleat ætatem, ut colligitur *ex cap. juvenis. de sponsal.* Idem est, si dubites, an perfectè à somno fueris excitatus, aut ebrietatem depuleris: hæc enim, si plena sint, tollunt omnino libertatem, aut saltem minuunt, si non sint plena: & quæ cum plena advertentia fiunt, facilè cognoscuntur, esse facta ratione plenè advertente: solet enim plena deliberatio relinquere sui memoriam, secus quàm imperfecta: ut experiuntur somniantes. Sanch. *n. 20. Bonac. n. 19. Palaus tr. 1. D. 3. p. 11. & tr. 2. D. 2. p. 6.*

42. VII. Est, si possis exequi peccatum, illudque, cum tui compos es, non exequa-

exequaris, præsumere potes, consensum vel non fuisse plenum, vel omnino etiam nullum: quia nimirum alioqui potentia executrix obediret voluntati, & exequeretur. Sanch. n. 17. Bonac. l. c. Palus dicto p. 6. n. 5. Reginald. l. II. c. 5. n. 51. & l. 15. c. ult. n. 76.

43. VIII. Postquam motus pravus surrexit, & mox, ut mens advertit, eum esse malum, voluntas conata est eum repellere, signum est, aut nullum, aut imperfectum tantum consensum esse præstitum: ut, si quis distractus post aliquam in illicitæ rei cogitatione moram ad se revertitur, plenèque ad malitiam attendens, sentit se, si priùs tali modo agnovisset, non fuisse assensurum. Et hoc locum habet maximè in iis, qui firmum & sæpe repetitum propositum habent, nunquam peccandi mortaliter: illa enim, quæ multoties odio habentur, facillè cognoscuntur, si plenè fuerint amata. Reginald. dicto n. 76. Palus cit. p. 6. Sanch. n. 18.

44. IX. Est: non est indicium sufficiens consensûs plenè præstiti sola delectationis perseverantia, etiam post plenam advertentiã. Hinc multæ negligentia, etiam post plenam considerationem admittæ excusari possunt à peccato mortali, maximè in iis, qui ita dispositi sunt, ut potiùs mori malint, quàm DEUM etiam vel leviter offendere, Sanch. n. 19.

45. Hæ sunt conjecturæ, quæ, etsi non sint inanes, ut ex iis utcumque dignosci possit, fueritne consensus plenus, vel semiplenus tantum; veritatem tamen non omnino ostendunt, sed faciunt tantum opinionem probabilem, & ideo

sufficiunt ad ferendum iudicium, peccatum grave non esse commissum, & consequenter nec esse obligationem confitendi, de quo quis dubitat, num ei plenè consenserit, necne. Sed jam revertamur ad regulas Conscientiæ directivas ex parte voluntatis. Sit igitur

46. Regula IV. ad rationem peccati sufficit consensus virtualis, & interpretativus: uterque enim etiam sufficit ad rationem voluntarii. Bonac. n. 16. Reginald. l. II. n. 43. Et ideo peccat, qui, cum advertat, se inter orandum mente ad alia esse distractum, & facillè etiam possit ab iis animum avertere, non tamen avertit: item qui advertens in se motum illicitum, etsi ei non consentiat, non tamen etiam dissentit, id est, non reprimat, nolendo, cum possit & teneatur (ut si versetur in probabili periculo consensûs) tunc enim amans periculum peribit in illo; id autem est interpretativè consentire. Similiter qui advertens turpes cogitationes, non quidem vult seu approbat positivè (id enim clara esset culpa) sed tamen etiam non resistit positivè (cum facillè possit & teneatur) atque adeo negativè se habet, interpretativè consentit, & peccat: sic nimirum & is, qui, si advertat in suis vestibus scintillam, eam (cum facillimè possit) non excutiat, censetur interpretativè velle suarum vestium adustionem.

47. Ceterùm ad consensum virtuales, illum scilicet, quo quis aliquid vult non in se, sed in quodam alio, velut in sua causa, hæc fere requiruntur. I. ut ea causa habeat aliquam cum effectu connexionem, eamque non merè per accidens, sed talem, vi cuius ea per se notabiliter

tabiliter & efficaciter in effectum influat; certe nisi causa ejusmodi sit, non potest dici effectus ex vi illius esse secutus. Causa verò non est censenda efficax, quæ, dum præsens est, non trahit secum effectum: Unde etsi hic postea, etiam causâ jam ablatâ, sequatur, non potest amplius ei causâ, consequenter nec ponenti eam causam adscribi, ut voluntarius. II, ut cognoscatur talis connexio inter causam & effectum, & hunc ex illa, tanquam ex objecto voluto, secuturum: si enim hoc non advertas, profectò effectus inde secutus non potest dici vel esse tibi voluntarius. Palaus *tr. 3. D. 1. p. 1. n. 2.* Sanch. *li. 6. 16. n. 44. & alii.* III. ut causa re ipsa ponatur, neque sit ulla justa ratio excusans ab ea causæ positione: ex justa enim & rationabili causa non est illicitum aliquid ponere, ex quo prævideatur secuturus malus effectus; dummodo vel non intendatur, vel absit periculum consensûs, vel saltem, si hoc periculum adsit, animus quoque resolutus ac determinatus adsit de consensu non præstando. Et ideo actiones alioqui in se honestæ, necessariæ ex præcepto, vel etiam tantum utiles ad finem bonum consequendum, non sunt omittendæ, licet ex iis prævideatur secuturus effectus malus: neque imputariis poterit ad culpam, cum, ut pono, neque in se sit intentus & voluntarius; neque in causa, utpote quæ vel non habeat efficacem influxum in effectum; vel justè, ac rationabiliter sit posita, cum proposito tamen firmo non consentiendi. IV. Causa; in qua aliquid tanquam in objecto volumus (quod vocant voluntarium indirectum; ad distinctionem voluntarii directi, quod accidit, cum aliquid imme-

R. P. Stoz Trib, Paris.

diatè & directè volumus) alia est positiva, qualis est v. g. projectio breviarii in mare; alia negativa, qualis est ommissio debite diligentæ respectu v. g. naufragii impediendi. Ut ergo effectus in sua causa seu positiva seu negativa sit voluntarius, ad mores multum refert scire, qualis & quanta sit connexio aliquam enim debere esse, jam supra diximus) inter causam & effectum, an nempe sit necessaria ac physica, vel contingens tantum: item an effectus ipse sit aliqua lege, seu divina seu naturali, seu humana tantum vel nulla, prohibitus. Hinc jam ad propositum

48. Ommissio, etiam secluso præcepto, seu obligatione faciendi id, quod omitto, est indirectè voluntaria in sua causa, ex qua sequitur; v. g. ommissio Sacri in voluntate ludendi, dormiendi &c. Vasq. *1. 2. T. 1. D. 42. c. 3. n. 7.* Valent. *T. 2. D. 2. q. 1. p. 2. ad 1.* Arriaga *T. 3. D. 8. f. 5. n. 37. & alii.* Quia non tantum actio positiva est sub dominio & libera potestate volentis, sed etiam ipsa ommissio: petinde enim est in mea potestate Sacrum, quod audire possem, si vellem, sive dies sit festus, sive profestus: non enim apparet, quare ratione ommissio sit magis in mea potestate, posito præcepto, quam sit, secluso præcepto.

49. Effectus etiam positivus, si ex causa positiva necessario sequatur, est in illa voluntarius, si sit prævisus, etsi non adsit præceptum, quo causæ illius positio prohibeatur. Arriag. *f. 6. n. 42. & alii:* quia qui vult antecedens, vult etiam, saltem virtualiter, consequens, quod in antecedente necessario continetur: sic qui voluntariè occidit feminam gravidam, dicitur voluntariè etiam infantem occidere,

Y y

licet

licet id non intendat. Idem diceadum est, cum ex causa positiva necessariò sequitur omisio: ut si projicias breviarium in mare, omisio recitationis, necessariò secuta, est tibi voluntaria, etsi non habeas præceptum recitandi.

50. Effectus positivus contingenter tantum secutus ex causa positiva, seclusa obligatione eam causam non ponendi, non est propriè voluntarius volenti causam, nisi permissivè & valde impropiè. Palus, Arriag. *ll. cc.* Joannes Sancius in *select. D. 21. n. 5. 30. & 35.* quia qui vult causam, non dicitur velle effectum, qui cum illa causa, nec necessariam aut physicam, nec moralem (qualis est, si detur præceptum de illa causa impedienda, seu non apponenda) connexionem habet: præceptum enim effectum cum causa, cum qua alioqui per verum ac physicum influxum non connectitur, moraliter sive in ordine ad mores verè connectit.

51. Effectus, seu negativus, seu positivus, secutus ex voluntaria omisione permissivè saltem & impropiè est voluntarius in illa, licet non sit obligatio vitandi eum effectum. Arriag. *f. 5. n. 39.* & alii: quia talis omittens aliquo modo, licet minus propriè influit in effectum, removen- do nempe prohibens: qui influxus, licet non sit, ut dixi, proprius, est tamen impropius & sufficiens, qui, si accedat præceptum, fundit influxum imputativum & interpretativum. Possimus ergo, etiam secluso præcepto, eum effectum aliquo modo vocare voluntarium non impedi- enti, cum possit, si velit impedire. Sic vo- luntariè agrotare dicimus illum, qui facili medicina potest depellere morbum, & tamen non depellit; voluntariè pati tor-

menta, qui facile potest manus licetorum effugere, & non effugit; voluntariè care- re dignitate, qui eam à Rege potest petere, & petendo impetrare, non tamen petit: & alia ejusmodi, in quibus nullum erat præceptum impediendi causam.

52. Effectus contingenter secutus ex causa est voluntarius in illa, si sit obliga- tio causam illam non ponendi. Est com- munis, & à fortiori patet ex dictis. Ut autem constet, quo genere peccati pec- cet, qui poterat & debebat impedire effe- ctum, non tamen impedit, attenden- dum est, ex cujusnam virtutis præcepto teneatur impedire effectum: nam contra illam & non aliam erit illa omisio. Hinc, si in periculo naufragii præter naucleum plures possint liberare navim, id tamen sine causa negligent; solus naucleus con- tra justitiam, reliqui contra charitatem peccabunt, consequenter solus ille, non autem isti ad restitutionem obligabuntur. Laym. *ll. 1. n. 2. c. 3. n. 2.* Sed hæc modò satis.

53. Atque hoc est principium bene notandum: servit enim tum ad sedandos scrupulos, tum ad multos errores evel- lendos, & varios casus, qui occurrere pos- sunt, decidendos. Omnium autem fre- quentissimè occurrere, & angere potest pollutio, quam alii patiuntur in vigilia- dum honestæ vel licitæ actioni dant ope- ram, v. g. auditioni confessionum, studio ob concionem, lectionem &c. ador- nandam, equitationi, tactui licito &c. alii in somno, postquam in vigilia præceden- te exerceverunt tactus turpes, revolverunt cogitationes aut delectationes obscenas, instituerunt turpia colloquia, aut alias si- miles, sed inefficaces, causas apposue- runt,

runt. Hæc igitur pollutio, licet prævisa sit, culpâ vacat, si non sit intenta, & cum ratio seu intellectus sibi integrè constat, nulla de ea capiatur delectatio, neque ullus eidem præstetur consensus: ad ejus enim malitiam nihil refert; sive in somno, sive in vigilia, dum, ut modò dixi, præter intentionem, & citra consensum eveniat.

54. V. Ad peccatum mortale requiritur, plenus & perfectus consensus, vel ejus periculum, considerationi quoque plenè objectum, & consensu pleno admissum. Ad peccatum verò veniale sufficit imperfectus seu semiplenus consensus: qualis censetur adesse, cum quis constanter quidem, sed tamen tepidè ac negligenter in pravis moribus coercendis, aut malis suggestionibus repellendis se gerit: ut cum aliquantulum in ijs moratur, quasi auscultando, & aliquam sensûs delectationem obiter percipiendo.

55. VI. Primæ cogitationes, quæ homini incidunt de objecto malo ante omnem intellectûs advertentiam & voluntatis approbationem seu consensum, nullo modo possunt habere rationem peccati. Idem dicendum est de motibus appetitûs sensitivi, imaginationem consequentibus, & alioqui mortaliter pravis, v. g. libidinis, gravis iræ, vel odij &c. Hi enim motus, si rationis deliberationem præveniant, culpa omni vacant: si verò solùm plenam & perfectam considerationem præveniant, non autem semiplenam, habent culpam venialem, si tamen etiam aliquis voluntatis consensus accedat. Solent autem ij motus, seu voluntatis seu appetitûs sensitivi, qui suâ quasi celeritate hominis rationem ita præveniunt, ut eos cohibere

non sit in ejus potestate, vocari *primò primi*: illi verò, qui impediri quidem possunt, sed sub quadam tenui & imperfecta libertate (id quod accidit ob imperfectam & semiplenam cognitionem & tarditatem hominis ad singula percipienda) appellantur *secundò primi*: qui denique perfectè liberi sunt (id quod accidit, cum adest plenus voluntatis consensus) vocantur etiam *perfecti*, & si materia sit gravis, sunt peccata mortalia. Bonac. D. 2. de pecc. q. 2. p. 3. n. 1. & de matrim. q. 4. p. 7. à n. 2.

ARTICULUS III.

Aliquot alia Regula dirigendi Conscientiam generatim.

56. Regula I. ad peccatum cogitationis seu cordis communiter his fere gradibus ascenditur. I. suboritur cogitatio de objecto malo, seu illicito. II. sequitur in appetitu sensitivo delectatio. III. advertit intellectus aliquo modo ad malitiam & deliberat. IV. Præbet voluntas consensum, approbando scilicet & admittendo id, quod tanquam peccatum ab intellectu representatum est. V. Continuat delectatio appetitûs cum advertentia & consensu. Jam in tribus primis gradibus nulla adhuc reperitur ratio peccati: quartus autem facit peccatum; & quidem si advertentia fuerit plena, & malitia mortalis, consensusque itidem plenus, peccatum commissum erit mortale; si verò advertentia malitiæ mortalis fuerit semiplena, vel plena quidem, sed malitiæ tantùm venialis, erit peccatum veniale. Quintus denique gradus continuat peccatum & aggravat, non tamen facit novum.

57. II. Is non offendit, qui secundum Legislatoris mentem agit, etsi non agat secundum verba legis: sicut nec is, qui in benigniori sensu legem servat, etsi in duriore illam violet. Ratio prioris est; quia satisfacit voluntati Superioris. Ratio posterioris est, quia præcepta DEI & Ecclesiæ non sunt nobis imposita cum ea conditione, quæ tollunt omnem dulcedinem, & conscientiæ requiem. Tollerent autem, si teneremur illa sequi in rebus agendis cum dura seu nimis scrupulosa timidaque interpretatione. Unde *L. Nulla ff. de legibus*. dicitur: Nulla juris aut æquitatis benignitas patitur, ut, quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producimus ad severitatem. Hæc Reginald. *l. 13. n. 120.*

58. III. Nec DEUS saltem ordinariè, nec Ecclesia intendit suis præceptis obligare quemquam ad id, quod ipsi vix est possibile. Moraliter autem impossibile censetur, quod habet magnam difficultatem, aut sine notabili nostro incommodo, vel detrimento nequit impleri: cum Dominus *Matth. 11.* jugum suum suave dicat, & onus leve. Et sanè cum admoneamur, sentire de Domino in bonitate. *Sap. 1.* non est consentaneum, ut putemus, ipsum nobis imponere, præsertim sub pœna æternæ damnationis, quod non nisi cum maxima difficultate, aut gravi detrimento nostro præstare possumus. Reginald. *n. 121.*

59. IV. Nec DEUS, nec Ecclesia intendit suis præceptis quemquam ita obligare, ut ea implendo sit vel appareat fatuus; hoc est, præcepta tam di-

vina, quàm humana non obligant eo tempore & loco, quo illorum observatio faceret observantem ridiculum apud discretos & bonos viros, tollerétque urbanitatem & convictum seu conversationem honestam cum hominibus. Non enim foret hoc consentaneum bonitati & sapientiæ, tum DEI, tum Ecclesiæ. Reginald. *n. 122.* Cavendum tamen est, ne ex hac & præcedente regula ferentes judicium decipiamur, putando, impossibile esse, aut grave malum, quod tamen non est. Ad quod plurimum juvabit, si simus vacui ab inordinato affectu ad id, de quo judicium quaritur.

60. V. Inspirationibus divinis, ad consilia & perfectiora sequenda impellentibus, resistere, seu non obedire, non est peccatum, ne veniale quidem, per se loquendo. Unde frustra se fatigant, qui in numero talium inobedientiarum inquirendo laborant, ut eum ad Confessarium referant: & si nullam aliam materiam habeant, sunt incapaces absolutionis.

61. VI. Libertas formalis, illa scilicet, cum actus à suo principio ita procedit, ut positus omnibus ad agendum requisitis potuerit non procedere; vel cujus negotio potuit conjungi cum principio proximo adæquatè sumpto, convenit solis actibus voluntatis; quia hi soli ita à voluntate procedunt, ut etiam supposito actu primo proximo adæquato potuerint non procedere: ceterarum verò potentiarum actus non ita ab ipsidem procedunt, sed solum ex imperio voluntatis. Et ideo, si, quod sit, liberi vocentur, non habent id à propria & intrinseca libertate, sed extrinsecâ & alienâ, voluntatis imperantis eos actus: quæ proinde etiam vocari so-

let

let denominativa & imputativa. Ita habet communis sententia. Quapropter in actu exteriore v. g. largitione eleemosynarum, & interiore v. g. voluntate ipsa largiendi eleemosynam, est unica tantum bonitas suo modo indivisibilis. Sic etiam in actu exteriore v. g. occisionis, & actu interno v. g. voluntate occidendi est etiam tantum unica malitia, etiam suo modo indivisibilis. Suar. de act. hum. D. 10. s. 1. n. 8. & alij. Et hinc

62. VII. Actus internus & externus in genere moris non sunt plura peccata, aut duo bona opera, sed unum duntaxat. Suar. n. 9. Arriag. T. 3. D. 16. s. 2. n. 5. & alij: quia una actio externa non nisi ut determinata, & juxta moralem estimationem quasi informata ab interna spectat ad genus moris. Unde etiam non mirum est, quod judicentur unum quid moraliter. Hoc autem intellige de actu exteriore, qui dum fit, ita à sua potentia procedit, ut poterit non procedere, ita nimirum moderante voluntate suum imperium seu dominium, quod habet in reliquis potentias ab ipsa voluntate distinctas.

63. VIII. Etsi autem actus externus suo modo liber nihil habeat propriæ & intrinsecæ malitiæ; nihilominus tamen est de necessitate confessionis sacramentalis, ita ut nullo modo satisfaciatur, qui, postquam homicidium, fornicationem &c. perpetravit, solum dicit, se habuisse voluntatem occidendi, fornicandi &c. sed debeat clarè dicere, quod occiderit, fornicatus sit &c. hoc enim explicato satis intelligitur internus fornicandi &c. actus, seu prava voluntas fornicandi &c. Vanum autem videtur aliam hujus rei rationem quarere, quam obligationem

confitendi & satisfaciendi ex sola Christi institutione ac voluntate nobis per Ecclesiam declarata pendere. Quare si Christus voluisset, ut nunquam ex obligatione confiteremur peccatum externum, sed solum ejus affectum seu propositum, confessio esset legitima; modò non deforet contritio, & propositum emendationis. Non ergo, quia externum opus superaddit interno malitiam, obligamur id in confessione exprimere; sed quia Christus voluit, ut exterius patratum flagitium Sacerdoti panderetur. Quod si ex affectu interno pravo, ob impedimentum aliquod superveniens, opus externum non prodeat, tum ex ipsa Christi institutione & virtute Veracitatis celandum est opus externum, sed solus internus affectus est exprimendus, ne in confessione mendacium committatur.

64. IX. Qui invincibiliter ignorat, actum internum non esse peccaminosum, excusatur à malitia; cum enim Conscientia sit proxima bonitatis, & malitiæ actuum humanorum Regula, nemo potest peccare, quamdiu Conscientia prudenter dicat, id, quod agit, non esse peccatum. Sanch. l. 1. Mor. c. 16. n. 17.

65. X. Peccatum omissionis opponitur præceptis affirmativis de re aliqua facienda, v. g. de audiendo Sacro &c. & ideo dicitur prætermisio actus præcepti. Et licet videatur sonare negationem actus, semper tamen conjungitur cum actu, qui cum impletione præcepti affirmativi sit impossibilis. Et potest ejusmodi actus ad omissionem actus habere se dupliciter. I. merè concomitanter. II. ut causa omissionis, qualis non tantum est omissionis propositum, sed etiam id, ex

cujus amore vel proposito aliquid omittitur; vi enim ejusmodi rei sequitur omiffio feu transgressio legis; quæ tamen ut ad culpam imputari queat, necesse est, ut prævideatur secururâ ex opere, quod cum legis observatione consistere nequit.

66. XI. Opus, quod cum impletione præcepti conjungi non potest, si sit causa omiffionis peccaminosæ, est peccatum. *Fill. tr. 21. c. 7. n. 266. Arriag. D. 45. f. 1. subf. 3. n. 7. & alij.* Ratio est, quia actio, quæ est causa peccati, peccatum est: sed actio, quæ est causa omittendi præceptum, est causa peccati. Dico autem omiffionis peccaminosæ: si enim cum præcepto, quod omittitur, concurrat aliud præceptum, quod vel verè majus est, vel hîc & nunc majus judicatur, tunc præcepti, quod vel minus est, vel minus esse videtur, obligatio cessat, & consequenter sicut illius omiffio non est peccaminosa, ita neque actio illius causativa ullam ex ea contrahit malitiam, cum nulli præcepto adversetur. Quænam autem lex prævaleat alteri, æstimandum est tum ex materia, tum ex virtutibus, quibus adjungitur. Nam leges naturales, & negativæ prævalent positivis & affirmativis, divinæ humanis &c. Hinc qui infirmo inseruit, & idcirco die festo Sacrum omittit, excusatur à peccato, quia præceptum custodiendi infirmos in necessitate constitutos est naturale: præceptum verò audiendæ Missæ est humanum & Ecclesiasticum, illud autem isto majus est.

67. Illud verò hîc obiter advertendum est, omiffionem actûs præcepti non esse malam, si causa illius non sit libera: si enim actiones causantes omiffionem præcepti non sint liberæ, tunc omiffio ne

indirectè quidem & in sua causa est libera, & consequenter nec peccaminosa. Hinc qui domi violentè detentus die festo Sacrum non audiret, excusaretur à peccato: sicut & is, qui naturali somno correptus, toto tempore, quo præceptum impleri posset & deberet, dormiret.

68. XII. Opus impossibile cum præcepto, si non est causa omiffionis, sed merè concomitanter se habet ad omiffionem, seu assumitur ex suppositione omiffionis jam aliunde existentis, nihil malitiæ contrahit ex omiffione, sed est, & manet tale, quale est in se. *Fill. n. 267. Arriag. subf. 1. n. 2. Lugo de pœn. D. 16. f. 11. n. 479.* quia ab hujusmodi actionibus omiffio non pendet: etsi enim ea non essent, adhuc sequeretur omiffio. Et sanè, quod notat Bonac. *de peccat. D. 2. q. 4. p. 4. n. 15.* tempore omiffionis melius est studere, vel orare, quàm esse otiosum: imò fieri potest, ut, si præceptum obliget tantum sub veniali, ejusmodi actus v. g. studium eo tempore omiffionis sit meritorium vitæ æternæ.

69. XIII. Actiones, quæ sunt causa omiffionis, sunt ejusdem malitiæ, cujus est ipsa omiffio. *Fill. n. 270. Arriag. subf. 3. n. 7. & alij.* quia causa illa se habet ad omiffionem, sicut voluntas committendi ad commissionem; voluntas autem committendi v. g. furtum, est ejusdem cum furto speciei; ergo & causa omiffionis cum omiffione. Hinc in confessione factis est dicere ipsam omiffionem v. g. Sacri, tacito actu v. g. lusûs, cujus amore omiffum est sacrum. Excipiendæ autem hîc sunt actiones, quæ cum causent omiffionem, habent propriam malitiam ab omiffione prorsus independentem, hæc enim

enim utique (specialiter erunt explicanda. Et idcirco ille, qui ut fornicari, furari &c. possit, omittit Sacrum, non satisfacit dicendo, se Sacrum neglexisse, sed necessarium debet etiam furtum, fornicationem &c. explicare.

70. XIV. Malicia internæ omissionis tunc contrahitur, quando disertè formatur propositum rem præceptam omittend. Et ideo si quis statim ac concepit ejusmodi propositum, moreretur, haud dubiè damnaretur. Ratio est, quia omnis culpa propriè & formaliter consistit in interno voluntatis actu; ergo culpa internæ omissionis contrahitur tunc, quando quis habet voluntatem omissionis: sicut qui habet efficax propositum furandi, jam furti reus est, etsi furtum re ipsa non sequatur.

71. XV. Peccatum omissionis externæ tunc primùm incipit, imò integrè tunc existit, quando quis voluntariè seu culpâ suâ dedit causam securitæ omissionis externæ, vel ejus proximo periculo se exposuit; etsi postea casu aliquo omisso non sequatur: quia qui se sine iusta causa exponit proximo peccandi periculo, peccat; & quidem in eodem genere, in quo est ipsum peccatum; ut communis habet opinio: sed qui dat causam sufficientem peccati omissionis, exponit se periculo peccandi, id est, omittendi rem præceptam; ergo peccat, dum causam omissionis apponit.

72. XVI. Quin etiam tunc, quando post causam securitæ omissioni datam re ipsa postea omittitur præceptum, contrahitur peccatum omissionis externæ; si quidem tunc observatio præcepti adhuc sit in plena voluntatis potestate. Fill. n.

272. Bonac. de peccat. D. 2. q. 4. p. 4. n. 5. quia tunc temporis omisso ipsa est voluntaria, & impedi potest ac debet, cum ad sit usus rationis, & advertentia, & potestas impediendi; ergo si tunc temporis non impediatur, ad culpam imputatur. Et ideo, qui lusui incipit vacare cum prævisione omittendi sacrum præceptum, peccat non tantùm tunc, cum se illi periculo voluntariè exponit; sed etiam tunc, cum re ipsa omittit sacrum; quia pono, in ejus potestate situm esse tunc abstinere à ludo, & adire templum: satis tamen est, si postea de sola omissione Sacri se accuset, nulla lusûs, cujus amore Sacrum omisit, facta mentione; censetur enim idem esse peccatum juxta dicta *suprà* n. 69.

73. XVII. Sed quid? si omisso actûs præcepti detur tunc, cum actus ipse mandandus quidem esset executioni, non tamen ampliùs est in libera omittentis potestate, eo tempore præceptum implere? Sanch. l. 9. de Matrim. D. 45. n. 30. Paulus tr. 2. D. 1. p. 3. n. 6. & alii censent, eam omissionem ad culpam imputari. Sed contrarium tenendum est; nimirum ipsam actualem omissionem, quantumvis remotè traxerit originem à præcedente prava volitione, quam quis sui compos habuit, & causam dedit omissioni, non esse verè ac propriè peccatum, etiam denominatione extrinseca, derivatâ nimirum malitiâ in ipsam ex interna prava voluntate præcedente, si quidem eâ tempore, quo fit, non ampliùs sit in potestate hominis præceptum implere, atque adeo solùm esse effectum peccati seu actionis malæ, ex qua ea omisso tanquam ex causa sequitur. Ita sentiunt Bonac. n. 6. Laym. l. 1. tr. 2. n. 5. Vasq. T. 1. in. 1. 2. D. 73. c. 9. n. 46.

n. 46. & D. 94. c. 2. § 3. Dian. p. 1. tr. 7. R. 64. & p. 3. tr. 4. R. 67. Lugo de penit. D. 16. f. 9. n. 440. Dicast. tr. 8. de penit. D. 9. d. 1. n. 19. Sancius in select. D. 20. n. 5. Suar. de relig. T. 2. tr. 4. l. 3. c. 7. Tamb. in Meth. confess. l. 2. c. 6. § 2. n. 6. & alii: quia ut aliquod opus sit verè ac propriè peccatum, etiam malitià extrinsecà, necessè est, ut, dum fit, sit propriè & actuliberum, & cum primùm caret libertate, non potest tunc non cessare esse peccatum: nam quæ opera tunc non agimus liberè, non ea nunc operamur nisi ex necessitate simpliciter, quæ repugnat libertati operis: ergo omisio non potest verè esse peccatum, si, dum est, non subditur dominio arbitrii, sed jam extra ejus potestatem ac jurisdictionem est.

74. Eodem modo discurrendum est de quolibet alio actu positivo, qui eo tempore contingit, quo à nobis ampliùs impediri non potest, & tamen causa voluntaria ad eum efficiendum est posita, v. g. vulneravit quis lethalter alterum, venenum mortiferum præbuit, aut consilium dedit tendens ad alterius necem & c. etsi enim ex his actio nibus mors sequatur, mors tamen ipsa ampliùs impediri nequit, & idcirco dum contingit, non est peccatum, sed tantùm effectus peccati. Bonac. n. 8. Suar. Fill. l. cc. Ex quibus breviter

75. Patet, eventus ex causa quidem libera secutos, sed eo tempore, quo ampliùs impediri non possunt, nec ampliùs pendent ab actu libero præsentis, non esse necessariò in confessione explicandos, quidquid aliqui obmurmurent. Laym. l. c. § tr. 3. c. 4. n. 4. Bonac. n. 8. Vasq. cit. D. 94. n. 16. Dian. l. c. Lugo n. 440. Sancius, Tamb. l. cc. & alii, quorum

sententiam probabilem reputat Sanch. l. a. Mor. c. 16. n. 46. prope finem, ut adeo mirum sit, Arriagam dicere, apud omnes certum esse, talem effectum in confessione exponendum esse, quidquid demum sit, an idem effectus peccatum sit dicendus, vel non. Ratio autem potest esse, quia in confessione omnia & sola peccata sunt exponenda; non verò effectus postea ex peccato secutus. Et ideo sufficit dicere: vulneravi lethalter alterum, porrenxi venenum lethale, dedi consilium efficax de patrandæ alterius nece & c. Nihilominus tamen aliquid Arriagæ dare possumus, nimirum expedire quoque, ejusmodi effectus consecutos explicare, tum ut meliùs & exactiùs intelligatur status peccatoris; tum ut perspiciatur, an incurrit censuram aliquam Ecclesiasticam, vel casum reservatum, vel onus restituendi, quæ subinde peccato præterito sub conditione talis effectus re ipsa secuti annexa sunt.

QUÆSTIO III.

De Regulis Conscientiæ directivis in particulari.

Inter species Conscientiæ præcipua est illa, quæ *Recta* vocatur, de qua non attinet multa dicere: pauca sunt, quæ de ea scire oportet.

ARTICULUS I.

Regula dirigendi Conscientiam rectam.

76. Nota, Conscientiam esse actum certum & evidentem intellectus, judican-

tis hinc & nunc honestum esse ac licitum operari. Ad hoc iudicium præsupponitur aliud, & id quidem varium, quo intellectus de honestate vel inhonestate speculative decernit, v.g. contractum hunc non esse usurarium: vide *sup. n. 3. 4. & 6.* Et hoc iudicium si feratur de objecto, ut par est, dicitur *Rectum*, & Conscientia inde formata *Recta*. Potest autem hoc dictamen formari I. per modum consilii. II. per modum præcepti, ut *sup. n. 8.* explicatum est. Quo posito statuuntur sequentes regulæ de re proposta.

77. Regula I. Conscientia recta consulens non obligat, ut eam sequamur, seu, ut eidem affectum nostrum conformemus. Hæc est enim natura operum, quæ dicuntur *Consilii*. Sed neque obligat, ut contra eam non operemur, ex eadem ratione. Quantumvis ergo conscientia dicat, virginitatem esse colendam, non peccat, qui eam omisit statum matrimonii amplectitur.

78. II. Conscientia recta præcipiens obligat voluntatem ad non resistendum ei, ita ut peccet, si resistat, seu non faciat, aut non omittat id, quod conscientia dicit, faciendum esse vel omittendum. Constat ex dictis *n. 10. sup.*

79. III. Conscientia recta præcipiens obligat voluntatem non tantum ad non resistendum, sed etiam ad aliquid faciendum, vel omittendum juxta tale illius dictamen, ita ut peccet eam non sequendo, seu faciendo, quod conscientia dictabat esse omittendum; aut omittendo, quod ex eodem dictamine faciendum erat. Pro ratione autem materiae levis vel gravis, grave vel leve peccatum

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

erit agere contra dictamen rectæ conscientia præcipientis.

ARTICULUS II.

Regula dirigendi Conscientiam erroneam.

80. Nota I. Conscientiam erroneam non esse propriam ac verè dictam Conscientiam, ut vulgo dicitur; sed esse umbram tantum Conscientia, & procedere ex iudicio erroneo de honestate, vel inhonestate objecti: v.g. cultus Religiosus est DEO gratus; hoc iudicium si malè intelligatur, errorem gignere potest; si enim subsumatur: atqui hoc mendacium cedit in augmentum Religionis; ergo honestum est & licitum nunc mentiri. Quæ conclusio practica seu conscientia est simpliciter falsa & erronea, procedens ex illo falso & erroneo principio, quod mentiri pro religionis augmento sit cultus religiosus.

81. Nota II. Errorem nihil aliud esse, quam actum intellectus rem falsò, hoc est, aliter, quam sit, iudicantis. Huiusmodi verò error alius est vincibilis, alius invincibilis. Ille est, quem operans deponere potest, si modum saltem confusè cognitum indagare velit, per quem possit errorem deponere. Ille verò est, qui vitari non potest, eò quod operanti nec occurrat, quod erret; nec si occurrat, quod erret, ullus modus, quo errorem deponere possit, incidat. Sit exemplum: Petrus & Paulus iudicant, restitutionem non esse faciendam, cum tamen sit; & Petrus quidem, etsi incidat ipsi aliqua cogitatio vel dubitatio, num fortè sit restitutio facienda, omit-

Zz

tit

tit tamen omnem indagacionem, vel non nisi imperitos interrogat. E contra verò Paulus vel nihil tale suspicatur, vel saltem in simili dubitatione constitutus interrogat parochum, vel alios peritos, & ex iis intelligit, non esse faciendam restitutionem: uterque est in errore, Petrus quidem in vincibili, Paulus verò in invincibili; & exinde dictamen illud prætium (quod uterque errore suo nixus colligit, videlicet non esse faciendam restitutionem) est Conscientia propriè dicta, & vocatur erronea; vincibilis quidem, culpabilis & inexcusabilis, si procedat ex errore vincibili; invincibilis autem, inculpabilis, si fundetur in errore invincibili.

82. Nota III. Etiam Conscientiam erroneam posse aliquid dictare vel per modum consilii v.g. licitum esse aliquid facere, cum sit illicitum: vel per modum præcepti, vel prohibitionis, v.g. aliquid faciendum esse, vel omittendum sub præcepto, vel cum obligatione sub peccato, vel contra, cum tamen res secus habeat: & hoc rursus circa res indifferentes, nimirum has proponendo ut præceptas, vel prohibitas à DEO, cum non sint: vel circa actiones de se bonas, nempe dictando, eas à DEO prohibitas esse: vel deum circa actiones de se malas, dictando, eas bonas esse, aut à DEO præceptas. Quibus ita constitutis sint sequentes regulæ de re proposita.

83. Regula I. Conscientia erronea tam vincibilis, quam invincibilis, si sit per modum consilii, nec ad obediendum ipsi, nec ad resistendum obligat: vincibilem tamen etiam consulentem sequi non licet, quod communiter docent:

peccatum enim committitur amplectendo ejusmodi consilium.

84. II. Conscientia erronea, quæ dicitur invincibilis, & dicitur aliquid faciendum esse vel omittendum per modum præcepti, obligat perinde, ut Conscientia Recta, ad duo: quorum primum, ut ei non contraveniamus; quia qui eligit, quod conscientia dicitur peccatum esse, is eligit peccatum, quia agit id, quod dicitur esse illicitum. Reginald. l. 13, c. 8, n. 69. & alii communiter. Alterum est, ut etiam re ipsa eam sequamur, seu nostrum affectum illi conformemus, faciendo nempe, quod dicitur esse faciendum; omittendo verò, quod dicitur non esse faciendum; voluntas enim, utpote potentia cæca, non alio modo tenetur obedire præceptis, nisi quatenus ipsi ab intellectu proponitur aliqua obligatio: ergo si ipsi proponatur aliqua obligatio, licet falsò, & ex errore, qui deponi nequeat, iam ipsa huic tenetur acquiescere, perinde ac si ea obligatio verè adesset. Reginald. n. 71. & alii. Ex his breviter

85. Patet, opus factum ex Conscientia invincibiliter erronea, dicitur esse bonum, quod re ipsa est malum, excusari non solum à peccato, sed etiam esse opus bonum ejus virtutis honestate, sub cuius formali motivo apprehenso exercetur: v.g. Josue rarus, se obligatum juramento Gabaonitis præstito, fecit actum Religionis. Josue 9. Ægyptiacæ obitricis arbitrata, licitum esse mentiri pro vita infantum servanda, exercuerunt actum charitatis naturalis. Alia est ratio virtutum supernaturalium, quæ requirunt objecti honestatem non solum existimatam, sed re ipsa existentem: v.g. si quis Luthera-

theranus invincibiliter iudicet, Lutheranam Religionem esse veram, tenebitur quidem illam retinere, sed illi credendo, non elicit actum Fidei Divinæ, quia hæc requirit objectum re ipsa verum, & à DEO revelatum.

86. III. Conscientia erronea, quæ est vincibilis, & per modum præcepti, quamdiu quidem perseverat, obligat voluntatem ad non resistendum ipsi, ita ut peccet resistens, seu contraveniens, hoc est, faciens, quod ex dictamine istius conscientiæ non erat faciendum, vel contra: v. g. non licet spuerè in templo post Communionem, transire Crucem in terra expressam &c. si conscientia erroneè dicat, id esse illicitum. Reginald. n. 69. & alij. Sumitur ex illo ad Roman. 14. quod non est ex fide, peccatum est; id est, quod fit contra conscientiam, etiam quamcunque errantem; quæ est expositio accepta ex Cap. omnes. 28. q. 1. & Cap. litteras. de Restitut. spoliat. & Cap. fin. de præscript. & Cap. Inquisitioni, de sent. excommun.

87. IV. Et si autem Conscientia vincibiliter errans obliget ad non operandum contra illam, ut modo dixi; nulla tamen absolute loquendo est obligatio sequendi illam, sed potius eam deponendi. Reginald. n. 74. & alij: quia semper & quavis suppositione facta obligor sub peccato ad eum conscientiaæ voluntarium errorem deponendum; & etiam, dum perseverat, non sequendum: ergo nunquam obligor ad eam conscientiam retinendam; vel, si retenta sit, sequendam, seu ad affectum illi positivè conformandum. Consequentia est evidens; quia nemo sub peccato obligatur, aut ob-

ligari potest ad affectum conformandum illi, cui si se conformaverit, hoc ipso peccat: quia nemo in ullo sensu vel casu possibili obligatur sub peccato ad peccandum: hoc enim in adjecto implicat. Sed & antecedens quoad illam partem, deponendum esse errorem, videtur certum, & passim ab omnibus admittitur. Quoad alteram verò partem, videlicet, non esse obligationem sequendi Conscientiam voluntariè errantem, probatur; tum quia alioqui hæretici excusarentur à peccato, si retentam suam conscientiam hæreticam, quam constat esse erroneam (alioqui non esset hæretica) sequerentur: tum quia eo ipso præcité, quod quis voluntariè sibi format conscientiam erroneam, peccat; voluntariè enim & temerariè sibi format regulam proximam honestatis operum à se faciendorum, contrariam supremæ regulæ omnis honestatis. Itaque peccat non aliter ferè, quam qui in republica facit mensuras, aut stateras falsas; aut qui voluntariè & temerè eligit pro nauclero in navigatione periculosa hominem artis nauticæ prorsus ignarum, jactantem tamen eam artem, & viam maris se scire: ergo nulla est obligatio sequendi conscientiam vincibiliter errantem, etiam dum ipsa durat.

88. Dices; si sequendo hanc conscientiam pecco, & eidem contradicendo seu discordando etiam pecco, videtur omnis laborans huiusmodi conscientia esse perplexus, id est, non habere viam evadendi peccatum, adeoque ex necessitate peccare; quod in adjecto implicat. Sequela probatur; quia laborans hæc conscientia peccat, seu concordet illi, seu ab ea discordet. R. Neg. sequel.

Non enim necessitatem, seu perplexitatem, nisi fortè phantasticam, & secundùm quid mihi inferre potest, quod omnino destruere, deponere, aut retinere est in mea potestate: errorem autem hujus meæ temerariæ Conscientiæ ipse fabricavi, & fabricatum retineo, & tam facilè possum destruere, quàm construxi. Et si ergo seu concordando cum ea conscientia, seu discordando ab ea pecco; non tamen ex perplexitate seu necessitate pecco, sed ex voluntaria temeritate, quâ volo non deponere periculosum errorem, quem non depositum seu affectu condemnam, seu amplectar, malè ago. Mihi ergo, & non DEO, aut ulli necessitati imputare debeo, quòd manente eâ Conscientiâ & peccem illam sequendo, & peccem discordando ab illa. Et verò facilis est via evadendi peccatum, seu concordandi, seu discordandi, nempe abjicere hanc Conscientiam, quod possum & debeo. Unde, quod valde notandum est, concordare & discordare ab hac conscientia non sunt quasi duo contradictoria, inter quæ medium non sit, ita ut in potestate operantis non sit alterutrum evadere: nam inter ea datur securissimum medium, nempe abjicere Conscientiam temerariam; quâ abjectâ nec sequor illam, nec illi contradico, sed me à peccato libero. Atque optimum hujus rei exemplum est, quod omnes docent in materia de juramento. Nam qui jurat gravem injuriam inferre alteri, non potest evadere peccatum, si ve jurans careat intentione non implendi juramentum, si ve eam habeat; nec alia est via evadendi peccatum mortale, nisi abstinere à jurando. Et ex his etiam

cuneus perplexitati excutiendæ idoneus videtur posse fabricari.

89. V. Ut autem conscientia vincibiliter errans deponi possit, refert scire, an dictamen illud temerè, sine ulla ratione & auctoritate conceptum sit, vel ex ratione aliqua saltem apparente, imò etiam secundùm errantis æstimationem moraliter certa. Si priori modo conceptum sit, potest absque ulla ratione ad arbitrium iterum abjici. Sanch. *l. 1. Mor. c. 11. n. 10.* Bonac. *de pecc. D. 2. q. 4. p. 6. n. 30.* Reginald. *l. 13. c. 8. n. 74. & alij*: quia res, per quas causas nascitur, per easdem etiam destruitur: juxta *Reg. 1. de Regulis Juris*. Sed Conscientiâ erronea, de qua sermo est, sine causa suborta est, potest proinde etiam sine causa deponi. Quod si autem posteriori modo conceptum sit, deponi non potest, nisi ex probabili causa: alioqui temerè & imprudenter deponeretur. Reginald. Sanch. *ll. cc.* Palaus *tr. 1. D. 1. p. 6. n. 5.* Non debent autem eæ rationes, ob quas error deponitur, esse firmiores, & probabiliores illis, quibus error nititur: sufficit, si sint probabiles. Sanch. Bonac. *ll. cc.* Hinc mulier, quæ audit à concionatore, & credit, esse peccatum mortale, ornare se alienis capillis, eò quòd esset simulationis peccatum; adhuc peccat illis utendo, nesciens contrariam rationem solvere, putans tamen sibi licere; quia temerè, & sine ullo fundamento probabili tale iudicium sibi format. Fill. *tr. 2. c. 4. n. 173.* Quod si tamen erronea hæc conscientia deponatur sine ratione, non committeretur tale peccatum, quale conscientia dictabat.

90. VI. Peccatum verò, quod quis contra Conscientiam erroneam committit,

tit, & tale, & tantum, quale ab errante Conscientia judicatur, jam quidem mortale, jam veniale, jam hujus, jam illius speciei. Sanch. n. 5. Fill. n. 118. Dian. p. 3. tr. 4. R. 162. §. Nosandum: & alij. Quia voluntas fertur in malum, prout apprehenditur: ergo si apprehendatur ut grave, aut hujus speciei, voluntas censetur habere affectum erga peccatum hujus speciei. Hinc cui Conscientia dicat, peccatum esse mortale, spueri in templo, peccat mortaliter ibi spuerendo; venialiter verò, si dicat, esse veniale. Excipe, nisi materia sit gravis, & error graviter culpabilis: nam etsi hic judicet tantum esse veniale peccatum, adhuc tamen voluntas mortaliter peccabit: cum enim ignorantia aut error vincibilis juxta dicta n. 18. à peccato non excuset, non potest facere, ut, quod in se grave est & mortale, fiat veniale ratione ejusdem ignorantia. Sanch. l. c. Dian. p. 5. tr. 5. R. 31. Quale autem peccatum sit, agere contra Conscientiam erroneè dictantem, actionem tantum esse malam in communi, nullà in specie malitià cognitã, seu præscindendo à malitia mortali & veniali, jam supra n. 23. dictum est. videri potest Tamb. in Meth. Conf. l. 2. c. 1. §. 15. n. 92.

91. Pater, eum, qui ex Conscientia erronea, mortaliter culpabili peccat, non teneri eam circumstantiam explicare: sed satis esse, si dicat: *violavi jejunium* (mente subintelligendo existimatum) *die festo* (itidem mente subintelligendo putativo) *non interfui Missæ*. Tamb. n. 88.

92. Excipe tamen I. Nisi fortè censura aliqua vel reservatio peccato sit annexa: cum enim censura, vel reservatio

feratur in peccata, quæ verè talia sunt, non autem, quæ ex errore putantur esse, erroris explicandus est, si fortè ex eo peccatum (quod alioqui secluso illo errore reservatum esset, aut censuræ obnoxium) commissum sit. Hinc si excommunicatio esset lata in omittentes die festo Sacrum, non rectè se in hunc modum accuset: *die festo non interfui Sacro*: existimaret enim Confessarius, eum etiam excommunicationem incurrisse, cum tamen non incurrerit: sic ergo talis debet dicere: *die, quem judicabam esse festum, neglexi Sacrum*. Lugo, de pœnit. D. 16. f. 4. n. 504. quem refert & sequitur Tamb. n. 89.

93. Excipe II. Nisi quis à lege, contra quam ex errore peccat, sit exemptus. Hinc puer, qui erroneè judicavit, se in vigilia alicujus Sancti obligatum esse ad jejunandum, & non jejunavit, malè dicet, se jejunium præceptum violasse: existimabit enim Confessarius, eum non peccasse; cum tamen ob erroneam suam Conscientiam verè peccarit. Hic ergo ut suum peccatum, quod commisit, rectè explicet, sic dicet: *jejunium, ad quod me obligatum credidi, violavi*. Tamb. n. 90. & Lugo, ubi supra, apud ipsum.

94. Similiter qui ex ignorantia mortaliter culpabili peccavit, etsi ejusdem speciei peccatum commiserit, atque is, qui scienter peccavit, eam circumstantiam non tenetur explicare, nisi I. cum ignorantia excusat à censura, quæ subinde imponitur violanti scienter ac temerè aliquod præceptum. II. Nisi ob ignorantiam exponatur periculo in alia specie peccandi; ut, si quis ignoret statum feminae, eum qua peccat; tunc enim se exponit

ponit periculo adulterij, si fœmina sit nupta; vel Sacrilegij, si DEO sit Sacra. De reliquo non est ea ignorantia, etiam affectata circumstantia exprimenda: sed satis est dicere: *Missæ non interfui die festo* &c. Sanch. l. 1. Mor. c. 17. n. 23. Tamb. §. 14. n. 86. & seq. ubi refert etiam Lugonem.

95. VII. Non datur verè ac propriè Conscientia, quæ sit invincibiliter errans. Dari in intellectu nostro errorem, qui sit invincibilis, certum est, & experimento constat. An autem hic error invincibilis dici possit Conscientia propriè dicta, & proxima honestatis regula, difficultas est. Existimo, eos, qui sentiunt, ita compellendum esse, non rectè sentire. Est enim Conscientia practica, seu ea, quæ est proxima veræ honestatis regula, judicium Prudentiæ: impossibile autem est, judicium Prudentiæ esse erroneum in seipso, etiam invincibiliter: est enim, ut ex Philosopho 6. Eth. 3. omnes docent, virtus intellectualis semper ad verum inclinans, nunquam ad errorem; impossibile igitur est, Conscientiam etiam invincibiliter erroneam esse Judicium Prudentiæ.

96. Nihilominus tamen non desunt, qui contendant, dari Conscientiam invincibiliter errantem: & in hujus rei confirmationem multa putant accumulari posse exempla. Ex plurimis unum lubet in medium proferre. Sic ergo discurrunt. Si Sacerdos bona fide super hostiam hordeaceam proferat verba consecrationis, eamque populo adorandam proponat, omnes adstantes honestissimè eam hostiam adorabunt, rati, quamvis falsò, Christum præsentem esse; quo casu Conscientia urget illos ad Christum, ubi non

est, adorandum: & tamen in eo judicio, quamvis innoxie & invincibiliter, errant: ergo datur Conscientia invincibiliter errans. Sed adhuc

97. Tenendum est, non dari ullam veram Conscientiam, quæ in se sit errans, licèt invincibiliter. Nam si rem secundùm veritatis rigorem meriamur, in intellectu adorantis illam hostiam, duo ad minus interveniunt judicia; quorum unum est probabilis opinionis, quamvis falsæ, aut bonæ fidei humanæ; alterum Prudentiæ. Prius innoxium quidem est, sed erroneum, nec tamen Conscientia propriè, sed præsuppositum ad illam. Alterum est certissimum, imò evidens practicè, & est ipsa Conscientia propriè dicta, in qua nullus error esse potest, habetque longè diversum objectum ab objecto prioris judicij. Unde error in eo, qui adorat hostiam, quam judicat esse consecratam, non est conscientia, nec Prudentiæ, sed opinionis probabilis, aut fidei humanæ, quæ Prudentiæ est annexa. Explico rem in hunc modum. Adorans opinatur bonâ fide, hostiam, quam videt, esse consecratam; atqui hujusmodi judicium est merè speculativum, nec est actus Conscientiæ, quæ non judicat, an, quod oculus videt, sit consecratum, nec ne: sed ejus munus est, prudenter judicare, honestissimum esse, adorare hostiam, quam homo certò novit, vel probabiliter opinatur, vel credit bona fide humana, consecratam esse: in quo prudenti judicio ne vestigium quidem erroris est, etiam specularivi, sed evidens & certissima veritas, cui se conformans affectus adorantis honestissimus redditur; ac honestatem hujus affectus habet

Con-

Conscientia illa prudens pro objecto suo adequato: non verò se ingerit hæc Conscientia in officium proprium concomitantis illius innoxie opinionis, aut fidei humanæ, quarum est ferre iudicium seu verum, seu falsum, verosimile tamen, & probabile, an hostia sit consecrata, nec ne. Atque hinc intelligi potest, quale fuerit factum Jacobi, accedentis ad Liam, quam sincerè, quamvis erroneè, putabat esse Rachelem uxorem suam. Nam duo habuit diversa iudicia de diversis omnino objectis; dicebat enim tunc bona fide: *hec est mea uxor*; & hoc iudicium tuit opinio probabilis, sed falsa; nec fuit Patriarchæ Conscientia. Dicebat præterea: *licitum est mihi accedere ad eam, quam nunc sincerè puto esse legitimam meam uxorem Rachelem*; & hoc solum iudicium tuit Conscientiæ & Prudentiæ Jacobi, in quo in omni rigore fuit plenissima & evidentissima veritas: nam in oculis DEI & rigore veritatis licitum fuit Jacobo accedere ad eam, quam bona fide & innocenter opinabatur esse suam conjugem. Eodem prorsus modo se res habet in eo, qui adorat hostiam, quam bona fide putat esse consecratam, licet non sit: & in iudice, qui bona fide credens ex allegatis & probatis à testibus omni exceptione juridicâ majoribus accusatum esse reum homicidii, cuius tamen in oculis DEI non est reus, illum nihilominus iudicat, in Conscientiæ iudicio certissimo & evidentissimo tortori tradendum esse. Unde iudex ille errat, non quidem in Conscientia, sed in opinione probabili, quam habet simul cum iudicio Conscientiæ certissimo.

98. Fefellit autem multos, & fallit consortium, quod error speculativus iudicii opinativi bona fide concepti habet quandoque cum prudenti iudicio Conscientiæ, omnis erroris experte, ideòque errorem innoxium primi Iudicii accommodarunt Conscientiæ prudenti, & e contra. Unde Conscientiam hanc vocarunt invincibiliter erroneam, cum tamen propriè sic loquendum esset: saepe datur unde quaque vera, & rectissima Conscientia, quæ conjuncta est cum inculpabili errore, qui Conscientia non est, nec Prudentia, sed probabilis opinio, licet falsa. Eodem modo explicandus est ille loquendi modus, quo dicimus, dari in nobis Conscientiam opinativam probabilem, quæ sit proxima honestatis Regula. Nihilominus tamen quia mos communis obtinuit, ut ex consortio erroris invincibilis, aut opinionis probabilis etiam Conscientia eam obtineat appellationem, cum multis deinceps loquemur, etsi putemus sapiendum esse cum paucis.

ARTICULUS III.

Regule dirigendi Conscientiam opinativam.

99. Nota I. Opinionem generatim nihil aliud esse, quam infirmam & incertum intellectus nostri assensum circa unam partem, non sine formidine oppositæ partis: in specie verò quatenus fundat Conscientiam seu proximam actionis humanæ regulam, debet esse probabilis, seu talis, quæ nitatur fundamento magni momenti, nec contra se, vel pro parte opposita habeat rationem convincentem, aut

aut decretum aliquod Pontificium, quo tota probabilitas, si quam fortè habuit, ab ea sententia auferatur.

100. Nota II. Fundamentum, quo sententia probabilis nititur, fere triplex esse. I. Est Ratio, quæ licet non debeat esse convincens, non tamen esse futilis & levis momenti, sed firma & gravis; qualis censetur esse argumentum tam validum, ut viros etiam doctos movere possit ad assensum præbendum; vel Sacræ Scripturæ testimonium; vel Ecclesiæ decretum, quo talis opinio stabilitur. II. Est exemplum & consuetudo bonorum hominum. Ubi Palus *tr. 1. D. 2. p. 1. n. 6.* & Sancius *in select. D. 44. n. 71.* rectè advertunt, quòd, licet, ut mox diceretur, ex assertione unius gravis & docti viri formari possit regula prudenter operandi, non tamen illico formari possit similis regula ex facto unius, quantumvis pii ac docti viri; cum vir iste possit ita operari ex causa nobis incognita, v. g. ex dispensatione facta in lege, passione, inadvertentiâ &c. adde, quandoque etiam doctos ac probos viros errare graviter in suis actionibus, juxta tritum illud; quandoque bonus dormitat Homerus. Quando verò videmus, plures viros probos ac doctos, v. g. Religiosos, passim frequentare aliquas actiones, Superioribus non contradicentibus, licitum est illorum exemplum sequi, nisi lege apertè prohibeatur. III. Est auctoritas, quæ tamen debet esse gravis: qualis censetur esse eorum Doctorum, qui in aliis materiis rarò à veritate aberrant; item quos vitæ morumque integritas commendat; qui mul-

tum laboris & studii in examinandis opinionum fundamentis ponunt; nec ad talem opinionem ex inordinato aliquo affectu inducti sunt, sed ex ratione; neque enim auctoritas, omni ratione profus destituta, quidquam ad probabilitatem conciliandam facit. Unde si mille auctores in unam sententiam conveniant, nulla ratione nixi, nulla sanè ex hoc capite generabitur probabilitas: neque credendum est illis, ut apud Palaum *n. 8.* ait Joannes Lupus. Unde patet, nullam dari probabilitatem merè ab extrinseco. Ut verò alicui videatur sententia ab auctoritate eam tenentium probabilis, non est necesse semper, ut ipse eorum rationes nôrit: sufficit, si bona fide judicet, eos esse tales, qui nihil temerè soleant proferre. Potest autem sententia aliqua ab auctoritate reputari probabilis, etsi unicus vir sit, qui eam tradit; modò sit vir I. doctus, id est, in ea facultate, ad quam materia novæ illius sententiæ spectat, bene sit, versatus, & probatus, eamque solutis oppositis argumentis bona ratione firmet. II. Pius, qui scilicet juxta suum statum communiter videatur suæ salutis curam gerere, Et III. prudens, qui nempe in suis sententiis non sit præceps, non temerarius, non audax, qui non vereatur quibuslibet se opponere. *Bresler. l. 3. c. 3. n. 33.*

101. Nota III. Probabilitatem aliam esse absolutam, aliam respectivam. Illa est, quæ ab omnibus tam doctis, quam indoctis absque discrimine talis habetur. Ista est, quæ non respectu omnium, sed tantum plebejorum & indoctorum, qui rationum momenta ponderare nequeunt,

ut

ut ex iis iudicium forment de probabilitate opinionis, probabilis redditur ab auctoritate. Ceterum ut sententia aliqua sit respectivè probabilis, non requiritur tantum doctrinæ, quantum ad probabilitatem absolutam. Hinc ut sententia aliqua vulgò Christi fidelibus, hoc est, hominibus plebejis sit ob auctoritatem probabilis, ita ut eam tutò sequi queant, non est necesse, ut quis proximè aptus sit ad Theologiam v. g. Moralem docendam: sufficit, illi studuisse, & profecisse, ita ut ab illis vir doctus habeatur, præsertim si ex officio illi incumbat, Christi fideles instruere. Bress. n. 37. Et ideo potest rusticus, aut alius indoctus Parochianus tutò sequi sui Pastoris sententiam, pœnitens sui Confessarii, imò & discipulus Magistri; quia isti meritò & prudenter magni debent facere ralem auctoritatem, & universim credere, ad huiusmodi officia solùm idoneos promoveri, nisi clarè de contrario constet. Bress. n. 38.

102. Nota IV. Sententiam probabiliorē esse, quæ meliori ac firmiori fundamento nititur, non quæ à pluribus traditur, quia auctores non per seipso, ut paulò antè dictum est, probabilitatem opinionibus conciliant, sed quatenus firma aliqua ratione nituntur, vel certè niti præsumuntur. Sanch. l. 4. de Matrim. D. 44. n. 2. Palus n. 7. Sancius in select. D. 44. n. 68. Hinc singularis unius sententia potest esse probabilior eâ, quæ est multorum. Quamvis regulariter loquendo probabilior sit, quæ pluribus placuit, non præcisè ex eo, quòd pluribus placuerit, sed ex eo, quòd fundamenta, quæ plures moverunt, ut in eandem sententiam convenirent, meliora esse, sit præ-

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

sumendum. Palus l. c. Ex dictis autem satis

103. Patet, sententiam improbabilem esse, quæ nec ratione, nec auctoritate alicujus momenti nititur: & in specie talis est, quæ vel continet aliquem errorem; vel legibus, ac decretis Pontificum adversatur.

104. Nota V. Sententiam tutam esse illam, quàm si homo sequatur, non peccat: quod quia æquè uni atque alteri sententiæ probabilis convenit, nulla est quoad imputabilitatem culpæ, seu formaliter tutior alterâ. Palus p. 2. n. 3. Sancius D. 19. n. 8. D. 42. n. 12. & D. 44. n. 66. & alii: quælibet enim sententia probabilis reddit, ut dicemus n. 107. conscientiam tutam in operando tam juxta unam, quàm juxta alteram; non enim datur major securitas, quàm non peccare; neque est magis & minùs inter peccare & non peccare. Illud tamen negandum non est, unam sententiam alterâ esse materialiter tutiorem; quod sic explico. Sunt duæ sententiæ, ambæ probabiles, quarum una negat rem, quam quis bona fide putat esse suam, restituendam esse: altera verò affirmat, quamcunque ex his sententiis quis sequatur, nullum quidem periculum peccati alicujus formalis subit: nihilominus tamen, si non restituat, peccat materialiter seu potiùs committit id, quòd fortè à parte rei malum est, si nimirum res illa revera sit aliena: si autem restituat, nec materialiter malè facit. Sententia erga minùs tuta hoc sensu dicitur illa, quæ est in materia, in qua potest esse peccatum. Et in hoc consistit major securitas materialis inter sententias probabiles, de qua sola videntur loqui DD.

Aaa

dum

dum docent, sententiarum probabilium unam alterâ tutiorem esse. Hinc autem obiter

105. Pater, Conscientiam non tutam esse illam, quæ fundatur in opinione non tuta, seu non probabili; tutam verò, quæ fundatur in opinione tuta, seu probabili, & moraliter certa.

106. Nota VI. Contingere posse, ut sententia, quæ aliis est probabilis, mihi non sit probabilis: nam utraque vel alterutra ex contradictoriis potest esse probabilis prudentibus, quibus neutra pars est certò vel evidentè nota. At mihi nulla opinio, etiam urgentissimis rationibus nixa, potest esse probabilis, cujus contrariam certò novi esse veram, v. g. etsi toti populo probabile sit, in taberna, ad cujus fores hædera pender, vinum vendi, mihi tamen, qui certò scio, istuc ne guttam vini esse, est improbabile, etiam appensâ hæderâ, & rotâ in contrarium clamante civitate, vendi istuc vinum. Ut ergo mihi sit opinio probabilis, requiritur, ut sciam, eam nisi fundamento firmo, & eandem non certò cognoscam, esse falsam. Ut autem eidem assentiam, insuper necesse est, ut formem iudicium opinativum, quo iudicem esse veram, & contrariam falsam, sive illa mea existimatio revera falsa sit, sive vera. His ita constitutis traduntur sequentes regulæ de re proposita.

107. Regula I. Licitum est, secundum sententiam probabilem operari, licet ad sit formido oppositi, ne scilicet altera sententia à parterei sit vera, & illa, quæ delecta est, falsa. Sanchi, *l. 1. Mor. c. 9. n. 13.* Coninch. *de Sacram. D. 34. d. 10. n. 84.* Bress. *l. 3. c. 5.* Arriaga *T. 3. D. 23.*

f. 2. subs. 2. n. 16. & alii: quia qui operatur secundum sententiam probabilem, non operatur temerè, sed prudenter & tutò, hoc est, sine ullo periculo peccandi formaliter: hoc ipso enim, quòd sit sententia aliqua probabilis, à peccato liberat eum, qui secundum illam operatur. Neque verum est, sub opinione tantum esse, licitum esse, operari secundum sententiam probabilem: hoc enim certum est, & indubitatum. Et licet id esset sub opinione, tamen, qui iudicaret, se opinionem probabilem sequi posse, certus est reflexè, se non peccare.

108. Si attentis omnibus circumstantiis utraque ex opinionibus oppositis, prudenter, id est, non temerè iudicetur probabilis, sed verè sit probabilis, cuique licet sequi alterutram; modò non sciat determinatam alterutrius veritatem. Et hæc regula vera est, sive opiniones sint de speculativis, sive de practicis, in quacunque materia, absque ulla exceptione, etsi altera supremum probabilitatis gradum habeat, altera verò infimum; dummodo tamen opinio, quæ eligitur, sit adhuc verè probabilis. Palaus *tr. 1. D. 2. p. 2. n. 2.* Bonac. *de peccat. D. 2. q. 4. p. 9. n. 4.* Tanner. *T. 2. D. 2. q. 6. d. 3. n. 30.* Sanchius *D. 9. n. 8. & D. 42. n. 12.* Sanchi, *l. 1. Mor. c. 9. n. 14. & multi alii.* Ratio est: quia, qui sequitur sententiam, etsi minus, verè tamen probabilem, postpositâ probabiliiori, adhuc non operatur ex levitate animi, aut imprudenter, sed ex rationabili seu verosimili motivo. Neque ullum est fundamentum obligationis sententiam probabiliozem præ minus probabili amplectendi. Et sanè si esset, esset nimis dura & innumeris scrupulis obnoxia, pondera-

derare rationes cujusvis sententiæ, ut ex illis probabilior eligi possit.

109. Diligenter autem advertendæ sunt illæ particulæ: *Si attentis circumstantijs &c.* nam si non attendantur, sed una opinio neget, hoc, v. g. opus licitè fieri concurrente hac circumstantia; & altera opinio affirmet, posse idem opus licitè fieri, non tamen in hac sed alia circumstantia loci, temporis, tum revera opiniones non sunt contrariæ vel contradictoriæ, sed disparatæ, ut notum est, & fortè utraque vera est, vel fortè utraque falsa, vel altera fortè probabilis, altera improbabilis. Et inadvertentia hujus particulæ multis deceptionibus & erroribus causam dedit. Unde & sententia, quæ *generatim* & absque ejusmodi limitatione loquitur, est tertia inter 65. à S. D. N. Innoc. XI. prohibita.

110. Sed & illæ particulæ studiose sunt advertendæ: *Dummodo tamen opinio, quæ eligitur &c.* quia si probabilitatem amiserit ob aliquod decretum contrarium, vel gravem censuram, vel gravem rationem de novo inventam, quæ difficulter refutanda videatur, non habet locum prædicta regula. Et ideo licet olim valde probabile fuerit, Sacerdotem, qui sibi culpæ mortalis concius esset, tantum ex consilio teneri *quamprimum confiteri*, si urgente necessitate ex defectu Confessarij non præmisit confessionem; hodie tamen post Decretum Alexandri VII. sententia hæc nullam amplius habet etiam speciem probabilitatis.

III. III. Et hoc, quod *suprà n. 108.* dixi, habet locum, non tantum cum sententiæ sunt æqualis probabilitatis, sed etiam inæqualis, ita ut tunc liceat ample-

cti minùs probabilem relicta probabiliori, dummodo non obstat communis & recepta consuetudo, aut speciale præceptum prohibens usum alicujus (saltem aliorum judicio) probabilis sententiæ. Dian. p. 2. tr. 13. R. 1. ubi complures refert auctores pro hac sententia, quæ probatur: tum quia sic operans non potest temerarius aut imprudens judicari, cum habeat pro se rationem alicujus non levis momenti: tum quia ob infirmitatem nostri intellectûs sæpe non possumus assequi, quid sit probabilis: oporteret enim multos auctores & rationes inter se conferre, quod esset nimis onerosum, & innumeris scrupulis obnoxium: tum quia id praxis doctorum & proborum hominum ita viventium & alijs consulentium habet: tum denique major probabilitas non tollit minorem, simulque stare possunt, nec concursus unius impedit vim motivam alterius, & facultatem intellectûs assentiendi: licet enim major probabilitas majus pondus assentiendi imponat intellectui, non tamen necessitatem inferat: cum ergo utraque probabilitas, etsi opposita, maneat adhuc intra metas probabilitatis, poterit sanè intellectus determinari per voluntatem, ut uni potius parti assentiatur, quam alteri. Sicut autem in opposita probabilitate majori & minori intellectus potest ex determinatione voluntatis adherere parti minùs probabilis, ita etiam voluntati pro praxi licitum est, quamcunque eligere, quia minorem probabilitatem eligendo & sequendo, relicta majori, non agit contra rectam rationem, sed adhuc cum prudenti ratione: quod sufficit ad honestam actionem; neque enim aliquis vel prudentissimè

uissimè vel magis prudenter tenetur operari, sed solum prudenter, modò practicè absque dubio operetur.

112. IV. Licitum est sequi sententiam alienam & minùs probabilem contra propriam probabiliorè, etiã retentam. Sanch. l. 1. Mor. c. 9. n. 15. Sancius D. 14. n. 8. D. 33. n. 32. & D. 41. n. 7. & D. 44. n. 31. 32. 33. Palau T. 1. tr. 1. D. 2. p. 2. & alij permulti: non enim talis aget contra conscientiam propriam, quia iudicium illud speculativum probabile, quo immediatè ipsi objecto assentitur, vel dissentitur, non est regula actionis humana: neque enim conscientia recta, ut *suprà* n. 3. & 4. vidimus, esse potest iudicium opinativum seu probabile, sed est iudicium Prudentiæ, quo quis iudicat, licitum esse, in incertis secundum opinionem, quæ ut probabilis & in praxi tuta à viris doctis defenditur, operari. Et hoc iudicium est certum, deductum ex alijs principijs practicis, videlicet; *sententia probabiliter docti, aliquid esse licitum agere, fas est & licitum se accommodare.* Est autem sententia, quæ probabiliter docet, contractum v. g. mutui esse licitum, administrationem Sacramenti in hac vel illa forma, vel materia esse licitam (dico *licitam*, quia sequi sententiam probabilem de valore Sacramenti prohibuit S. D. N. Innoc. XI. 2. Mart. 1679.) Ex quibus principijs sequitur illud, quod dixi; ergo fas est, secundum hanc sententiam operari. Et in hoc ultimo iudicio consistit Conscientia.

113. V. Licitum est, opinionem probabilem, circa idem numero objectum, quam quis semel amplexus est, mutare, & secundum oppositam operari. Dicast. de Euch. tr. 4. D. 2. dub. 17. q. 5. n. 323.

Bardi de Consc. probab. c. 14. & alij. Non enim est fundamentum obligationis manendi in sententia semel electa: neque enim homo suarum opinionum mancipium est, aut esse debet. Et sanè si prudenter egit, dum amplexus est hanc opinionem probabilem; quid, quæso, imprudentiæ est, eã relictâ sequi alteram oppositam, itidem probabilem.

114. Sed enim ne regula hæc cuiquam sit scopulus, aut lapis offensionis, addenda est limitatio, ut habeat solum locum tunc, cum ea variatione facta non occurrat aliqua circumstantia, aut ratio, quæ alteram sententiam reddat omnino improbabilem; qualis est, si legis (cujus obligatio alioqui certò urget) aut alieni juris certi violatio sequatur, ita ut supposita ea variatione non sit amplius integrum legem implere, vel jus alterius illasum servare. Si enim v. g. ex duobus horologijs (hæc enim, ut communiter docent, subeunt vicem probabilium sententiarum, nisi de errore manifestè constet) possim sequi tardius, atque Vesperas cum Completorio differre usque post primum pulsam prioris horologii celerioris, eoque audito mutare mentem & dicere, tempus, pro quo obligabat officium, jam esse elapsum. Ecce! quomodo eludatur præceptum horarum Canonicarum. Eodem modo de jejuniis ecclesiasticis, & naturali ad communionem requisito discuti poterit.

115. VI. Potest Confessarius, vel alius vir doctus contra suam opinionem, alijs consulentibus respondere secundum probabilem aliorum sententiam; modò non sit specialiter prohibicum. Palau p. 3. Bonnac. de peccat. D. 2. q. 4. p. 9. n. 6. Sancius

cius D. 41. n. 7. & D. 44. n. 50. Dian. p. 3. tr. 13. R. 14. & alij. Imò potest modò juxta unam, modò juxta alteram responderè: si enim quisque potest secundùm alienam, etiam minùs probabilem sententiam semet in suis actionibus dirigere, cur non & alios possit? Imò contingere potest, ut aliquando per persona, quæ consilium petit, si valde scrupulosa, vel remedium alioquin illi dandum secundùm probabiliorem opinionem, sit valde difficile aut onerosum: hoc proinde casu prudentia dicat, hic & nunc consilium dandum esse juxta opinionem minùs probabilem, in qua datur facilius remedium: v. g. si ex consilio dando pendeat reiteratio confessionum totius vitæ retroactæ, vel restitutio magna, quæ difficillimè fiet, & sit opinio minùs probabilis liberans ab utroque onere, prudentia dicat, licitum esse, respondere juxta opinionem minùs probabilem. Quin cum is, qui petit consilium in casibus ad suam Conscientiam spectantibus, communiter intendat scire, an sit pars benignior, quam sequi liceat sine peccato, debet interrogatus, posito, quòd consilium dare caperit, respondere juxta opinionem, interroganti favorabiliorem, etiam minùs probabilem, etiam alienam. Excipe, nisi fortè interrogans expressè velit, consilium sibi dari juxta ipsius interrogati opinionem: tunc enim secundùm propriam, non alienam, quamvis probabiliorem, erit respondendum: nisi fortè etiã in hoc casu peculiaris ratio aliud suaderet, ut si ex manifestatione propriæ sententiæ gravia sequerentur incommoda.

116. VII. Quilibet Confessarius seu proprius seu delegatus potest sequi, vel saltem permittere opinionem pœnitentis probabilem; etsi ipse contrariam sustineat,

aut etiam putet, pœnitentis sententiam esse falsam, modò tamen sciat, eam ut probabilem ab alijs peritis defendi. Sanch. n. 28. & 31. Bon. n. 8. Palau p. 4. n. 2. Sanch. D. 33. n. 28. & 54. & D. 44. n. 31. & alij. Et procedit hæc regula, etsi Confessarius evidenter sciat, opinionem pœnitentis esse falsam, adeoque sibi improbabilem: modò simul prudenter opinetur, pœnitentem esse in bona fide, & errare invincibiliter. Ratio est: quia, ut licitè Confessarius absolvat pœnitentem, non tam debet attendere, an erret, vel non, quam an sit bene dispositus, vel non. Quod si dispositum noverit, licet judicet, vel etiam sciat eum errare, poterit absolvere illum, qui attentis omnibus circumstantijs est in oculis DEI, & cujusvis viri prudentis dignus absolutione, sicut est is, qui sequitur opinionem probabilem: non quidem judicando, eam pœnitentis opinionem esse veram, sed judicando, se tutà conscientia impendere absolutionem pœnitenti, qui bona fide & probabiliter putat, se non malè egisse, quod egit. Vide *inf. l. 2. n. 133.*

117. Quocirca, quod bene NOTANDE, & fortè paucis notum est, in intellectu Sacerdotis, contra suam opinionem tentam absolventis, esse simul duo hæc judicia, & quidem de diversis objectis, scilicet: *ego opinor, pœnitentem falli, sed tamen non mala fide adherere sua opinioni, etsi non meo; sed aliorum judicio probabili; & Ego judico, illum absolvi posse.* Prius judicium est opinativum & objectum illius non est absolutio danda, vel non danda; neque ea opinatio Conscientia est Sacerdotis. Posterius judicium habet pro objecto suo absolutionem, estque recta Conscientia Sacerdotis, & judicium Prudentis.

dentia. Quare etsi tutâ conscientia quemque, certò veritatem non scientem, opinari liceat, pœnitentem in sua opinione errare vel non; imprudenter tamen & improbabiler opinatur, qui censet, posse non impendi absolutionem pœnitenti bona fide opinanti, posse absolvi, sive dein ita opinando erret, sive non. Et ita discutendum est in quacunq; alia materia, circa quam sunt variæ opiniones, secundum quas contra propriam aliquid fit. An autem Confessarius debeat impendere absolutionem secundum pœnitentis opinionem variant auctores. Quidam apud Palaum n. 1. affirmant de proprio seu ordinario pœnitentis Confessario; de non proprio seu delegato negant. Alij rectius affirmant de utroque Palaus n. 4. Sanch. n. 29. & 30. Sancius D. 33. n. 54. Bonac. n. 9. Suar. de pœnit. D. 32. f. 5. n. 3. modò jam sit incepta confessio. Nam Confessarius delegatus non tenetur audire pœnitentem, neque ejus sententia se conformare, ante inchoatam quidem confessionem. Palaus n. 4. Sancius D. 44. n. 10. Suar. n. 2. Vide infra lib. 2. à n. 132.

118. VIII. Etiam in administratione Sacramentorum licitum est sequi minus probabilia relictis probabilioribus. Sanch. n. 33. & l. 3. de Matrim. D. 20. n. 4. Palaus p. 5. n. 5. & alij. Ratio est: tum quia si ministri Sacramentorum semper deberent probabiliora sectari, innumeris scrupulis involverentur: tum quia iidem Ministri adhuc prudenter operantur, neque, quamdiu de veritate oppositæ sententiæ non sunt certi, majori periculo culpabili Sacramentum irritandi se exponunt, quam si probabiliora sequantur; sepe enim,

quæ probabiliora videntur, falsa sunt. Excipe I. nisi communis & recepta Ecclesiæ praxis, vel speciale præceptum, quo certæ alicujus sententiæ alioqui probabilis usus prohibetur, obstet. Excipe II. Ea, quæ jure Divino spectant ad valorem & essentiam Sacramenti: horum enim defectus ab Ecclesiâ suppleri non potest, sicut potest in ijs, quæ sunt juris merè humani, ut est jurisdictio absolvendi: hæc enim cum de jure tantum humano requiratur ad Sacramentum validè administrandum, potest defectus, si quis fortè in ea contingat, ab Ecclesiâ suppleri; & defecto suppletur in Sacerdote, qui publico & communi errore habetur pro vero Confessario, debita jurisdictione instructo, cum tamen non sit, de quo infra lib. 1. num. 53.

119. IX. Licitum est interroganti, si unius resolutio non sit grata, alium & alium adire, usque dum inveniat gratam resolutionem, dummodo recta intentione procedat: utitur enim jure suo, quod habet ad investigandum, num sit aliquis, qui eximat ab onere, quod alij imponunt. Bonac. q. 4. p. 9. n. 10. Sanch. l. 1. Mor. c. 9. n. 24. Ac timendum est periculum errandi, ne fortè talis, dum lucem quærit, involvatur tenebris, & loco Doctoris inveniat cæcum, qui eum in foveam præcipitet. Et ideo sic investigantem Navar. in Man. c. 17. n. 83. & alij reprehendunt, dicuntque, eum peccare mortaliter.

120. X. Licitum est, etiam in articulo mortis opinionem probabilem sequi, relictâ probabiliori: non enim major est obligatio DEUM non offendendi, aut salutem suam procurandi in articulo mortis,

tis, quàm extrà : potest autem quisque sententiam etiam minùs probabilem citra culpabile periculum formali offense Divinæ, vel salutis amplecti extra mortis articulum, ergo etiam in eodem: alioquin enim etiam hîc omnia scrupulis & anxietatibus plena forent. Sancius D.9. n.8. Dian. p.2. tr.13. R.9. cùm tamen si uspiam alibi, tunc ubi omnia timoris plena sunt, mens solatio, spe, & fiducia in DEI bonitatem sit implenda & erigenda.

ARTICULUS IV.

Regula dirigendi conscientiam dubiam.

121. Nota I. Dubium generatim nihil aliud esse, quàm fluctuationem quandam intellectûs inter utramque contradictionis partem hærentis & nescientis, utri earum assensus sit præstandus. Potest autem hoc dupliciter fieri. I. ut pro neutra parte occurrant rationes, intellectus tamen hæreat anceps, ita ut in neutram partem se determinare possit. II. ut in utramque partem occurrant rationes. Si priori modo contingat dubium, à plerisque vocatur *Dubium negativum*; sed, si rectè sentimus, id non tam dubium est, quàm mera ignorantia: ut cùm dubitamus de stellis, vel arenis maris, sintne numero pares, an impares. Si verò posteriori modo contingat dubium, intellectus adhuc dupliciter se habere potest. I. ut judicet, rationes pro utraque parte occurrentes esse quidem dignas, quæ retardent assensum, vel dissentium pro alterutra parte opposita, neutrius tamen partis rationes tam dignas

esse, ut mereantur assensum vel approbationem præ rationibus partis opposita. Hinc quando dubitans de aliquo objecto dicit, se non posse se resolvere in alterutram partem oppositam, sensus est, quòd, licet judicet, utramque partem, vel rationes utriusque partis esse quidem æstimabiles neutra tamen pars alteri præferenda sit. Et hoc dubium est *positivum ac proprium*. Alii dubium *positivum* appellant, cùm vel utraque pars judicatur probabilis, vel rationes ipsæ, quæ pro utraque parte occurrunt, reflexè judicantur probabiles, id est dignæ, quæ assensum mereantur, interim tamen intellectus neutri partium propositarum assentitur. Sed hoc propriè non est dubitare, sed inter duas sententias verè probabiles constitutum esse, & fluctuare. II. fieri potest, ut intellectus omnem omnino assensum, seu iudicium formæ circa partes oppositas, & earum rationes suspendat ex imperio voluntatis, deterrita à motivis contrariis, quæ voluntas approbat, & facit, ut intellectus quoque eadem virtualiter probeat, hoc ipso quòd propter illa suspendat assensum: hoc enim moraliter idem est, ac affirmare, motiva illa talia esse, ut faciant rem dubiam. Et hoc dubium vocatur *proprie negativum* ad distinctionem illius, quòd paulò antè dixi, non tam dubium esse, quàm meram ignorantiam.

122. Nota II. Dubium aliud esse Juris, aliud Facti. Dubium Juris dicitur, quod est de obligatione, vel facultate legitima aliquid faciendi, vel de valore actûs & similibus aliis ad Jus spectantibus, v. g. an extet lex; an votum editum sit validum; an Subdiaconus recens ordinatus

natus sit obligatus ad horas Canonicas; an Baptismus collatus sit validus &c. Dubium facti est, cum mens anceps est, ut judicare nequeat, an opus, quod est impositum, sit factum, aut de aliis ad opus spectantibus: v. g. an horæ Canonicae sint recitatae? an, si recitatae sint, debito modo, & attentione? an Baptismus sit collatus, & attentione? an peccatum sit commissum? an illud sit confessus? an ætas ad legem jejuniæ ad Sacros ordines recipiendos requisita, sit completa &c.

123. Nota III. Dubium Juris subdividi in merè speculativum, & practicum. Illud est, cum directè non quæritur de praxi, seu actione humana, sitne licita, necne, sed de aliquo alio v. g. an res, quam possideo, mea sit. Istud verò est, cum de ipsa praxi quæritur, v. g. an actio aliqua sit licita? Quod iterum duplex est. Unum generale & abstractum; cum nimirum generatim quæritur, v. g. an liceat die festo laborare, omittere Sacrum &c. Alterum est propriè practicum, cum nimirum in particulari dubitatur, an hîc & nunc possim die festo laborare, aut omittere Sacrum, an hîc & nunc teneam jejunare &c. Et hoc dubium vocatur meritò propriè practicum; quia est proximè de operatione humana. At dubium illud generale est remotum à praxi, & idcirco etiam subinde speculativum appellatur, comparatione videlicet alterius magis practici dubii. Ceterum ex dubio facti sæpe oritur dubium juris, v. g. dubius de homicidio commisso incipit dubitare, an sit excommunicatus, aut irregularis: dubius de peccato commisso incipit dubitare, an illud confiteri teneatur &c. Similiter ex dubio juris merè speculativo oritur practicum: v. g. dubius

de valore Baptismi incipit dubitare, an sit repetendus? an res, de qua dubitatur, an sit propria, retineri queat, vel alienari? &c. Quoniam autem, quod bene notandum est, non omnino idem est, dubitare, an lata sit aliqua lex de aliquo opere faciundo, vel omittendo: & dubitare, an liceat mihi opus hîc & nunc facere vel omittere, seu, an illud opus faciundo, vel omittendo peccem: idcirco ut in præsentibus dilucidius procedamus, tertium dubiorum genus addendum videtur, videlicet de honestate, & turpitudine operis faciendi. His ita positis traduntur sequentes regulæ de re proposita.

124. Regula I. Non est sufficiens causa dubitandi, non ampliùs esse memorem, v. g. se aliquid commisisse, consensisse, confessum esse &c.

125. II. In dubio melior est conditio possidentis: id est, cum oritur dubium circa aliquid, possessio est sufficiens titulus ad formandum dictamen practicum, rem vel actionem esse licitam, v. g. rem, quam possideo, & dubito de ea, num mea sit, me posse retinere, modò simul habuerim debitam diligentiam inveniendi veritatem, de qua postea. Habet verò hæc locum non tantum in materia Justitiæ, sed etiam cujuscunque alterius virtutis v. g. religionis, obedientiæ, temperantiæ &c. Sanch. l. 1. de Matrim. D. 9. n. 11. & l. 2. D. 41. n. 32. & lib. 1. Mor. c. 10. n. 11. Bonac. de peccat. D. 2. q. 4. p. 7. n. 13. Suar. de Relig. T. 2. tr. 6. l. 4. c. 5. n. 7. & T. 5. in 3. p. D. 40. f. 5. n. 15. Palaus tr. 1. D. 3. p. 6. n. 1. Sancius D. 42. n. 7. Coninch. de Sacram. D. 34. d. 10. n. 86. Dicast. de Euchar. tr. 4. D. 9. d. 17. n. 299. & quam plurimi alii.

126. III. Ut autem cognoscatur, quis sit in possessione, non est facile dare generalem aliquam regulam. Communiter ajunt, pro eo sive in favorem illius judicandum esse, pro quo stat Juris præsumptio: & ideo si præsumptio faveat obligationi, voluntatem teneri ad id, de quo dubitatur: si autem faveat libertati, non teneri. Bonac. n. 14. Sanch. cit. c. 10. n. 13. & alii. Quia Jus nihil temerè præsumit, sed ducitur justâ causâ ad præsumendum; aliâs præsumptio esset injusta. Unde si Jus præsumit in favorem unius partis, signum est, possessionem, de qua est dubitatio, se tenere pro eadem parte. Et tunc ipsa juris præsumptio habebitur pro veritate, & secundum illam decidendum est, ut notant communiter DD. & definitur in *Instit. de Interdictis. §. retinenda*. ibi: cum obscura sunt utriusque jura, nempe litigantium partium, contra petitorum judicari solet. Sed hæc regula difficilis est, nec rem omnino dilucidat; non enim semper constat, pro quo stet præsumptio, cum jus commune sæpe resistat possessioni.

127. Videtur ergo clarius dici, tunc pro libertate hominis standum esse, quando dubium est circa actionem, quæ obligationem quasi primò introducit; contra libertatem verò standum esse pro obligatione, quando dubitatur de re, quæ ab obligatione excusare vel eximere deberet. Vel aliter in hunc modum; si obligatio est antiquior seu prior dubio, standum est pro obligatione; pro libertate verò, si per ipsum dubium obligatio primùm quasi subintrat, vel contrahenda est: v. g. qui dubitat, an votum, quod fecit, sit validum, non tam dubitat, an

R. P. Sto. Trib. Pænit.

obligationem contraxerit, quàm an ab obligatione, quam votum præcedens secum attulit, eximatur per illud dubium. Econtra verò qui dubitat, an votum emiserit, dubitat, an contraxerit obligationem, id est, an fecerit id, quod secum adfert obligationem. Item, qui dubitat, an hora duodecima noctis audita sit, si dubitat, quia vult vesci carnibus, quibus eo die non poterat vesci, dubitat, an eximatur ab obligatione: econtra verò qui de eadem hora dubitans idcirco dubitat, quia timet, ne à carnibus, quibus alioqui hodie vesci licebat, abstinere debeat, non dubitat, an à præcedenti obligatione eximatur, sed an non aliqua de novo intret, seu contrahatur. Et ita in aliis materiis. Duplex ergo dubium est, unum, an obligatione, quam aliunde constat adesse, eximar; & hoc non suffragatur homini: alterum, an obligationem primùm contraxerit; & in tali dubio faveat homini possessio.

128. IV. Ut exortò circa rem aliquo dubio prudens dictamen practicum formari possit, dubium est deponendum assensu determinato in alterutram partem. Bonac. n. 12. & 13. Debet autem id fieri per motivum aliquod rationabile; nam pro libita per solum affectum & voluntatem se resolvere non est satis: non enim hoc pacto periculum malè operandi evitatur. Diligentia ergo adhibenda est, ut veritas deprehendatur: & quidem si eâ adhibitâ veritas non deprehendatur, dubium illud est invincibile, & habet se instar ignorantie invincibilis.

129. V. Si post omnem diligentiam adhibitam veritas investigari non potuit, consultum quidem est, ut in dubio ea

Bbb

pars,

pars, quæ est tutior, hoc est, quæ juxta dicta supra n. 104. remotior est à periculo materialiter peccandi, eligatur; id tamen non est de præcepto, nisi vel dubium sit de honestate & inhonestate operis: vel in casu aliquo particulari aliud suadeat Superioris præceptum, aut juris dispositio.

130. VI. Ea, quæ sunt facti, in dubio non sunt præsumenda. Ita Juristæ communiter, qui id desumunt ex variis juribus, præcipuè ex *L. in bello. §. facta. ff. de captivis & postliminio reversis*. Cui affine est illud, quod dicitur *l. 2. ff. de probationibus*: ei incumbit probatio, qui dicit (seu affirmat aliquod factum) non qui negat: nisi præsumptio magis sit pro affirmante aliquid factum esse: quò spectat etiam altera regula: factum in dubio præsumitur, quod de jure faciendum erat: existimandum enim est, aliquem suo officio satisfecisse, & in eo, quod egit, nihil necessarium omisisse, cum delictum & defectus non præsumi, sed probari debeat: ut si constet aliquem votum emisisse, dubium autem sit, an habuerit animum obligandi se, pro voto standum est: licet enim intentio sit quid facti, si tamen præsumeretur defuisse, delictum præsumeretur, quod non est faciendum. Huc facit etiam illud, quòd ea, quæ communiter fieri solent, præsumantur facta, dum contrarium non probatur; ut Menoch. *l. 6. de præsumpt. 14. n. 16.* ex variis juribus docet: quod Mascard. *de probat. T. 2. Conclus. 732. n. 30.* intelligendum ait, cum constat de facto principali, & dubium est de accessorio, quod solitum est fieri; tunc enim factum præsumitur: secus est, si

dubitetur de facto principali; tunc enim non præsumitur factum, etsi fieri soleat: v.g. testamenta fieri solent, sed non præsumuntur facta: & ideo, qui asserit, testamentum factum esse, debet id ostendere: at si constet de testamento facto, dubium autem sit, an Notarius de eo fuerit rogatus, cum hoc sit quid accessorium & solitum fieri, præsumitur rogatus. Quod si tamen concurrant causæ præsumendi, etiam ipsum factum principale præsumi, Mascardus. *n. 7.* confirmat ex variis canonibus.

131. VII. Cum agitur de oneris impositi gravitate, in dubio semper pro leviori præsumendum est: quod vel maxime locum habet in oneribus, quæ quis ultroneè sibi imponit, ut sunt vota; quique enim præsumitur, tantò minorem obligationem voluisse subire, quanto minorem potuit. Sumitur ex *Reg. 30. in 6.* In obscuris minimum est sequendum. Huc facit etiam id, quod habetur *L. quidquid adstringenda ff. de Verb. oblig.* ubi, cum tractatur de obligatione introducenda, decernitur, strictam interpretationem faciendam esse: verba legis hæc sunt: quidquid adstringendæ obligationis causâ dictum est, id, nisi palam exprimat, omissum esse intelligendum est, aut secundum promissorem interpretandum: cui favet *regula 2. de regulis juris*, ibi: ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretentur. Quod vel maxime locum habet in pœnis per *regulam 49. in 6.* odia restringi & favores convenit ampliari. Hinc est & illud, quod habetur *Reg. 11. eodem.* Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori: id quod etiam

etiam reperitur *Reg. 167. ff. de R. 7. favorabiliores potius rei quam actores habentur.* Nec extra considerationem debent esse hæc principia: nemo potest ad impossibile obligari, *Reg. 6.* Et: quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. *Reg. 61.* Et: inspicimus in obscuris, quod est vero similis, vel quod plerumque fieri consuevit. *Reg. 45. eodem.* Et hæc sunt generaliora principia, quæ ad conscientiam dubiam spectant; ex quibus bene perpenſis possunt aliæ magis particulares regulæ, seu propositiones practicæ deduci. Sit ergo regula.

132. VIII. Illicitum est operari, cum dubium est de honestate vel pravitate operis hinc & nunc faciendi, & perseverat: qui enim sic operatur, non videtur curare, an illud, quod agit, peccatum sit, nec ne, neque excludit per determinatum judicium ejus operis malitiam: atque adeo hoc ipso eam virtualiter amat: perinde enim est, ac si dicat: sive in objecto sit malitia, sive non, illud volo: qui actus haud dubiè malus est. *Sanch. l. 2. de Matrim. D. 41. n. 6. & alij.*

133. IX. Est autem peccatum eo tempore commissum ejusdem speciei cum illo peccato, de quo dubitatur, an in tali actione reperitur: voluntas enim amplectitur objectum sub ea ratione, sub qua ab intellectu proponitur, si non certò, saltem dubitanter: & ideo si quis dubitet, an sit peccatum mortale, peccat mortaliter: si an sit Sacrilegium committit Sacrilegium &c. si an sit peccatum veniale, peccat tantum venialiter: sicut & si præcisè dubitet, an sit malum: ita ut malitia solum in confuso apprehenda-

tur, nec an sit gravis ea vel levis. *Arriag. D. 23. s. 2. subs. 1. n. 10. & alij.* Aliud est, si dubitetur, an gravis sit vel levis: tunc enim est peccatum mortale, eo dubio perseverante operari.

134. X. Judicium verò illud de bonitate objecti requisitum ad hoc, ut dubium deponi possit, non debet esse incertum: ut excludat formidinem oppositi: sufficit judicium probabiliter judicans, hoc vel illud honestè fieri; quamvis non sine formidine oppositi. Hoc enim judicio supposito potest satis firmari certa veritas: à me in hunc ferè modum: Ego hinc & nunc bene operor, quia, dum probabile judico, hoc esse honestum, satis prudenter illud judicium in praxi sequor: non enim probabile est, sed certum, quemlibet motum ex opinione probabiliter bene, & sine peccato operari, quia in humanis, ut cum prudentia (quæ est regula humanarum actionum) operemur, non est nisi probabilitas necessaria.

135. XI. Qui peccat ex conscientia dubia, non est obligatus ad hanc circumstantiam in Confessione explicandam: v. g. qui dubitat, an hodie sit dies festus, & nullà diligentiam ad hoc dubium deponendum adhibet, omittit Sacrum, satis est, si dicat: *die festo non audivi Sacrum*: qui dubitat, an sit dies jejuniij ex præcepto, & sine ullo examine, aut veritatis indagine comedit carnes, satisfacit, si dicat: *esu carnum violavi jejunium.* Ratio autem horum est; quia hæc in objecto habent eandem speciem malitiam. *Bonac. de pecc. D. 2. q. 4. p. 7. n. 3. Excipe I. Nisi peccato annexa sit censura vel reservatio: cum enim tam hæc,*

quàm illa, utpote odiosa, intelligatur lata in peccatum, quod certò ex se, & ex objecto suo tale est, non comprehendit peccatum, quod ex conscientia dubia est tale. Et ideo si dubitans an furtum unius assis sit peccatum mortale & reservatum, (quìa fortassis in tali Diœcesi furtum mortale reservatum est) furetur assem, peccabit quidem mortaliter, si eo dubio perseverante furetur; casum tamen reservatum non incurrer, imò nec censuram v.g. excommunicationis, si fortè contra furtum mortale sit lata: nulla enim in dubio seu juris seu facti censura incurritur: imò nec irregularitas, nisi in dubio commisi homicidij; hic enim casus & quidem solus reperitur in jure exceptus: ut proinde is, qui dubitat, an suo icu percussus alter obierit, sit irregularis. Bonac. n. 21. Excipe II, nisi eadem conscientia dubia explicanda sit, ut delictum cognoscatur. Si enim puer v. g. dicat, se violasse jejunium præceptum, & nihil aliud addat, Confessarius judicabit, eum non peccasse. Dicat ergo puer, se, cum dubitaret, an, si in die jejunij comederet, peccaret, comedisse: & sic Confessarius intelliget peccatum, quod puer ille verè commisit.

136. XII. In vero dubio juris seu naturalis, seu positivi, si post diligens examen adhuc manet dubium, ut judicari non possit, an lex sit lata, ea lex non obligat, & consequenter non peccat, qui tunc alterutram partem dubij sequitur: talis enim censetur laborare ignorantia invincibili, quæ juxta dicta supra n. 17. prope finem excusat à peccato. Sanch. l. 1. c. 10. n. 32. & l. 2. de Matrim. D. 41. n. 34. Filliuc, tr. 21. c. 4. n. 163. Dian. p. 4.

tr. 3. Resol. 21. §. unde sequitur. Idem est, si dubium sit, an lex ad aliquem casum se extendat. Palaus tr. 1. D. 3. p. 7. n. 7. hoc enim idem est, ac dubitare, an lex sit lata, aut an uti sit recepta. n. 4. & tr. 3. de legib. D. 1. p. 13. Dian. p. 1. tr. 10. R. 3. & 4. & p. 4. tr. 3. R. 14. hoc enim perinde est, ac dubitare, an lex aliquando obligaverit: Palaus n. 4. cit. & tr. 3. de legib. D. 1. p. 13. imò & an sit promulgata, Palaus n. 4. lex enim sine promulgatione & acceptatione non est in possessione, quæ est frequens sententia in materia de legibus. Quinimò cum leges, & præcepta humana in notabili, (sed juxta inæqualitatem Legum inæquali, & majore vel minore) difficultate & molestia non obligent sub culpa, potest, qui dubitat, an difficultas, quam habet, sit sufficiens ad excusandum, potest, inquam, hoc ipso pro sufficiente habere & judicare, se eâ lege non obligari. Quod si de lege constet, dubium autem sit, an sit abrogata, vel ejus obligatio ob certas circumstantias, v. g. necessitatis cesserit, vel eidem sit satisfactum, secundum legem est operandum: tunc enim lex est in possessione. Sanch. l. 1. Mor. c. 10. n. 34. & de Matrim. l. 2. D. 41. n. 37. Sancius D. 43. in select. n. 8. Palaus cit. p. 7. n. 6. & alij.

137. XIII. In vero dubio facti non est semper pars tutior eligenda, etiam, cum dubium post diligens examen adhuc perseverat. Suar. de censuris D. 20. f. 5. n. 15. & f. 6. n. 5. & 8. Valent. T. 3. D. 6. q. 6. p. 4. Non est enim ratio, cur, cum rationabili juris dubio perseverante liceat partem minus tutam sequi, id non liceat etiam in simili dubio facti.

Quan-

Quando autem id liceat, quando non, ut decidatur, ad principia (superius n. 130. & seq. posita est attendendum.

138. XIV. In dubio positivo improprie sic dicto, quale supra n. 121. ex aliorum mente descripsimus, licitum est alterutram partem amplecti; hoc enim est sequi iudicium probabile, quod satis est, ut in rebus moralibus juxta rectam rationem quis prudenter agat, etiam relicto probabiliori iudicio, juxta dicta supra à n. 111. Sed enim ad meliorem conscientie dubie directionem ea, quæ hæcenus diximus, ad praxin per casus frequentius obvios, seu corollaria applicemus.

ARTICULUS V.

Corollaria practica ex dictis articulo precedenti.

139. Corollarium. I. Qui post diligens examen dubitat, an votum, juramentum, aut promissionem fecerit, potest tunc definire, se neque vovisse, neque jurasse, neque promississe. Suar. de Relig. T. 2. tr. 5. l. 2. de Juram. c. 33. n. 3. & tr. 6. l. 4. de Voto c. 5. n. 7. & cap. 6. n. 2. Fill. tr. 21. c. 4. n. 165. Sanch. l. 1. de Matrim. D. 9. n. 3. & l. 2. D. 41. n. 36. & l. 8. D. 20. n. 11. & l. 1. Mor. c. 10. n. 36. & l. 4. c. 1. n. 16. Laym. l. 1. t. 1. c. 5. §. 4. n. 31. & alij: factum enim in dubio non præsumi, sed demonstrari debet; ergo voluntas non est obliganda, nisi liquidò constet de obligatione; quò facit etiam illa regula in foro externo usitata: Nemo solvere cogitur, antequam monstraretur esse debitor. Et hoc verum est, etsi magis inclinè, ut judicet, se

votum &c. fecisse. Sanch. cit. cap. 10. n. 9. & 36. ubi revocat, quæ docuit l. 2. de Matrim. D. 41. n. 34. Dian. p. 4. tr. 3. R. 10. & alij. Quodsi autem constet de voto (quod fieri potest, si verba prolata in rigore, & secundum propriam acceptionem significant obligationem) dubium verò sit, quo animo sint prolata, obligandi se, an simulandi? pro obligatione voti &c. standum est: alioqui si præsumeretur, animum obligandi defuisse, delictum præsumeretur, quod juxta dicta n. 130. non est faciendum. Suar. de relig. ll. cc. Palaus p. 10. n. 4. Sanch. l. 1. de Matrim. D. 9. n. 13. & l. 8. D. 20. n. 10. & l. 4. Mor. c. 1. n. 36. & alij: verba enim sunt signa intentionis, dum non probatur contrarium: nemo enim dicere præsumitur, quod non sentit, L. Labeo. 7. ff. de supellect. legata. Similiter si de voto, juramento &c. quod constat esse factum, dubitetur, an sit impletum, implendum est; executio enim voti, aut alterius obligationis est quid facti, quod in dubio non præsumitur. Laym. l. c. Sanch. cit. c. 10. n. 12. Idem est, si de valore voti dubitetur ob sufficientis deliberationis defectum, ex aliqua animi perturbatione, metu mortis &c. proveniente. Sanch. cit. l. 4. c. 1. n. 13. & lib. 1. de Matrim. D. 8. n. 10. Suar. cit. l. 4. de voto. c. 6. n. 10. Palaus p. 11. n. 10. & alij: cum enim ejusmodi affectus debitam deliberationem auferre non soleant, in favorem Voti aut alterius obligationis judicandum est, nisi prætendens defectum deliberationis eum sufficienter probet. Quodsi tamen dubitet, vigile an somnians, sobrius aut ebrius voverit &c. tunc judicare poterit, se non vovisse &c. ejusmodi

modi enim impedimenta semper tollunt usum rationis ad valorem voti &c. requisitum. Suar. n. 9. Palus. n. 8. Quare, qui invincibiliter dubius est de hujusmodi impedimentis, dubitat simul de valore, atque adeo de existentia Voti &c. & sua libertatis possessionem retinet. Neque hoc est contra paulò antè dicta: etsi enim dum dubitatur, an votum (quod constat esse factum) animo ficto, hoc est, voluntate se non obligandi sit editum, etiam dubitetur de aliquo pertinente ad constitutionem & valorem (sine hoc enim animo votum est prorsus invalidum.) tamen si tunc steretur pro libertate voventis, delictum de eo præsumitur: peccatum enim est, sine eo animo vovete, quod equidem non contingit, cum statur pro dubitante, an votum sit v. g. in somno editum, vel in plena vigilia, & ideo non est mirum, quòd non æquè in illo, atque in isto casu faveatur libertati voventis.

140. II. Qui certus est de voto, dubitat verò de ejus modo & qualitate, tenetur solùm ad id, quod est minus: actus enim præsumitur ita gestus, ut minus, quàm fieri potest, voventi sit onerosus, ut tradit Menoch. l. 6. de præsumpt. tota præsumpt. 9. & habetur in cap. ex parte. de censib. ubi Abb. n. 2. & 4. ait, præsumi voventem se minus, quàm possit gravare. Et ideo I. qui vovit religionem; dubitat autem, an in communi, vel hanc in particulari, potest ingredi quamlibet, ita ut si ad hanc non admittatur, sit liber à voto. Bonac. D. 1. de restit. q. 2. p. 2. §. un. n. 5. Sanch. cit. D. 41. n. 33. & l. 4. Moral. c. 13. n. 8. & alij. II. Qui vovit, se non habiturum copulam cum

fæmina; dubitat autem, an delicta, vel illicita intellexerit, potest contrahere nuptias. Bonac. l. c. Sanch. dicto n. 33. Sanchius D. 43. n. 4. & alij. III. Qui certus est, se vovisse castitatem; dubitat autem, an perpetuam, vel temporalem; an omnimodam, vel solùm conjugalem; tenetur ad temporalem, vel conjugalem; nisi fortè meminerit, se verba perpetuitatem significantia prorsus proluisse. Dian. l. c. & R. 36. Sanch. l. 4. Mor. c. 13. n. 16. & alij. IV. Qui vovit, se recitaturum Rosarium: postea autem dubitat, an intellexerit integrum Rosarium, vel tantùm tertiam illius partem, potest eligere tertiam partem: nam & hæc dicitur Rosarium. Suar. de voto l. 4. c. 8. n. 5. & alij. V. Qui vovit nummos vel triticum; postea verò dubitat, an voverit majores nummos, vel mensuras, potest eligere minores, quales in eo loco sunt in usu. Dian. R. 48. Sanch. n. 10. nisi verosimilius præsumi queat, voventem voluisse se ad majorem mensuram, vel rem pretiosorem obligare, per Reg. 45. in 6. Sanch. n. 11. Suar. c. 7. n. 11. Eodem modo discurrendum est de legatis, de quibus non constat, an sint de majori vel minori quantitate. Bonac. l. c. Sanch. n. 8. & 11. Menoch. l. 4. præsumpt. 106. à n. 1. usque ad 17. nisi ex verbis & materia aliud constet de mente legantis &c.

141. III. Qui certus est, se ad horas canonicas recitandas obligatum esse, dubitat autem, an omnes recitaverit, tenetur eam, de qua dubitat, recitare: quia lex est in possessione. Palus p. 7. n. 7. Sanch. l. 1. Mor. c. 10. n. 12. & alij. quia obligationi certæ non potest dubia solutione satisfieri. Idem est de eo, qui cer-

tus est de debito contracto quocunque; dubitat autem, an solverit. Sanch. l.c. Palaus p. 2. n. 14. *Et alii.* At qui certus est, se recitasse; sed dubitat, an cum debita intentione & attentione, praesumere potest, se utrumque praestitisse. Idem est de eo, qui dubitat, an adhibuerit debitam attentionem in Sacro, quod ex pracepto audire debuit, & scit se audivisse. Quamquam de attentione non est magnus cuiuspiam movendus scrupulus, cum constet ex dictis p. 3. n. 257. sufficere attentionem externam, modo sit devota & religiosa.

142. IV. Qui certus est, se vovisse, dubitat autem, an ante septennium, cum vovit, perfectum usum rationis habuerit, voto non tenetur. Si vero certus sit, se plenum rationis usum habuisse; dubitet autem, an septennium expleverit, tenetur voto; quia ad voti valorem non requiritur certa aetas, sed sufficit usus rationis. Ubi tamen excipienda sunt vota status Religiosum constituenta, ad quorum valorem requiritur certam aetatem, constat ex Concilio Tridentino. Item non tenetur voto, qui certus est se vovisse ante septennium, in quo ratione nondum utebatur; dubitat autem, an illud votum postea ratificaverit, quia possidet certam libertatem contra dubiam ratificationem. Ceterum cum dubium est, an pueri habeant usum rationis, praesumendum est, habere, si septennium expleverint: quia praesumptio desumitur ex communiter accidentibus; communiter autem contingit, ut usus rationis habeatur post septennium, non vero ante illud.

143. V. Si cras sit jejunium, & post diligens examen dubites, an sit audita

duodecima noctis, potes cenare & carnis vesci: quia libertas est in possessione. Sanch. l. 2. de Matrim. D. 41. n. 40. Sancius D. 43. n. 5. Palaus tr. 4. D. 3. p. 8. n. 6. Sancius D. 43. n. 40. Bonac. n. 8. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 36. At si hodie sit jejunium, & dubites, an sit duodecima noctis, non licet: quia praceptum est in possessione. Constat enim, diem esse jejunii; dubium autem est, an jam sit transactus. Sancius n. 5. Sanch. Laym. Palaus l. c. Bonac. n. 10.

144. VI. Qui certus est, se comedisse, post diligens autem examen dubitat, an ante vel post mediam noctem; potest communicare: quia est in possessione libertatis communicandi. Sed quid? si quis noctu evigilans comedat, aut bibat, nesciens, nec scire valens, qua hora biberit aut comederit, an post horam duodecimam noctis, vel non; poteritne communicare? Sancius D. 42. a. n. 9. contendit, posse: & probabile reputat Laym. l. c. Dian. p. 3. tr. 4. R. 29. Sed Sanch. l. c. Bonac. n. 8. Palaus n. 9. *Et alii* rectius negant. Ratio est I. quia expergefactus est somno non potest in indaganda veritate de horis in somno transactis eam diligentiam adhibere, quam potest persistens in vigilia ad inquirendum, num ante vel post mediam noctem biberit, & idcirco non potest etiam prudens iudicium ferre pro sua libertate: si quod enim ferat, remere & imprudenter feret, prudenti autem iudicio ad communionem licite percipiendam nonposito, culpa vacare non potest, qui ad eam accedit. II. Quia praceptum communicandi jejunè, ut Garzias de benef. p. 7. c. 2. n. 18. apud Sancium D. 42. n. 7. tradit,

dit, est negativum, & ideo extra casum necessitatis semper obligat: ergo in casu dubii pro ipso standum est, cum sit in possessione certa; dubius, in incerta. III. quia qui dubitat de jejunio ad communionem prærequisito, dubitat etiam de dignitate ad eandem necessariâ; ergo ne indignè accedat, debet probare, se jejunum esse; cum qualitas non præsumatur, nisi probetur, juxta Menochium *consil. 1. n. 121. & consil. 35. n. 31.* probare autem non potest, qui dubius est. IV. quisque debet probare fundamentum suæ intentionis; aliàs succumbet. *L. Es, qui dicit. ff. de probat. & L. actor, quod asseverat. l. eodem:* fundamentum autem exigendi ab Ecclesia Eucharistiam, est, esse jejunum à culpa mortali in anima, & à cibo potuque in corpore; ergo dum non probat hoc fundamentum, immeritè exigat Eucharistiam. Quando autem media nox incipiat, jam supra *p. 3. n. 522.* dictum est.

145. VII. Possessor bonæ fidei, si post diligens examen adhuc dubitet, num res, quam possidet, sua sit, potest eam retinere: quia possessio illi favet. *Sanch. l. 1. Mor. c. 10. n. 76. & D. 41. Sapius citata. n. 22. Bonac. p. 2. n. 6. Palaus p. 2. n. 12. Dian. p. 4. tr. 3. R. 25. & alii.* Quin & alienare potest. *Sanch. dicto n. 22. Sancius, Palaus ll. cc.* alioqui inutilis & onerosa esset possessio. Ad restitutionem autem, si tandem verus Dominus compareat, non obligatur; nisi instar possessoris bonæ fidei. *Dian. l. c. Sanch. l. 2. Mor. c. 23. n. 86.* Unde si res extet, restituat totam; si consumpta sit, quatenus factus est ditor.

146. VIII. Qui post matrimonium

bonæ fidei contractum, incipit de ejus valore dubitare, neque post diligentem veritatis inquisitionem potest illud dubium depellere; potest uti matrimonio, debitum conjugale tam reddendo, quam petendo: dubium enim superveniens non debet bonæ fidei possessori obesse. *Sanch. D. 41. cit. n. 47. Bonac. de præcept. D. 2. q. 4. p. 7. n. 20. Suar. T. 2. de Relig. tr. 6. de voto. l. 4. c. 5. n. 16. Dian. p. 3. tr. 4. R. 295.*

147. IX. Depositarius, vel Commodatarius, si dubitet, num res, apud ipsum deposita, vel commodata suâ culpâ perierit, non tenetur ad restitutionem; quia cum delictum non præsumatur, sed probandum sit, ipse censetur esse in possessione suæ innocentiae. *Sancius D. 43. n. 11. Sanch. n. 18. Palaus p. 4. n. 4.*

148. X. In dubio non præsumitur, actum aliquem v. g. donationis, legati &c. intervenisse, juxta dicta *n. 130.* Autem de actu constet, potius est, ut validus, quam ut irritus pronuntietur. *Laym. n. 32. ex Glossa L. in contrahenda. ff. de regulis juris.*

149. XI. Qui alteri consilium dedit committendi v. g. furti, homicidii &c. dubitat autem, an alter eo consilio motus fuerit de facto ad illud homicidium &c. tenetur ad restitutionem: quia cum constet de consilio dato, dubium autem sit, an effectus inde fuerit secutus, consulens non est in possessione suæ innocentiae, ac proinde tenetur, & quidem non minus, quam si certò constaret, alterum eo consilio permotum esse.

150. XII. Quando opere jam patratò dubium oritur, an adfuerit consensus vel non; potest homo timoratae conscientiae

tiæ præsumere, se vel omnino non, vel non nisi imperfectè confesisset. Idem est, si post longum tempus oriatur dubium de peccato mortali admisso: quia cum homo sit timorata conscientia, & fuerit etiam tunc, cum hoc vel illud commisit, utique si advertisset, urfisset tam fortiter peccatum commissum, quam nunc urget dubium.

151. XIII. In dubio, an filius sit legitimus, nec ne, confendum est esse legitimum. Dian. p. 4. n. 3. R. 6. hæc enim est nativitas conformior naturæ: & quivis in dubio bonæ famæ possessionem retinere debet: in dubio autem præsumi debet, quod est honestius, ut declarat Baldus in *L. filium, n. 11. ff. de iis, qui sunt sui vel alieni juris*. Vide Palaum p. 5. per totum, ubi n. 1. ait, in dubio, an sit spurius, vel naturalis filius, habendum potius esse naturalem, quia etiam hoc est honestius.

152. XIV. In dubio favendum est pietati, religioni & salutis animarum. Sensus est, semper inclinandum esse in eam partem, quæ magis favet pietati, cæteris paribus; v. g. si puer infidelis, de quo dubitatur, an habeat usum rationis, cupiat baptizari, baptizandus est, reclamantibus licet parentibus; quia hic agitur de æterna salute pueri, cujus potior habenda est ratio, quam juris paterni, adeoque præsumendum, quod usu rationis polleat, & ita baptizandus est. E contra si parentes velint eum baptizari, puer autem, de cujus ratione dubitatur, reclamer, in favorem animæ ipsius præsumendum est, eum usu rationis nondum gaudere, & ex voluntate parentum baptizandus est. Similiter si ægrotus suâ loquelâ destitutus ingemuerit, & nesciatur, an ex dolore corporis,

R. P. Stoz Trib. Panit.

vel ex penitentiâ peccatorum gemitus prodierit, præsumitur, fuisse signum penitentiæ, & absolvitur. Idem fit in aliis dubiis, sequendo istam partem, quæ magis favet v. g. matrimonio, causæ viduarum, pupillorum, Ecclesiæ &c.

153. XV. Beneficiarius, qui ob tenuitatem beneficii dubitat de onere recitandi horas Canonicas, tenetur recitare. Palaus p. 8. n. 11. Dian. R. 25. Certum est enim, eum habere beneficium, & per consequens onus divini officii recitandi illi annexum; dubium autem est, an ab eo ob parvitatem beneficii excusetur; quando autem obligatio est certa, excusatio verò dubia, teneris obedire.

ARTICULUS VI.

De necessitate peccata dubia confitendi.

Difficilis & perardua hæc est quæstio: nec commodiorem habet locum quam præsentem. Ad eam verò planius decidendam, repetenda sunt, quæ supra n. 121. de natura & divisione dubii dixi: ea enim nisi observentur, non poterit dilucida esse & expedita istius difficultatis resolutio. Itaque

154. I. Qui dubitat merè negativè, ita ut nec pro se, nec contra se habeat rationem, potest ab omni onere immunem se reddere: hæc enim dubitatio, cum, ut dixi, sit potius mera ignorantia, non præbet ullum fundamentum decernendi quicquam in alterutram partem: sed sicut temerè & sine causa concepta est, ita etiam sine culpa deponi potest, & iudicium ferri pro immunitate dubitantis: alioqui nimis grave esset onus imposi-

ccc

tum

tum humanæ voluntati, cum nihil facilius sit, quam ejusmodi dubia concipere.

155. II. Qui ita dubitat de peccato commisso, ut ex una parte habeat rationes probabiles & sufficientes ad judicandum, se non peccasse mortaliter; ex altera verò parte habeat alias similes, & fortè probabiliiores ad judicandum se peccasse, non tenetur illud confiteri: conformat enim se iudicio probabili, quod licet. Suar. *de pœnit.* D. 22. §. 9. n. 6. Sanch. *l. 1. Mor.* c. 10. n. 76. Tamb. *in Meth. conf.* l. 2. c. 1. §. 3. n. 9. & alii.

156. III. Qui probabiliter, imò certò scit, se peccasse mortaliter, habet tamen rationes probabiles, se jam confessum esse; & alias probabiles, aut fortè probabiliiores, se non esse confessum, non tenetur confiteri: quia adhuc sequitur iudicium probabile. Coninch. *de pœn.* D. 7. d. 8. n. 68. Tamb. n. 10.

157. IV. qui habet rationes probabiles, se non peccasse; vel scit quidem se peccasse, habet tamen probabiles rationes se jam confessum esse, non tenetur illud confiteri, etsi alias nullas habeat rationes ad judicandum contrarium. Ratio est eadem: quia adhuc operatur nixus ratione probabili, quod, ut sæpius dictum, ad honestatem operis sufficit: nimis enim misera esset conditio humanæ voluntatis, si in suis operationibus moralibus non posset se accommodare iudicio probabili. Tamb. n. 11. Videri etiam potest Dicastillo *de Evch.* D. 9. d. 8. n. 134.

158. Hæc facilia sunt, & satùs clara & expedita. Major difficultas est de verè & propriè dicto dubio, seu negativo seu positivo. Sed eam expeditamus modo

præter consuetum nostrum morem scholastico. Itaque

Qui dubitat, an in tali eaque etiam gravi materia peccaverit, communissima inter Theologos sententia est, eum obligatum esse ad peccatum istud, ut dubium, manifestandum in confessione. Et nititur hæc sententia his ferè rationibus. I. est, quia in dubiis nisi possessio favoreat dubitanti, tutior pars est eligenda, ut latè probat Sanch. n. 11. Imò Vasq. & alii, qui eum sequuntur, absolūtè docent, possessionem nemini favere, præterquam in materia Justitiæ: Atqui pars tutior est, ea peccata confiteri; in hac enim nullum est peccatum, in opposita verò fieri potest, ut omittatur id, quod revera erat confitendum. Nec possessio favet dubitanti, etsi etiam extra materiam Justitiæ demus locum possessioni: ergo confessio illius tanquam pars tutior eligenda est. Non favere autem possessionem inde patet, quia præceptum confessionis in eodubio possidet.

159. Verùm hæc ratio non est omnino firma. Potest enim negari præceptum confessionis esse in possessione: neque enim possidet circa peccata dubia, sed circa certa, ut videbimus. Imò si esset aliqua possessio, potiùs esset ex parte hominis, qui ante, quàm dubitaret de commisso peccato, possidebat suam libertatem & innocentiam; & consequenter liber erat ab obligatione peccatum illud confitendi etiam tanquam dubium, & post hanc libertatem & innocentiam solum supervenit dubium: ergo ille cum præsupponatur possidens suam libertatem & innocentiam, potest ejusmodi dubium deponere ex generali.

ralibus principijs & regulis juris jam supra n. 125. allatis: est verò Regula secunda de regulis juris: dubium in meliorem partem interpretandum esse. Reg. 11. in 6. In dubio favendum esse reo: Reg. 65. eodem: in dubio meliorem esse conditionem possidentis: sicut hic possidet suam libertatem & innocentiam; & Cap. 6. de jurejur. quisque præsumitur bonus, donec probetur malus. Sicut ergo juxta mentem plurimorum in dubio voti melior est conditio hominis possidentis suam libertatem, quã per incertum votum spoliari non debet, ita in dubio peccati melior est conditio possidentis suam libertatem & innocentiam, quã non debet spoliari per peccatum incertum.

160. II. Ratio est: quia illud principium, *melior est conditio possidentis*, solum locum habet, quando dubitans obligaretur ad aliquid excedens sui dubij limites; sicut in votis & debitis Justitiæ: si enim in dubio cogendus esset vovens aut debitor solvere, obligaretur ultra dubium, & sic ejus conditio esset deterior, cum tamen ratione dubij deberet esse melior, supposito, quòd possideat: at in præfenti dubitans non obligatur ad aliquid ultra dubij sui limites; cum tantum teneatur sua peccata fateri sub dubio, quod revera habet.

161. Verùm nec hæc ratio efficax: negari enim potest, quòd, qui cogitur confiteri peccatum dubium, non cogatur ultra sui dubij limites: licet enim juxta receptam sententiam non tenetur confiteri dubium peccatum ut certum, tamen, quia cogitur confiteri dubium, videtur ultra limites sui dubij obligari, hoc ipso, quòd obligetur ad confessionem peccati

dubij re ipsa exhibendam. Nam dubium talis hominis est, an sit omnino immunis à tali peccato, quod nullo modo teneretur confiteri, si veritas rei constaret: unde defacto obligatur ad opus exhibendum, certam videlicet confessionem, quamvis incerti peccati. Itaque ut brevius & clarius prædicti argumenti difficultas dissolvatur, Sicut in alijs debitis ad nihil aliquis teneretur, eo ipso, quòd suam possideat libertatem, & superveniat dubium de obligatione, nisi tantum ad moralem & diligentem prudentiam de dubio depellendo: eã autem adhuc adhibitã ad nihil amplius teneretur (aliàs eo ipso obligaretur ultra limites obligationis ortæ ex dubio) quàm ad solam adhibitionem diligentis prædictæ: ita similiter in nostro casu, si ad aliquid aliud obligaretur, præterquam ad diligens examen conscientis, obligabitur ultra dubij limites. Quod si dicas, saltem dubium esse certum, atque adeò non esse mirum, quòd postulet certam solutionem confessionis sub dubio: contra enim est; quia solutio confessionis non oritur ex dubio, sed ex peccato: peccatum autem est incertum, an sit re ipsa commissum: solutio autem, id est confessio peccati, quamvis incerti & dubij est actus quidam onerosus, qui re ipsa certò exhibetur, cujus tamen causa incerta est ac dubia.

162. III. Ratio est: quia lex etiam pœnalis & odiosa amplianda est, quando est in favorem animæ, & ad vitanda peccata; ut latè probat Sanch. l. 1. de Matrim. D. 39. n. 5. & l. 3. D. 1. n. 8. ergo etiam lex confessionis, quæ non est pœnalis & odiosa, sed favorabilis, medicamentumque ad omnia peccata præterita post Ba-

ptimum delenda, & futura præcavenda.

163. Sed neque hæc ratio solida est: etsi enim lex non odiosa, & in favorem animæ sit amplianda, non restringenda; id tamen fieri debet intra latitudinem significationis verborum, quibus lex utitur: in nostro autem casu videri posset, verba legis se non extendere ad dubium peccati mortalis; lex enim Concilij Tridentini *Sess. 14.* ubi ex professo de Pœnitentiæ Sacramento *c. 5.* solum loquitur de peccatis, quorum post diligentem excussionem conscientia memoria habetur, & scientia; de dubijs autem nec scientia est, nec memoria.

164. IV. Ratio sumitur ex voluntate Christi: potuit enim Christus Sacramentum Pœnitentiæ ita instituire, ut ad illud non solum peccata mortalia certa, sed etiam dubia deferrentur: quis hoc neget? eum verò hoc Sacramentum ita instituisse, colligitur ex communissimè recepta & usitata praxi fidelium; optimus enim interpret legum est modus & consuetudo, quâ ab omnibus leges illæ fuerunt intellectæ, receptæ & exercitæ. Quibus accedit etiam communis & constans consensus DD. Certè hanc sententiam docuerunt Suar. Valent. Sa, Azor, Salas, Reginald. Sanch, & innumerij alij, quos post alios refert, & sequitur Dicast. *de Euch. D. 9. d. 8. n. 136.* & *de pœnit. D. 9. d. 7. n. 278.* Diana *p. 10. tr. 8. R. 44.* Tamb. *in Meth. conf. l. 1. c. 1. §. 3. n. 17.*

165. Sed auctoritati opponi potest auctoritas. Etsi enim tanto numero Auctorum non sit stipata opposita sententia, sui tamen ipsi non desunt auctores. Nam

Coninch. *de pœnit. D. 7. d. 8. n. 69.* Petrus Marchantius *in trib. sacro. tr. 4. tit. 6.* Caramuel *in Theol. Morali l. 3. d. 4. n. 1478.* Joseph. de Januar. *Resol. mor. T. 1. Resolus. 20. per totam.* Joseph. Martinon, Ferrant, quos refert Tamb. *in addit. ad locum citatum expeditæ confessionis tr. 8. R. 44.* Hi ergo omnes docent, eum, qui dubitat, an in tali eaque gravi materia peccaverit, non esse obligandum ad tale peccatum ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal perferendum, quod probabile judicat Laym. *l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 37.* saltem extra articulum mortis.

166. Et ratio potest hæc esse: quia nulla fidelibus obligatio, maxime gravis, est imponenda, nisi de ea legitime, imò, ut Tamb. frequenter inculcat, *evidenter* constet: atqui de obligatione confitendi peccata, de quibus dubium est, an sint commissa, non satis constat, ut vidimus: certè Concilium Trident. *cit. Sess. 14. c. 5.* sic loquitur: *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam* (sive scientiam, ne Concilium in & de eadem materia videatur a quivoce loqui: sive malis per Conscientiam intelligere illam, quæ est accusans vel reprehendens) *habent, in confessione recenseri, etsi occultissima illa sint &c.* quibus verbis sic utor. Censendum est, Concilium eo loco, quo ex instituto tradidit doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ ejusque materia, sufficienter docuisse fideles: at ibi aperte docet, pœnitentem debere confiteri omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem memoriam habet & conscientiam, vel, ut paulò superius loquitur, scientiam: ergo etiam docuit.

docuit, neminem debere confiteri illa, quorum post diligentem sui discussionem, nec memoriam habet, nec conscientiam seu accusantem seu reprehendentem, aut scientiam. Atqui illorum, de quibus quis dubitat, memoriam non habet, nec scientiam nec conscientiam accusantem seu reprehendentem, ut constat: neque enim ulla accusatio prudenter ab ullo iudicium admitti potest de delicto, de quo dubium est, an sit commissum: ergo &c. Hanc rationem fuse prosequitur Caramuel apud Dian, p. 10. tr. 16. R. 2.

167. Et ideo hec Christus potuerit Sacramentum Poenitentiae ita instituire, ut necesse esset, etiam peccata, de quibus dubitatur, an sint commissa, confiteri: an autem defacto ita instituerit, non est ita certum, ut haecenus putabatur; cum non desint, qui non solum de ea institutione dubitent, sed eandem etiam absolute negent, argumento forti ex Concilio Tridentino proxime desumpto. Ut quid ergo gravemus jugum fidelium? quod alioqui suave est, & leve. Et haec de peccato, cum dubitatur, an sit commissum.

168. Ceterum qui scit, se peccasse, dubitat autem de gravitate peccati, nec potest se saltem probabiliter determinare, teneatur illud confiteri: cum enim constet, eum peccasse, non est in possessione lux innocentiae; cum non habeat fundamentum probabile excusationis. Et haec est communis sententia, & forte hoc solum, nec quidquam aliud voluerunt, qui prius tanto numero steterunt pro sententia imponente onus confitendi, cum dubium est, an peccatum sit commissum.

169. Qui scit, & se peccasse, & peccatum, quod admisit, esse grave; dubitat

verò, an sit confessus, num teneatur confiteri, desumendum id est ex ipsa dubitantis conditione. Vel enim semper tuit diligens in confitendo, nec quidquam voluntarie unquam omisit; vel non, sed luride & negligenter se ad proximè imminentem confessionem preparavit. Si I. debet contemnere tanquam irrationabile dubium, & praesumere se confessum esse; neque enim sufficiens ratio dubitandi est, quod non meminisset, cum saepe vix hesternorum, aut etiam hodiernorum meminimus; nec delictum praesumendum sit, sed probandum. Praterquam quod talis non amplius sit in vero dubio, sed in opinione probabili, quam sequi licet. Si II. peccatum illud dubium confitendum est: quia praecipuum est in possessione, cum constet de peccato commisso, & obligatione confitendi: de confessione verò facta non constet: nec probabilis adsit conjectura, dubitantium illum, utpote hominem luridum, & in tam gravi negotio peragendo valde negligentem, peccatum illud aliquando confessum esse.

170. Qui peccatum commissum confessus est ut dubium, postea verò comperit esse certum, jam diu acriter decertant auctores, an talis teneatur postea hoc peccatum iteratò ut certum exponere. Sed ego cum ipsi in pugnam non descendendo: vasa ergo colligo, & ex acie me subduco. Solum breviter dico, non esse obligationem peccatum illud postea ut certum iteratò in confessione exponendi: fuit enim directè absolutum in priori confessione: hac enim de causa ad eam est delatum; ergo non indiget novâ absolutione: hoc enim commune est omnibus peccatis ritè absolutis, ut non opus sit,

iteratò confiteri, ut nimirum ab ijs directè possimus rursùm absolvi. Et hoc quivis etiam alius, qui sub dubio se de aliquo peccato coram Sacerdote accusavit, facere potest, etiam tunc, cum tam pœnitens, quàm Confessarius dubitant, an peccatum, quod de reliquo integrè explicatum est, sit mortale vel veniale, reservatum vel non.

ARTICULUS VII.

Regula dirigendi Conscientiam scrupulosam.

Sermo est de scrupulo propriè dicto, qualiter nimirum Conscientia, si scrupulis agitur, dirigenda sit, ut à recto virtutis tramite non recedat.

§. I.

Natura, origo, remedia & indicia scrupulorum.

171. Nota I. argumentum, ex quo oriri potest scrupulus seu motio animi in partem oppositam illi, de qua firmum habeatur iudicium, subinde esse tanti momenti, ac ponderis, ut ob id meritò iudicetur, improbable esse, quòd antè probabile videbatur, subinde valde leve, neque tanti ponderis, ut animum à sua sententia dimovere valeat: interim tamen tale, ut eum concutiat & anxium reddat de malitia latente fortè in actu. Si priori modo contingat motio, non est propriè scrupulus, solemus tamen quandoque impropria hac scrupuli acceptione dicere, scrupulum injectum esse illi, cui rationibus urgentibus ostenditur, illicitum esse id, quod antè licitum putabat. Si ex po-

sterioris generis argumentis proveniat motio, est & dicitur propriè scrupulus. Reginald. l. 13. n. 111.

172. Nota II. scrupulum propriè loquendo sic posse describi: *Est vana quedam, id est, ex levi, vel nulla ratione oria apprehensio de malitia seu pravitate operis, conjunctum habens metum de eadem & anxietatem in voluntate.* Dixi autem: *apprehensio.* Nam aliqui putant, scrupulum pertinere ad secundam mentis operationem, atque adeo iudicium esse, erroneum quidem illud, & nulla ratione nixum; decepti fortè ex eo, quòd ex errore quoque & dubio idem quandoque oriatur effectus: experimur enim, anxietatem & formidinem peccati oriri in voluntate ex vero dubio aut errore, aut suspitione de malo, vel ejus periculo: ob hunc ergo effectum, quem etiam iudicium in voluntate parere potest, etiam veram dubitationem, opinionem ex levis fundamentis conceptam, aut errorem vocant scrupulum. Sed non rectè; quia scrupulus potest in intellectu consistere simul cum iudicio de honestate operationis, non item dubitatio, aut iudicium de malitia ejusdem.

173. Nota III. scrupulorum genera esse ferè duo: aliquando enim sunt circa opera præterita examinanda, & dignoscenda; ut circa peccata olim commissã, eorùmque confessionem, vota facta, eorùmque impletionem, officia neglecta & similia; aliquando circa peccata & pericula deinceps cavenda; hæc sunt potissima scrupulosi paroxysmi objecta. Et ideo multi assiduè anxieque apprehendunt, peccatum esse, hoc vel illud facere, dicere, audire, omittere; in omnibus, quæ pro-

proponunt, esse verum; non esse in statu gratiæ. Unde miserè discruciantur.

174. Nota IV. Conscientiam scrupulosam non esse, ut vulgò putatur, ipsum scrupulum paulò ante descriptum, sed iudicium practicum, fundatum in scrupulo, & dictans, quid scrupulo supposito agendum sit, vel non agendum.

175. Nota V. scrupulos ex variis causis oriri. I. ex complexionem corporis redente hominem propensum ad timorem: qualis est frigida, ut apparet in fæminis, & melancholicis; frigus enim constringit, constrictio verò cordis, quæ vergit ad timorem, disponit imaginationem ad facilem propensionem mali futuri, quod est proprium objectum timoris. Unde fit, ut qui timidi sunt & apprehensivi, facile sibi malum imminere ominentur, ubi nullum imminet, atque adeo timeant, ubi non est timor. Reginald. l. 13. c. 11. n. 108. II. ex capitis imbecillitate, aliòve morbo corporis, & melancholicis ac vitiosis humoribus: hi enim, dum cerebrum, & præcipuè eam illius partem, in qua imaginatio residet, replent, inficiunt, & turbant species: unde intellectus in suis operationibus impeditur, & facile malum apprehendit, quod non est: imò quod deterius est, etiam mania, si matu- rè hic fons non obstruatur, oritur. III. Ex malo corporis Regimine, id est, ex immoderata abstinentia, vigiliâ, & aliis indifferetis macerationibus corporis: hæc enim exsiccant cerebrum, ita ut mens turbetur, & scrupuli occasionaliter generentur. Et ideo improbantur in Cap. Non mediocriter. de consecr. dist. 5. Reginald. n. 110. IV. Ex frequenti consortio & societate cum scrupulosis: est enim

scrupulositas morbus contagiosus. Reginald. n. 111. V. Ex librorum Theologicorum, præsertim tractantium de casibus Conscientiæ, minus cautâ lectione. VI. Ex occulta quadam superbia, quæ facit, ut homo iudicio suo adhærescat, ita ut intellectum nolit aliorum consilio vel iudicio submittere. VII. Ex actione scrupulosa sæpius vel aliquoties admisâ: hæc enim suo genio sollicitum reddit eum, qui timidus est, & dum angit, memoriam refricat, & ad similes actus in aliis etiam materiis vicinitatem habentibus inclinat. VIII. Ex suggestionem dæmonis, cujus proprium laqueos & angustias in animam inducere. IX. Ex divina providentia permittente, ut scrupuli excitentur vel in pœnam tepiditatis, aut delicti præteriti, vel ad animum perfectius purgandum, vel ad exercendam vel augendam humilitatem, patientiam, vel ad tollendam peccati consuetudinem &c. neque enim scrupuli tam mali sunt, ut ad nullum bonum servire queant. X. Ex ignorantia, additâ aliquando ingenii perpicaciâ, qua quis agnoscit quidem objectiones contra suam actionem, sed nescit eas solvere. Unde fit frequenter, ut timeatur tanquam peccatum, quod peccatum non est. XI. Ex nimia sollicitudine cavendi omne id, quod potest esse malum. Sicut enim, qui in angusta semita ambulans nimis attentè considerat profundum, in quod labi potest, aut circum se undique acclamari audit (cave! cades) multò magis timet lapsum, quàm lioqui timeret: ita qui nimium sollicitus est de cavendo peccato (uti est, qui etiam minima quæque, quæ in hac mortali vita caveri non possunt, sollicitè considerat) phan-

phantasiæ quasi acclamanti (malum adest: cave!) aures suas nimis attentè accommo-
dat, & timore nimio percussus, ne cadat,
periculo cadendi, & contra conscientiam
erroneam peccandi se exponit. Huc spectat
tum nimius, & indiscretus Zelus non-
nullorum, qui puritatem conscientiaë con-
servandi adeo amantes sunt, ut etiam mi-
nimas quasque culpas perhorrescant, &
maximatum loco ducant: tum etiam ni-
mius & inordinatus DEI timor, quem
aliqui concipiunt ex consideratione seve-
ritatis divinae Justitiæ in puniendis pecca-
tis, cui timori obnoxius animus variarum
difficultatum objectu tanquam procellâ
perinde agitatur, & cum meticulosus sit,
inania quadam & horrenda spectra sibi
videre videtur. Videri potest Azor T. 1.
l. 2. c. 20. q. 5. Bardi de consc. scrup. c. 3, per
101177.

176. Nota VI. scrupulosam Conscien-
tiam his ferè indicis deprehendi posse &
cognosci. I. Ex pertinacia iudicii, quâ
Doctorem consiliis non acquiescunt: unde
varios consulunt, & fatigant, ac tan-
dem nullius iudicio stant, nisi suo. II. Est
ex levi fundamento frequens iudicii mu-
tatio: unde oritur in agendo inconstan-
tia. Sic v. g. in precibus recitandis ali-
quando decies mutabunt iudicium de
his vel illis verbis non prolatis. III. est,
quod ex priori sequitur, perturbatè agere,
& cæco quodam modo in externis actio-
nibus versari. IV. est, habere reflexio-
nès impertinentes innumerarum circum-
stantiarum. V. est, timere in omnibus
peccatum, & contra sapientum & pro-
prium sape iudicium inquietum esse. VI.
est, nimium angri & turbari inter agen-
dum. Et ideo si quis in una vel pluribus

materiis diversis frequenter, & absque
idoneo fundamento dubitat & angitur,
respectu earum rerum est scrupulosus,
non tamen respectu aliarum, nisi disposi-
tivè: facile enim, qui ita dubiè procedit,
in eum labyrinthum incidit, ut inde se
explicare nequeat, & passim incipiat agi-
tari dubiis. Qui tamen in uno vel altero
casu transeunter habet scrupulum, non est
scrupulosus; hoc enim nomen frequen-
tiam denotat: sicut nec ebriosus dicen-
dus est, aut luxuriosus, qui semel aut ite-
rum se inebriavit, aut turpem actum exer-
cuit. Potest autem aliquis ex peculiari ali-
qua causa circa unum vel alterum obje-
ctum esse scrupulosus & anxius; in reli-
quis tamen minimè timoratus, sed planè
indisciplinatus inveniri: experientia enim
constat, esse quosdam in divino obsequio
negligentes, & sine scrupulo in multis de-
linquere; qui tamen in nonnullis anxie
nimis & scrupulosè agentes, nullum finem
faciunt confessionibus generalibus, & si-
milibus. Ex dictis obiter

177. Patet, scrupulositatem aliam esse
adæquatam; nimirum in omni materia:
aliam inadæquatam, nimirum in certo:
tantum genere v. g. quidam peccant li-
berrimè, & tamen confitentur scrupulo-
sissimè: & quandoque deglutunt came-
los, & excolant culices.

178. Nota VII. Ex scrupulis diversa,
eaque haud levia mala provenire: scrup-
ulosus enim sibi & aliis nocet: Sibi qui-
dem in corpore & animo: corporis enim
valetudinem destruit, vires attenuat; ab-
breviat vitam. In anima verò proveniunt
dubia, angustia, desolationes, perplexi-
tates, desperationes &c. quibus intelle-
ctus ita obnubilatur, ut etiam in meridio

cacu-

cæcuriat, & etiam evidenter certa non ampliùs credat: bona spiritalia insipida fiunt & exosa, ut scrupulosus ineptus redatur ad obsequia, sepeliat talenta naturalia, per quæ alioqui reipub. Christianæ plurimum commodi accedere potuisset: hinc subterfugiunt scrupulosi utilia officia metu committendi peccati: Confessarius nimium vexat pœnitentes, & vicissim hi illum: alii absterrentur ab officio divino, tanquam nimis aspero, in quo vident scrupulosos tam anxie cruciari. Unde Victoria in sua Summa n. 130. ait, scrupulosos infamare Sacramenta, quasi percepta nimis difficilia.

179. His ita prænotatis nonnullæ de re proposita tradendæ sunt regulæ: sed vereor, ut frustra tradantur. Est enim id genus hominum, qui scrupulis agitantur, plerumque ita constitutum; ut vel nullum mali remedium admittant, tribus etiam anticyris non sanandi; vel in ipso remedio novas tricas sentiant, faciuntque. Miseri profectò! si qui ulli; quibus tamen, ut, quantum possumus, profimus, studebimus. Quæ autem præscribemus, servient potissimum scrupulosis timoratae conscientia, qui nimirum sunt diligentes, & suæ salutis studiosi, & tam circa præterita, quam futura torquentur: non autem illis, qui sunt negligentes, & suæ salutis incuriosi, & circa peccata præterita ita cruciantur, ut tamen de cavendis parùm sint solliciti: non enim hi posteriores eodem modo curandi sunt, quo priores. Dividemus autem singula, quæ deinceps dicturi sumus, in suos paragraphos.

Sit ergo porro

R. P. Stez. Trib. Pœnit.

§. II.

Regula pro scrupulosa conscientia in genere.

180. Regula I. Licitum est, contra scrupulos strictè ac propriè sumptos, etsi perleverent, operari. Sanch. l. 1. Mor. c. 10. n. 80. Reginald. l. 13. n. 12. & l. 2. n. 112. Bonac. de pec. D. 2. p. 8. q. 4. n. 5. Palaus tr. 1. D. 4. p. 1. n. 2. Sancius D. 41. à n. 7. & alii: potest enim cum iis consistere iudicium certum de honestate operis; stante autem eo iudicio, stat etiam firma regula honestè operandi. Præterquam quod si ob quodcunque argumentum, quod facit nos formidare de eo, de cuius honestate probabiliter iudicamus, abstinere deberemus ab eodem opere, grave sanè esset & insuave jugum Christi, cum vix unquam de ulla re iudicemus sine formidine oppositi.

181. II. Non solùm licitè potest, sed quandoque etiam tenetur quis contra scrupulos agere. Sancius, Palaus ll. cc. & alii: quia, qui fovet scrupulos, potest multa & gravia mala tam corpori quam animæ inferre. Non pauca retulimus supra n. 178. præter ea ergo etiam sequentia sunt consideranda. Generale autem malum, quod animæ inferri potest, est peccatum: qui enim scrupulis nimium indulgent, graviter errare, quin & peccare possunt; exponunt enim se ipsos periculo fatuitatis, aut amentia, aut alterius detrimenti corporalis; à majori bono, scilicet, gloriâ DEI, quam abundantius promovere possent, si scrupuli non obstarent, vecorditer se sinunt im-

D d d

pediri;

pediri; pacem cordis, jucunditatem animi, filiorum DEI genuinam notam, per summam ignaviam negligunt, & seiplos tanto bono privant; Confessario satis culpabiliter in re non levis momenti inobedientes se exhibent; nec ullo modo refractarii frenati volunt, & judicium submittere, & obsecundare iis, quos loco DEI habere convenit: accusant se de peccatis, quæ peccata non sunt, & ita sacrilegè Sacramentum faciunt irritum: etsi enim unum peccatum tanquam certum adferant, peccant tamen graviter, si se de peccato mortali falsò accusent; non dignè de DEO sentiunt, quem velut tyrannum apprehendant, de quo sentire deberent in bonitate & simplicitate cordis. Sap. 1. sed neque de Christo Redemptore, & pretioso ejus Sanguine dignè sentiunt; his enim & similibus aliis compluribus offendunt profectò scrupulosi DEUM. Unde ad vitanda tot, nec levia nocumenta poterunt interdum scrupulosi obligari ad spernendos scrupulos; præsertim quando Confessarius aut Pater spiritualis id præcipit. Excusandi tamen ordinati sunt ob eam, quâ laborant, infirmitatem.

183. III. Licitum est, scrupulum propriè dictum, velut aliam tentationem rejicere, & absque ulla alia ratione pro arbitrio deponere, cum liceat contra ipsum agere, nec contineat sufficiens motivum respuendi aliquid, tanquam illicitum, quod aliàs rationabili de causa licitum creditur. Et ideo scrupulosus enim suis scrupulis non disputet, sed rectè contrarium faciat; maximè si accedat exemplum virorum proborum (hoc est eorum, qui &

affectum & judicium rectum habere præsumuntur) & illius auctoritas, cujus se directioni tradidit. Nec refert, quòd ipse argumenta in contrarium solvere nequeat: satis enim est, si credat Doctori gravi, & unius, vel aliorum dictis; & ut dixi, bonorum exemplum videat, & sequatur.

184. IV. Qui dubitat, an sit scrupulosus, potest ac debet Confessario, aut alteri viro docto id asserenti credere. Sanch. l. 1. Mor. c. 10. n. 81. in fine, & idcirco iisdem, quibus alii scrupulosi utuntur, juribus ac privilegiis uti ac frui. Etsi enim certum non sit, quòd scrupulum patiat, sed dubium; ut tamen non peccet contra scrupulum agendo, sufficit, quod sit probabile, esse scrupulum.

185. V. Qui dubitat, an id, in quo hæret, sit scrupulus vel non, potest id ipsum tutò abjicere velut scrupulum.

186. VI. Qui formidinem aut existimationem peccati ex levibus rationibus concipit, potest, imò debet illam deponere: est enim scrupulus.

187. VII. Scrupulosus debet se totum instar pueri committere Confessario vel alterius viri, & quidem unius tantùm in rebus spiritualibus exercitati judicio regendum; ejus dicta & consilia contra suam scrupulosam conscientiam pro oraculo habere: verè enim scrupulosus, dum turbatur, non est idoneus iudex, & semper se magis implicat. Nec tamen in singulis casibus ad eum recurreret; sed quod in uno casu responsum est, ad omnes similes casus applicabit; seque ipsum resolvere assuescet. Qui verò rem pluribus proponit, quæcumque, qui sibi tandem

dem dicat, quæ ipse coquit, seipsum semper magis impedit & intricat: paratus enim est, non credere, nisi dicenti, quæ optat, aut putat, se capere, & sibi iudicium retinet; cum tamen tutissimè possit, se iudicio sui directoris submittere, & scrupulum ejus iudicio deponere, certus, in eo se non peccaturum, etsi alter fortassis erret. Vide dicta supra n. 100.

188. VIII. Si quis ergo unius viri prudentis, probi ac docti responsum accipit, non debet alios consulere: alioqui affuefaciet animum ad inutiles anxietates diutius fovendas; imò & exponet se periculo peccandi juxta dicta loco proxime allegato, n. 119.

189. IX. Scrupulosus suam credulitatem habeat pro certitudine, pro qua levioribus fundamentis illi opus est, quam cuiquam alteri: quod intellige, quoad favorem & exemptionem ab aliquo onere, v. g. recitandi horas canonicas, confitendi, Sacri audiendi &c.

190. X. Scrupulosus non putet, regulas communes, quæ de eligenda parte tutiore, aliisque rebus similibus traditæ quibusdam solent, sibi esse applicandas, sed potiùs sciat, se regulis quibusdam generalibus & benignioribus, etsi quandoque minùs tutis, uti posse: producamus quasdam in medium, v. g. licitum esse, quamcunque sententiam probabilem sequi relicta probabiliori; probabile esse, quod sapientes viri dicunt; non esse abstinendum ab ijs, quæ viri docti & timorati faciunt, vel quæ alij sine prudentum reprehensione usurpant; vota dubia, an sint emissæ; & præcepta, an sint imposita, non obligare; posse quempiam e-

piicheiâ uti in legibus positivis, hoc est, non peccare eum, qui juxta mentem legislatoris operatur, licet offendat verba legis, nec peccare eum, qui observat legem juxta communem usum & sensum bonorum, licet is sensus videatur laxior; leges civiles defacto vel nunquam, vel certè rarò obligare sub peccato mortali; imò & Ecclesiasticas non frequenter: in audienda Missa ex præcepto, vel recitandis precibus ex obligatione voti vel præcepti satis esse attentionem externam devotam, & ideo quemlibet posse sine peccato gravi distractiones internas etiam voluntarias admittere: ad satisfaciendum alicui obligationi non requiri formalem & expressam intentionem satisfaciendi, modò ponatur ipsum opus injunctum; imò probabiliter etiam illum satisfacere, qui habet expressam voluntatem non satisfaciendi per illud opus, quod nunc facit: v. g. eum, qui audit Sacrum, recitat horas canonicas &c. ex animo non satisfaciendi, sed potiùs repetendi postea idem opus, non teneri repetere, licet velit pro non dictis aut factis habere id, quod dixit aut fecit: jam enim satisfecit legi, nec propria voluntate potest novam sibi legem imponere: nec Ecclesia præcepit aliud, nisi opus externum, de habenda expressa voluntate satisfaciendi suis præceptis nihil sollicita. Interim tamen si quis ita constitutus sit, ut planè nolit implere præceptum, affectu utique (licet non effectu) peccat: is enim actus internus malus est, & deponendus, quia est contra legem naturæ, quâ malum vetatur. His & alijs similibus sententiis scrupulosus putet, sibi licitum esse, uti, idque

tantiò certius ac tutius, quanto etiam non scrupulosi tutiores sunt, si & ipsi iisdem utantur.

191. XI. Cùm scrupuli incidunt, quotiescunque res fert, in aliud tempus differatur discussio, cùm mens turbata jam sit, & rectè judicare non valeat. Neque enim quisquam tenetur, se quolibet tempore examinare; hoc enim nimis grave foret.

192. XII. Non est obligatus homo, quovis tempore facere, quod faceret in articulo, vel periculo mortis constitutus; in eo enim articulo multa fortè faceret, quæ non sunt necessaria, & quæ non expedit facere in vita: quia hâc viâ fatuus fieret, aut in desperationis barathrum præceps iret. Reginald. l. 13. c. 12. n. 124. Laym. l. 1. tr. 1. c. 6. in fine. Bonac. de pec. D. 2. q. 4. p. 8. n. 4. in fine. Sanch. n. 81. Adde, quòd fortassis homo in articulo mortis constitutus teneatur quædam facere, quæ non tenetur in tota reliqua vita; quale est disponere de domo sua per testamentum. Quanquam, ut prædicti monent, etiam in articulo mortis quivis rectè & laudabiliter contemnat scrupulos; sicut iudicium practicum prudenter conceptum licet sequi in vita tempore bonæ valetudinis, ira etiam tempore mortis: neque enim ea circumstantia temporis diversificat iudicium. Bonac. Sanch. ll. cc.

193. XIII. Sciat scrupulosus, cùm dicitur, *bonarum mentium esse, culpam agnoscere, ubi culpa non est*, nomen culpæ vel accipi latius pro quolibet defectu, quem homo in se agnoscere & deplorare potest. Laym. l. 6. vel si accipiatur in

vulgari sensu pro peccato, merum illud, etsi sit indicium bonæ voluntatis, ex se tamen non esse laudabilem, sed certum iudicij scientiæque defectum, ut Navar. in Man. c. 27. n. 285. ex Gersono explicat. Interim tamen nihil omittendum, quod ad salutem procurandam attinet; beati enim sunt illi, qui semper sunt pavidi & timent, ne minus fecerint, quàm debuerint; dummodo in ea re servant prudentiæ moderationem; neque nimium justi sint, ne fortè dum nimium emungunt, eliciant sanguinem.

194. XIV. Attendat, quæ sit probabiliter origo scrupuli. An sollicitudo nimia, & Zelus? superbia? pertinacia? ignorantia & ruditas? & illam statim opprimat. Itaque timidus sentiat de DEO in bonitate & simplicitate cordis, ut non putetur legislator tam rigidus, & nimis durus pœnarum exactor, qui bonæ voluntatis hominibus peccata adscribat, pœnamque decernat, cùm potius onus ejus suave sit & leve: credatque neque DEUM, neque Ecclesiam utpote piam Matrem suis præceptis velle, ut homo ad insaniam redigatur, quod scrupuloso tandem contingit. Vide dicta supra n. 59. & seq. Superbus prudentiæ suæ non nimium confidat, & innitatur: pertinax suum iudicium frangat; rudis & imperitus petat & admittat instructionem, & consilium danti, præsertim Confessario, credat & acquiescat, certus, ut supra n. 187. dixi, se id faciendo practicè bene operaturum, etsi in contrarium aliquid occurrat. Quod si scrupuli orientur ex melancholia, abundantia humorum &c. etiam medicinam adhibeat ad atram bilem.

sem ceterosque humores evacuandos: querat honestas diversiones, occupationem continuam, maximè in activis & studio ferio, quin & conservationem cum claris, & apertis hominibus; fugiat scrupulorum consortium; jejunia, vigiliis, ceterasque immoderatas corporis macerationes vitet, uti & omnem lectionem, quæ sit obnoxia hujusmodi dubitationibus generandis.

195. XV. Scrupulos vertat in remedium, ijs in materia opposita ultrò excitatis, v. g. quòd, nisi deponantur scrupuli, diffidentia in divinam bonitatem oriatur; iudicium proprium parvum, imò pravum meliori præponatur; durities assumatur; tempus & vires perdantur; foveatur amor proprius, superbia & pertinacia &c. Hæc sanè quia culpà non vacent, facilè hominem DEI timentem inducere poterunt, ut prioribus scrupulis neglectis agat, quod ijs stantibus non fuit ausus. Et hoc est, ut ajunt, clavum clavo pellere; quod tamen si non proffit, inveteratum malum est, quod omnem respuat medicinam.

196. XVI. Cùm recurrunt scrupuli, non expedit, & ideo non debet committere scrupulosus, ut ad Confessarium, vel alium virum doctum ac pium continuo avolet, consilij causà, (sic enim & se, & illum fatigat non sine scrupulorum augmento) sed potest (& expedit, ut faciat) ipsemet perse, absque ulla necessitate eosdem ad Confessarium vel alium directorem deferendi, operati juxta regulas ab eodem jam præscriptas, aut quas seipsum præscripturum, quales nôrit esse omnes, tum quæ datæ sunt hæcenus, tum adhuc in sequentibus dabuntur. Cer-

tè prudenter se geret ita operando, etsi fortè deprehendat aliquando, se verè malè egisse; malè quidem materialiter se egisse, non formaliter, atque adeo non peccavisse, pro certo & explorato habebit. Atque hoc si quis alius potest (uti revera potest) facere, id scrupuloso multò magis erit licitum, & quandoque etiam necessarium, ne fortè, si aliud faciat, scrupulos non tam depellat, quàm corroboret, & augeat, magno utique suo malo & damno, de quo

197. XVII. Cùm scrupuli exsurgunt, ob eos depellendos non defendat se gestu aut verbis intorquendo scilicet os, movendo aut jactando in omnem partem caput, aut dicendo: *non facio: non consentio, recede diabole &c.* rilu enim hæc digna sunt, nec scrupulorum remedia. Contemnat ergo scrupulos, nec magis eos timeat, quàm magnanimus Hercules sibilum asperis, & animum ad alia convertat, absque ullo gestu. Id quod in alijs quoque tentationibus repellendis facere convenit.

198. XVIII. Hæcenus dicta de scrupulo propriè sumpto sunt intelligenda: nam si scrupulus latè acceptus (sive dubitativus ille sit, sive opinativus) occurrat, nec contemni, nec deponi potest sine ratione: neque eo perseverante semper licitum est agere: sed in eo eventu omnino servanda sunt, quæ in præcedentibus de errore, opinione, & dubio dixi.

§. III.

Regula pro conscientia scrupulosa circa presentia & futura.

199. Regula I. Scrupulosus non tenetur

Ddd 3

netur in agendo adhibere examen & diligentiam valde mediocrem, nec tantam, quantum alij: alioqui jam janua aperta esset augendis scrupulis.

200. II. Scrupulosus nihil debet illicitum aut mortale judicare, nisi primo statim intuitu certo & sine formidine cognoscat esse tale: neque debet ullo modo in longiori earum rerum examine se detinere: sed tanquam certum sibi persuadere potest, securè se credere posse, non esse illicitum vel mortale: cum enim in rebus etiam clarissimis, in quibus nec umbra peccati est, gravem malitiam apprehendat, intolerabile profectò videtur, pro peccato ipsi habendum esse, quod ut tale vanè apprehendit. Bonac. de pec. D. 2. q. 4. p. 8. §. Quintum remedium. Sanch. l. 1. Mor. c. 10. n. 82. Palaus T. 1. rr. 1. D. 4. p. 2. n. 2. Laym, l. 1. rr. 1. c. 6. n. 2. versu 11. & alij.

201. III. Scrupulosus maxime ad se pertinere id putet, quod supra n. 12. & seq. dixi, videlicet neminem peccare, nisi eo tempore, quo operatur, aliquo modo advertat malitiam: imò (quod n. 26. dixi) ut mortaliter peccet, necessarium esse, ut determinatè nôrit & occurrat, malitiam esse gravem: cum enim scrupulosus timorata conscientia etiam umbram peccati horreat, non est ulla ratione credibile, eum rem, expressè cognitam ut moraliter malam, esse profecturum. Et ideo dum scrupulus angit, nec consilium suppetit, potest liberè agere, quod vult, modò certum non sit & evidens, id esse peccatum, & quidem grave.

202. IV. Qui valde scrupulosus est, non debet quidquam mortale judicare,

nisi jurare audeat, id tale esse. Bonac. Sanch. Palaus. ll. cc. Et si in hoc casu contingat, illum re ipsa errare, & aliquid illicitum facere, non tamen peccabit: neque ideo se hoc metu angere debet.

203. V. Inter sensum & consensum magna est discrimen. Si quis ergo sentiat turpem motum aut cogitationem, non continuo damnandus est peccati, dum motus ille rationem prævenit: imò verò neque tunc peccatum est, si, postquam ratio ejus malitiam etiam perfectè novit, molestus sit, & displiceat voluntati: tantum hoc abest, ut etiam sit materia & seminarium magni apud DEUM meriti. Neque refert, eum diutius durare, modò voluntas resistat: neque enim in nostra potestate est, hos motus ita repellere, ut vel statim desinant, vel nunquam amplius, cum desierint, redeant: sicut in nostra potestate est, ijs duranti- bus non consentire. Quod si tamen voluntas ejusmodi motibus & suggestionibus, cum potest, non resistat, jam ingressa est territorium peccati: & quidem si ratio attentione & consideratione aliarum rerum impediatur, delectatio dicitur subreptitia, nec ob defectum advertentia limites culpæ venialis excedit. Sed hæc diu durare non solet, cum rationem objecto suo quasi exciteret. Si ergo adest plena advertentia, neque tamen voluntas statim contra eam suggestionem insurgit, sed pigritiâ sinit motum illum aliquâ temporis morâ extendi, absque tamen probabili periculo consentiendi, adhuc tantum veniale est, majus tamen vel minus pro ratione negligentia. Sub hæc si accedat plenus voluntatis consensus, jam est peccatum grave: imò etiam

etiam tunc, quando voluntas, cum facile possit, nec ulla causa justa adsit, non consentit quidem, neque tamen etiam dissentit, sed oblectationem, quam advertit, sensui permittit; hoc enim dum facit, consentit interpretative, quod ad peccatum sufficit, ut supra n. 46. dictum est.

204. VI. Scrupulosus, si de facienda Confessione cogitet, id serio perpendat, quod de modo ejus instituendae supra p. 1. n. 7. & seqq. dixi, satis videlicet esse, cum sincera fidelitate in discutienda conscientia diligentiam medioerem adhibere: summam & exactissimam non esse opus: neque Sacramentum illud, quod in hominis medicinam & solatium institutum est, carnificinam esse oportere; adeoque ipsos scrupulos quandoque excusare posse a materiali Confessionis integritate. Ceterum de nullo alio peccato, quam quod ab ultima Confessione commisit, ad hoc Sacrum tribunal deferendo cogitet.

205. VII. Quotiescunque homini aliquid vel dicere vel agere volenti, quod ab Ecclesiae usu, vel majorum nostrorum sensu non dissonat, quodque in DEI Gloriam tendit, occurrit suggestio, dissuadens illud propositum, adductam vel vanam gloriam vel alterius cujuscumque mali fucata quaedam ratione, tum ad DEUM est elevanda mens, & si quidem dictum illud vel factum ad ejus gloriam spectare videatur, vel certe non esse contrarium; recta adversus ejusmodi cogitationem tendendum erit, & obstrepenti nobis inimico cum S. Bernardo respondendum; neque propter te coepi, neque propter te desinam.

§. IV.

Regula pro conscientia scrupulosa circa praterita.

206. Regula I. Dubia scrupulorum in meliorem partem sunt explicanda; si enim in dubio faveretur libertati possidenti, æquum est, ut idem etiam in scrupulis fiat, Sanch. n. 84. Bonac. §. Tertium est. Si ergo scrupulus occurrat de realiqua praterita, an scilicet consenserit cogitationi turpi, blasphemiae, invidiae &c. scrupulosus, nisi certo ei & absque investigatione constet, non reputet se consensisse, & peccasse mortaliter; imò valde scrupulosus non debet judicare, se plenum consensum dedisse, nisi jurare audeat, se dedisse. Sanch. n. 82. Palaus l. c. ob rationem sup. n. 201. indicatam.

207. II. Si scrupulosus in suis functionibus bene peragendis diligentiam saltem medioerem adhibuit, neque certo, aut rationabiliter scit, se à tali consuetudine defecisse, aut aliquid intermisisse, credat, se suo officio satisfecisse. Unde non confitebitur necessario, nisi ea, quae scit esse, & commissa, & simul mortalia, neque unquam hætenus penitentiae clavibus esse subiecta. Sanch. n. 84. & seqq. Laym. versu VI. Palaus n. 4. imò & quis alius non scrupulosus hoc potest facere, & expedit. Adde scrupulosum non teneri tale quid confiteri, nisi jurare audeat, ea quae commisit, & fuisse peccata in se, & se plene consensisse, & nunquam confessum esse. Confessiones ergo prateritas non repetet, neque instituet generales: sed ubi semel

semel vel Confessarii vel etiam suo, saltem probabili, iudicio iudicavit, integrè se confessum esse, acquiescet (quod etiam non scrupuloso serviet) ad quod etiam tenebitur: alioqui infamabit Sacrum Pœnitentiæ Tribunal, & vehementer odiosum reddet. Sancius *D. 41. n. 20.* & impiè imò etiam indignè de DEO sentiet, dum apprehendet, eum, etiam suppositâ pœnitentiâ, peccata non remisisse, quod directè repugnat tum Veritati, tum Fidelitati Divinæ. Similiter dum de recitatis psalmis, de administratione Sacramentorum, de prolata v.g. absolutionis forma &c. anxius est & anceps hæret, credat, se ita egisse, & pergat in opere incepto. Fill. *tr. 21. n. 182.* Etsi enim alii contrarium eligere debeant, eò quod præceptum orandi, confitendi; &c. sit in possessione, & ideo ipsis tutior pars eligenda sit, hoc tamen tunc solùm intelligendum est, cum dubium est rationabile, & nulla ipsis probabilis ratio favet: at scrupulosus mera anxietate laborat, nullo fundamento rationabili nixus. Quodsi tamen agarur de præiudicio tertii, seu damno spirituali, & Sacerdos hæsitet, an absolverit, v.g. morti proximum, repetat absolutionem sub conditione vel expressa, vel tacita. Bardi *de Consc. scrupul. c. 6. §. 4. n. 12.*

208. III. Quia tamen scrupulosi sæpe de præteritis peccatis non tam anguntur, quòd putent, se ea non esse confessos, quàm quòd metuant, ne absque sufficienti dolore sint confessi, idcirco sciant, ad Confessionis valorem iuxta dicta supra *p. 2. n. 38.* sufficere solam attritionem, etiam eognitam ut talem, seu

dolorem de peccatis ob eorum turpitudinem, metum gehennæ &c. Hunc verò illos habuisse vel habere, vel ipsa anxietas testatur. Neque ut supra *p. 2. n. 13.* dixi, necessarium est, ut dolor ille sit sensibilis, vel valde intensus. Quare nec sensibilius, nec intensius debet quis de peccatis dolere, quàm de morte v.g. matris: sufficit, si ea detestetur ut contraria DEO. Quid verò facilius est, quàm hunc aut similem affectum ex animo concipere: *vellem, nunquam me peccasse, quia DEO displicet: quia penam à DEO infligendâ merui* &c. De proposito emendationis non est scrupulosè metuendum: etsi enim expressum non concipiatur, factis tamen jam includitur in prædicto actu. Stultum igitur est, torquere se, & velle scire, an talem dolorem certò habuerit; an ritè omnia peccata sit confessus, & similia, quæ sine speciali revelatione divina infallibiliter sciri non possunt. Videatur Bresser. *c. 6. n. 66.*

209. IV. Scrupulosus potest sibi peculiariter applicare regulas illas, quas supra pro conscientia maximè verò pro probabili dedi: eæ enim multò magis ipsi fervient, quàm reliquis.

§. V.

Regule pro conscientia scrupulosa, non timorata.

210. Inter scrupulosos reperiuntur nonnulli, qui sunt conscientie minimè timoratae, sed satis laxæ: hi fere nullo unquam circa agenda metu anguntur, sed solùm circa præterita & commissa; iis enim postquam aliquid contra rectam rationem

tionem admiserunt, conscientia statim quasi à tergo instat, & continuo instat importuni monitoris inclamat: quid? & cur hoc fecisti? idque ex proprio suo officio; ejus enim est, accusare & reprehendere: quod maximè ad præterita spectat. Unde dicimur habere remorsum conscientia, id est, agnoscere, nos malè fecisse, peccasse &c. Quia verò hi nondum omnem DEI timorem abjecerunt, (vel leat enim à se DEUM non esse offensum) idcirco valde solliciti sunt de manello, quo sua facta tegere possint, & excusare. Vident enim verò materiam & subjectum culpæ, & ideo timent, angunturque. Felices sanè! si de cavenda culpa æquè ac excusanda laborarent.

211. Ceterum, qui ejusmodi sunt, ferè non habent alias suarum operationum Regulas, quàm reliqui non scrupulosi. Bonac. de pecc. D. 2. q. 4. p. 8. n. 4. Sanch. l. 1. Mor. c. 10. n. 86. & præter eas, timorem DEI, non illum quidem, quem servilem appellant, & habent, qui nisi metus mali, aut gehennæ esset, neque se in officio continerent, neque pluris fortè facerent peccata, quàm crepitum digiti: sed illum, quem filialem vocant, & habent, qui peccata fugiunt, quia timent, ne per ea DEUM offendant, ejusque odium & indignationem incurrant. Hinc qui tales sunt, de præteritis se accusent, & deinceps suometipso discant esse cautiore: & si ita ancipites hæreant, ut nequeant se determinare in alterutram partem, referant, quod egerunt, ut dubium: salva enim tunc res est: neque postea, si animadvertant esse certum, tenentur illud iteratò in Confessione explicare, ut supra n. 170. dixi.

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

§. VI.

Regula pro confessario, vel direttore scrupulosi.

212. Is servanda omnino curet ea, quæ hætenus pro remedijs scrupulorum dicta sunt: & insuper ex ijs suas & ipse Regulas sequentes colligat. Regula I. Ante omnia necesse est, ut, qui scrupulosum directurus est, agnoscat eum verè scrupulosum esse: quo deprehenso videat, num idem sit timorata conscientia, vel laxa: unde, & quâ origine hoc malum sit ortum: hoc enim ignorato non possunt non omnia plena esse periculi: ferè sicut si medicus corporalis neque morbum, neque morbi causas & originem sciat, & tamen applicet medicamenta, non potest curatio non esse proximè periculum.

213. II. Curabit, ne in hoc morbo tollendo impatientia succumbat: si enim ulibi forti & constanti patientia est opus, hic sanè est: non enim immeritò Cajetanus hicubi exclamat: vae! vae! Confessario habenti verum scrupulosum.

214. III. Confessarius, vel alius vir doctus dux scrupulosi, gerat se instar oraculi Delphici auctoritative, & resolute respondendo, sine ulla hæsitazione, ne timidiùs loquendo scrupulos augeat: nec responsionis suæ ullam rationem aut probationem adferet. Illi autem omni ita optime scrupulos eximere nòrunt, qui ipsi aliquando ijs agitati sunt. Hac de causa DEUS quandoque viros magnos, ad salutem plurium destinatos, aliquamdiu scrupulis exerceri passus est, ut alios possent juvare: cujus exemplum habemus in nostro P. Jacobo Alvarez, qui

Ee e

post-

postquam scrupulis, quibus mirum in modum per annos complures vexatus est, liberatus est, quid pro salute animarum egerit, nōrunt, qui ejus vitam legunt.

215. IV. Non solum intra, sed etiam extra Confessionem sæpe non admittat scrupulosum ad aperiendos scrupulos, quos vellet etiam consilij capiendi causā exponere: imò reprehendat, & jubeat, ne scrupulos aperiat: nisi enim hoc faciat, nunquam finem imponet scrupulis, Bonac. de pecc. D. 2. q. 4. p. 8. n. 3. §. addo denique.

216. V. Non permittat scrupuloso Confessiones generales, absque evidenti necessitate; illique persuadeat, ut à peccatorum præteritorum memoria perinde ac à dæmonis suggestionibus abhorreat: non enim hæc tam frequens peccatorum repetitio & recordatio remedium est, sed feminarium scilicet malorum. Cogitationes turpes, infidelitatis, blasphemiarum &c. si semel aut iterum audire velit confessarius, judicans, id ad curationem & consolationem penitentis conferre, id faciat, sed unā persuadeat penitenti, se non in ordine ad Confessionem, sed solum id ad consilium permittere, si non sint certa peccata.

217. VI. Interdum etiam, si quis præter scrupulos nullam aliam ad Confessionem materiam adferat, sine absolutione eum ad Sacram Eucharistiam dimittat.

218. VII. Dubia & hæsitaciones scrupulorum semper in benigniorem partem interpreteur, memor doctrinæ supra traditæ, quod dubia, quæ ab alijs confitenda sunt, à scrupuloso non sint: & dubia, quæ in alijs fortè peccata cen-

sentur, in scrupuloso non præsumantur; interrogationes minutiores, & fortassis pro alijs necessarias ad peccatorum species cognoscendas, non inculcet. Requiritur prudentia Confessoris, ne nimium penitentem torqueat alijs & alijs interrogationibus minutissimis, sciens, quod nunquam ita exactè illum examinabit, ut ab alio doctiori non possit ulterius interrogari: sicut etiam ex parte penitentis prudentia requiritur, ne se in examine conscientiarum nimium vexet, sed humano examine sit contentus: quod cum etiam ad non scrupulosos pertineat, quid non de scrupulosis dicemus?

219. VIII. Promittat, se pro eo, si obsequatur, ad DEI tribunal responsurum, quod nonnunquam (sed non temerè) faciunt exercitati & spirituales Superiores pro conditione, & necessitate Personarum.

220. IX. Eò inducat scrupulosum, ut animo sit paratus ad parandum cæcæ obedientiæ, vel saltem ad conandum ita parere: quod si non faciat, pro incurabili illum habeat.

221. X. Eum DEO sæpe commendat; erigat animo, interdum etiam paulò asperius reprehendat, & dimittat, si quando consilio dato nō sit acquiescere.

222. XI. Si quando inciderit in scrupulosum laxæ conscientiarum, eum ad timorem DEI, ad frequentes item Confessiones & Communiones adducat. Interim tamen, si verè scrupulosus est, non est cum illo tam severè, quàm cum alijs agendum, sed regulæ prædictæ cum eodem benevolè & prudenter sunt observandæ: alioqui facilè propter molestiam, quam etiam eiusmodi scrupulosus sentit, & pro-

& propter laxam conscientiam, quâ laborat, omnem confessarij curationem fugiet, peribitque.

223. Sed enim quia mentionem conscientiae scrupulosæ & laxæ fecimus, placeat pauca adferre, quæ faciant ad indicandum discrimen inter scrupulosum & laxum. Itaque

XII. Indicia illa ex varijs desumuntur. Et I. quidem ex comparatione aliorum hominum: qui enim spernit, & pro nihilo habet, quæ alij prudentes & boni viri communiter sibi religioni ducunt, laxus est: qui verò timet, quæ alij flocci faciunt, scrupulosus. II. Ex credulitate vel incredulitate: qui enim concionatoribus non credit, eorum reprehensiones, ut immodicas exaggerationes spernit: laxus est: contra qui confessarijs, aut alijs viris doctis ac bonis, factum excusantibus non credit, scrupulosus. III. Ex interrogationibus: qui enim proprio confitens iudicio procedere solet, non adeò doctus, nemine consulto, laxus est: qui verò in rebus etiam claris dubitat, sibi que difficilibus alios atque alios identidem consulit, scrupulosus. IV. Ex modo confitendi: qui enim non satis accuratè speciem & numerum peccatorum exprimit, laxus est; qui verò hæsitanter,

perturbatè, dubiè &c. confitetur, idem sæpius repetens, sibi nunquam satisfaciens, scrupulosus. V. Ex modo agendi: nam præcipitanter & inconsideratè progredi in rebus incertis & periculosis, indicium est laxitatis; contra non acquiescere probabili doctrinæ Theologorum, sed semper evidencias & demonstrationes quærere, est indicium scrupulositatis. VI. Ex modo orandi. Nam qui velociter & vagè præscriptas preces deproperat, sæpius interrumpendo, circumspiciendo, colloquendo &c. laxus est: qui verò anxie precatur, sæpius subsistit, eadem repetit, scrupulosus. Præter has conscientias datur alia, nimirum Timorata, cujus differentiam à ceteris facilè colliges ex dictis.

224. XIII. Sunt & alia scrupulorum remedia, quæ Spiritus Sanctus docebit; sine cujus gratia neque remedia hæc, neque consilia scrupuloso sunt profutura. Jam verò hæc, quæ hætenus pro Instructione Pœnitentium, velut Reorum, ad Sacrum Fori interni Tribunal accommo diximus, sufficiant ad majorem illius *Agni immaculati*, qui suo nos pretioso sanguine à peccatis lavit, & eripuit à ventura ira, gloriam & honorem.



P. S.

Trib
Poeni
E

[Faint, mostly illegible text in two columns, likely bleed-through from the reverse side of the page.]